ACTA

SANCTAE SEDIS

IN COMPENDIUM OPPORTUNE REDACTA ET ILLUSTRATA

STUDIO ET CURA

VICTORII PIAZZESI

IURIS UTRIUSQUE DOCTORIS

SEU

Acta iuridica et solemniore ex Supremo Romano Pontifice immediate dimanantia: acta inter ea quae publici fieri possunt iuris, sive sint Decreta, sive Instructiones, sive Responsa, et alia huiusmodi; praesertim vero Causarum expositiones et resolutiones ex variis EE. Cardinalium Sacris Congregationibus, ad ecclesiastici iuris accuratam intelligentiam et observantiam conferentes, in compendium diligenti studio redactae: alia denique iuridica, quibus opportune illustrantur quae in expositis actis vel difficultatem parere possint, vel ad vigentis iuris notitiam ulterius conducant: in utilitatem eorum qui in Ecclesiae legibus studiose dignoscendis, et in regimine christiani gregis, vel in colenda Domini vinea sedulo adlaborant.

Volumen XXI.

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

MDCCOiaXXVIII.

Reprinted with the permission of Libreria Editrice Vaticana

JOHNSON REPEINT CORPORATION JOHNSON REPRINT COMPANY LTD.
111 Fifth Avenue, New York, N.Y. 10003 Berkeley Square House, London, W1X6BA

First reprinting 1969, Johnson Reprint Corporation
Pnnted in the United States of America

LITTERAE Sanctissimi D. N. Leonis XIII ad Episcopos Hiberniae, quibus dolet de nova animorum concitatione, utpote adversa professioni christiani nominis.

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Saepe Nos ex hoc apostolici muneris fastigio curas et cogitationes ad catholicos cives vestros contulimus : animusque Noster haud semel est publicis eonsignatus litteris, e quibus, quemadmodum sumus erga Hiberniam affecti, cuivis sine dubitatione appareat.— Praeter ea, quae superioribus annis sacrum Consilium christiano nomini propagando, auctoritate Nostra, de Hibernia providit, satis epistolae loquuntur, quas ad Venerabilem Fratrem Cardinalem MacCabe Archiepiscopum Dublinensem semel atque iterum dedimus : itemque oratio, quam nuperrime ad catholicos e gente vestra non paucos habuimus : a quibus quidem non modo gratulationes et vota pro incolumitate Nostra, verum etiam grati animi significationem accepimus ob perspectam in Hibernos Nostram voluntatem. — His ipsis proximis mensibus, cum templum in hac alma Urbe exaedifi-<$ari in honorem Patritii, magni Hibernorum Apostoli, placuerit, consilium quidem maxima animi propensione adiuvimus, reque pro viribus adiuturi sumus.

Nunc vero paterna ista caritas cum in Nobis eadem perseveret, dissimulare non possumus, gravia Nobis ac permolesta accidere, quae novissimo tempore istinc afferuntur. Inopinatam concitationem animorum intelligimus, inde repente coortam, quod ea dimicandi ratione, quam *plan qf campaign* **et** *boycotting* **nominant, pluribus usurpari coepta, sacrum Consilium perduellibus Ecclesiae vindicanda uti decrevit non licere. — Atque illud dolendum magis , non paucos numerari, qui populum ad conciones turbulentas vocare insistant: quibus in concionibus inconsiderataeiactantur periculosaeque opiniones, nec auctoritati decreti parcitur : quod ipsum longe alio, quam quo revera spectat, commentitiis interpretationibus detorquetur. Immo vero obediendi officium gigni ex illo negant, perinde ac verum propriumque Ecclesiae munus nequaquam sit de honestate et turpitudine actionum humanarum iudicare. — Ista quidem agendi ratio distat plurimum a professione christiani nominis, cuius pro-**

feeto illae sunt virtutes comites, moderatio, verecundia, potestati legitimae obtemperatio. Nec praeterea decet in causa bona, videri quodammodo eos homines imitari, qui, quod non iure petunt, tumultuose adipisci contendant. — Et haec quidem eo sunt graviora, quia Nos omnia diligenter circumspeximus, ut liceret rerum vestrarum statum ac popularium querelarum caussas penitus et sine errore cognoscere. Auctores habemus, quibus iure credatur: vosmetipsos coram percontati sumus: praetereaque superiore anno legatum ad vos misimus virum probatam et gravem, qui veritatem summa cura exquireret, et ad Nos ex fide referret. *—Nominatimque de hac providentia populus Hibernus gratias Nobis publice agendas curavit. Num igitur non in eo temeritas inest, quod aiunt, de càusa Nos iudica visse non satis cognita ? praesertim cum res improbaverimus, in quibus improbandis consentiunt aequi viri, quotquot,, ista dimicatione vestra non impliciti, pacatiore iudicio de rebus existimant.

Illud pariter non vacat iniuria suspicari, parum Nos Hiberniae caussa moveri, et quae sit apud vos fortuna populi, non admodum laborare. Contra sic afficit Nos Hibernorum conditio, ut neminem magis : nihilque tam vehementer cupimus, quam ut tranquillitatem adepti prosperitatemque meritam ac debitam, aliquando respirent. Nullo tempore recusavimus, quominum pro melioribus rebus suis contenderent: sed illudne ferendum videatur, aditum in contentione ad maleficia patefieri ? Quin immo ob id ipsum , quod , interiectis cupiditatibus politicarumque partium studiis, permixtum fas atque nefas una atque eadem caussa complectitur. Nos quidem constanter studuimus id quod non esset honestum, catholicosque ab omni re deterrere, quam christiana morum disciplina non probaret. -— Quamobrem consiliis tempestivis Hibernos monuimus, meminissent professionis catholicae, nihil unquam naturali repugnans honestati, nihil divina lege non concessum susciperent. -—Recens igitur decretum non iis debet praeter opinionem accidisse: eo vel magis, quod vosmetipsi, "Venerabiles Fratres, anno MDCCCLXXXI, Dublinum congregati, Clerum et populum cavere iussistis, quaecumque essent ordini publico caritative contraria, cuiusmodi illa sunt, nolle quod iure debeatur reddere, nolle reddi: personam, vel bona cuiusquam violare: legibus, vel etiam iis, qui fungantur munere publico, vim opponere: in clandestina foedera coire, et cetera generis eiusdem. Quae quidem praecepta, plena aequitatis maximeque opportuna* laudata Nobis ac probata sunt.

Nihilominus cum populus inveterato cupiditatum fervore transversus raperetur, nec deessent qui novas quotidie faces admoverent, intelleximus, praecepta requiri magis definita, quam quae generatim de iustitia et caritate retinenda antea dederamus. Pati Nos prohibebat officium, tot catholicos homines, quorum Nobis est in primis commissa salus, viam insistere praecipitem et lubricam, quae ad evertendas res potius duceret, quam ad miserias sublevandas. — Rem igitur ex veritate aestimari oportet : animumque illum Nostrum in eo ipso decreto Hibernia recognoscat amantem sui optataeque prosperitati congruentem, quia caussae quantumvis iustae nihil tam obest, quam vi et iniuriis esse defensam.

Haec quae scribimus ad vos, Venerabiles Fratres, magisterio vestro Hibernia cognoscat. Concordia sententiarum et voluntatum, ut oportet, coniunctos, nec vestra tantum, sed et Nostra auctoritate fultos, multum vos confidimus assequuturos : illud praecipue, ut cupiditatum tenebrae ne diutius tollant iudicium veri, maximeque concitatores populi temere se fecisse poeniteat. Cum multi sint, qui ad deserenda officia vel certissima aucupari caussas videatur, date operam, ut de vi eius decreti nullus relinquatur ambiguitati locus. Intelligant universi, eam omnem rationem, quae ne adhiberetur interdiximus, adhiberi omnino non licere. — Honestas utilitates honeste quaerant, potissimumque ut christianos decet, incolumi iustitia*atque obedientia Sedis Apostolicae: quibus in virtutibus Hibernia quidem omni tempore solatium simul et animi robur invenit.

Interea caelestium munerum auspicem et benevolentiae Nostrae testem vobis, Venerabiles Fratres, et Clero populoque Hiberno apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxiv Iunii an. MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri undecimo.

LEO PP. XIII.

SANCTISSIMUS D. N. LEO XIII *motu proprio* **constituit** *centum millia* **argenteos itálicos nummos Collegio Belgico Romae, ut in eo septem gratis alantur in perpetuum adolescentes.**

Cum plura Nobis ad recordationem iucunda ex rebus Belgicis in animo insederint, tum praecipue honestissimum ordinem Cleri meminisse perlibenter solemus. — Bélgicos quippe sacerdotes nosse olim e propinquo licuit: spectandaeque eorum disciplinae, sollertiae, caritatis, non tempus Nobis, non locus defuit. Permansere illae quidem in eis virtutes, eademque, si Deo placet, permanebunt perennes ac perpetuae, maxime quod omni cura studioque, uti probe scimus, in Clericorum Seminaria Episcopi incumbunt, officium nullum praetermittere soliti, ut sacrorum alumni eâ, qua par est, ratione instituantur. — Nihilominus tamen quoniam strenuorum sacerdotum quotidie est opportunitas maior, vigilantiâque summa provideri oportet, ut continenter eorum numerus iunioribus suppleatur, idcirco hae in re providas Episcoporum curas volumus aliquid etiam a Nobis adiumenti accedere ; in quo simul appareat benevolentiae Nostrae veteris in Belgas singulare testimonium. Cui quidem voluntati Nostrae perficiendae optimum patere locum in Collegio Belgarum Urbano censemus, ad cuius initia Nosmetipsi, utique cum legatione Belgica fungeremur, nonnihil contulimus operae. Idque sane auspicato: nam Collegium, de quo loquimur, dignos existimatione hominum fructus edidit quadraginta amplius annis, spemque facit constanter editurum pares. Compertum est enim, viros ex eo prodivisse non paucos virtute doctrinaque auctos , ad sacra scienter exercitatos, quorum in adiuvandis Episcoporum laboribus gerendisque sacerdotalibus muneribus utiliter integreque versata est ac versatur industria. Ex quo confirmatur quam hoc salutare sit, ut sacerdotes aliquot in sinu suo educatos ad catholicas gentes Roma submittat. — His de caussis Collegio supra dicto attribuimus, addicimus argenteos itálicos nummos ad *centum millia,* hac lege, ut ex annuo huius pecuniae reditu in perpetuum adolescentes *septem,* natione Belgae, qui bonam spem ostendant et animi et ingenii, iidemque ad sacra aspirent, gratis alantur, instituantur. De cooptatione eorum volumus, ut Belgarum Episcopi legant mittantque singulos ; Archiepiscopus Mechliniensis duos, quorum alterum sumat ex auditoribus philosophiae sublimions in Lyceo magno Lovaniensi, rogata doctorum eiusdem facultatis sententia.

Datum Romae apud S. Petrum, die x. Iulii An. MDCCCLXXXVIII. Pontificatus Nostri Undecimo.

LEO PP. XIII.

Pacta conventa inter S. Sedem et Rempublicam Columbiae.

In Nomine Sanctissimae et Individuae Trinitatis.

Sanctitas Sua Summus Pontifex Leo XIII et Praeses Reipublicae Columbianae excellentissimus Dominus Raphael Nuñes in suos respective plenipotentiarios nominarunt ;

Sanctitas Sua eminentissimum Dnum Marianum Rampolla del Tindaro S. R. E. Cardinalem Presbyterum S. Cecilia», suum Ministrum a publicis negotiis : et Reipublicae Praeses excellentissimum Dominum Ioachim Ferdinandum Vêlez Legatum extraordinarium et Administrum cum liberis mandatis apud Sedem Apostolicam. Qui post mutuo tradita respectivae plenipotentiae instrumenta de iis, quae sequuntur convenerunt.

Art. 1. Religio Catholica, apostolica, romana est religio Reipublicae Columbianae; publica potestas eamdem agnoscit tamquam essentiale elementum, quo societatis ordo constat, seseque obstringit eam, prout etiam eiusdem administros, patrocinio suo iuvare, ac tutari; illamque in usu et fruitione suorum iurium ac praerogativarum incolumem servare.

Art. 2. Ecclesia catholica plena fruetur ac integra libertate et independentia a politica potestate, quapropter haec ulla ratione intercedet quin ipsa suam spiritualem auctoritatem et ecclesiasticam iurisdictionem universam libere exerceat, suaque iuxta proprias leges moderetur et administret.

Art. 3. Ecclesiae leges sunt a civili iure discretae, nec huius partem constituunt ; at Reipublicae Magistratus illas in honore et reverentia solemniter habebunt.

Art. 4. Status agnoscit Ecclesiam suis legitimis potestatibus ordinibusque hierarchicis repraesentatam, vere proprieque iuridicam habere personam, et capacitatem utendi fruendique iuribus, quae ad ipsam pertinent.

Art. 5, Ecclesia iure pollet acquirendi iusto titulo, possidendi libereque administrandi bona tum mobilia, tum immobilia ad normam communi iure praefinitam, eiusque acquisitae res et fundationes inviolabiles nihilo secius ac propria civium Reipublicae bona.

Art. 6. Ecclesiae proprietates poterunt publicis subiici vectigalibus aeque ac aliorum civium bona ; exceptis tamen aedificiis divino cultui dicatis, Seminariis conciliaribus, Episcoporum et Pa-

rochorum domibus, quae tum a vectigalibus immunia erunt, tum occupari aut aliis usibus nunquam addici poterunt.

Art. 7. Clerici tum saeculares tum regulares adigi nequibunt publica obire munera, quae ipsorum sacro ministerio, vitaequae institutioni adversentur; insuper a quolibet servitio militari in perpetuum exempti erunt.

Art. 8. Reipublicae G-ubernium fidem suam obligat legibus, quae poenalia iudicia moderantur, ea praescripta conditionesve adponere, quae sacerdoti dignitatem sartam tectam servent, quoties Ecclesiae ministrum criminali processu qualibet de causa implicari contingat.

Art. 9. Locorum Ordinariis, et Parochis, integrum est exigere a fidelibus obventiones proventusque ecclesiasticos ad canonum normam et ex bono et aequo constitutos, quique sive ex immemoriali consuetudine cuiuslibet Dioeceseos causam habent, sive ex opere in sacro ministerio praestito; attamen ut actus et obligationes ab huiusmodi iurium fonte manantes vim civilibus legibus nanciscantur, et saecularis potestas suam auctoritatem interponat, locorum Ordinarii communicabunt cum gubernio consilia.

Art. 10. Poterunt libere institui fundarique in Columbiana Republica regulares ordines, religiosaeque sodalitates utriusque sexus, dummodo canonicae eorum erectioni legitima potestatis ecclesiasticae auctoritas accedat. Praefati ordines religiosaeque sodalitates iuxta proprias leges et constitutiones regentur et administrahuntur; attamen ut iuridica frui valeant persona, et patrocinio ac tutela legum Reipublicae iuventur, civili potestati exhibere tenentur testimonium canonicae veniae a respectiva auctoritate ecclesiastica ipsis tributae.

Art. 11. Sancta Sedes opem cooperationem que Grubernio praestabit ut in Columbiana Republica religiosi ordines constituantur, qui charitatis operibus praecipue vacent, missionibus, adolescentium institutioni, instructionique universim, aliisque publicae utilitatis et beneficentiae operibus.

Art. 12. In Universitatibus, collegiis, scholis aliisque studiorum institutis publica institutio atque instructio ad normam dogmatum, morumque doctrinam Ecclesiae Catholicae conformata ornataque esse debebit. In his omnibus studiorum facultatibus doctrinae religiosae institutio, praecepti res erit, piae etiam catholicae religionis'exercitationes in iisdem frequentabuntur.

Art. 13. Quapropter respectivis locorum Ordinariis ius erit sive

per se sive per speciales Delegatos in praefatis studiorum facultatibus inspicere, nec non libros qui pro textu adhibeantur revisere quoad ea quae fidei doctrinam morumve spectant. Archiepiscopus Bogotensis libros seu textus designabit qui in Universitatibus legi debeant, ad religionis morumque scientias tradendas; atque id uniformis sit harum disciplinarum institutio, idem Archiepiscopus, collatis cum aliis locorum Ordinariis consiliis, libros deliget qui pro textu sint in reliquis publicis Athaenaeis. Gubernium cavebit ne in humanioribus litteris aut scientiis, et universim in omnium generum disciplinis tradendis, placita evulgentur quae catholicis dogmatibus, et reverentiae ac venerationi erga Ecclesiam debitae, adversentur.

Art. 14. Quod si contingat magistros aut lectores scientiae religionis morumve contra gubernii edicta et praescriptiones, catholicae doctrinae haud consentanea docere, poterit loci Ordinarius eisdem docendi potestatem adimere.

Art. 15. Ius Archiepiscopos et Episcopos in vacantibus Ecclesiis constituendi est Sanctae Sedi proprium et peculiare. Nihilominus Sanctitas Sua in specialis observantiae argumentum, atque ut inter Ecclesiam et civilem statum pax et concordia servetur, annuit, ut explorata prius Praesidis Reipublicae sententia num eligenda persona ipsi accepta sit, provisio sedium Episcopalium et Archiepiscopalium peragatur. Quapropter cum Sedem aliquam vacare contigerit, poterit Reipublicae Praeses Sanctae Sedi ecclesiasticos illos viros directe commendare, qui iis omnibus dotibus pollere ipsi videantur, quae ad episcopale munus rite obeundum expostulantur. Vicissim Sancta Sedes priusquam Episcopum quem nuncupet, nomina candidatorum quos provehere animo cogitet, semper Praesidi praesignificabit eum in finem, ut dignoscat num is civilis aut politici ordinis causas habeat cur candidatorum personae sint ipsi minus gratae. Curabitur ut vacantium sedium provisio quantocius fiat, quae ultra sex mensium spatium procrastinari nequibit.

Art. 16. Sancta Sedes novas Dioeceses eriget, ac novas earumdem peraget circumscriptiones, cum id fidelium necessitas aut utilitas postulaverit; cum G-ubernio tamen consilia conferet, eiusdemque aequas reique congruentes animadversiones acceptas gratasque habebit.

Art. 17. Ut matrimonium eorum omnium qui catholicam religionem profitentur effectus civiles quoad contrahentium prolisque personas et bona progignat, iuxta formam a Concilio Tridentino

praescriptam contractum esse opportebit. Celebrationi officialis a lege statutus aderit eum tantummodo in finem ut matrimonium publicis tabulis continuo inscribat; excipitur tamen casus celebrationis matrimonii in mortis articulo, tum enim si haud facile impleri queat huiusmodi iuris solemnitas, praetermitti et subsidiariis probationibus suppleri ipsa poterit. Contrahentium cura erit providere, ut civilis status officialis celebrationi matrimonii praesens adsit, parochi autem opera in id tantum circumscribitur, ut contrahentibus obbligationem, quam civilis lex ipsis imponit, opportune palam faciat.

Art. 18. Quod matrimonia attinet quae ad-forman in Concilio Tridentino praescriptam quovis tempore celebrata fuerint, quaeque effectus civiles sortiri debent, subsidiariae probationes potissimae habebuntur, quae ab auctoritate ecclesiastica promanant.

Art. 19. Auctoritas ecclesiastica causas quae respiciunt matrimonii vinculum et coniugum cohabitationem, ut etiam sponsalium validitatem, unice cognoscet; civilibus matrimonii effectibus ad iudicem saecularem remissis.

Art. 20. Exercitus Reipublicae exemptionibus gratiisque fruentur, quae sub generali privilegiorum castrensium nomine cognoscuntur, quasque Sanctitas Sua separatim determinabit.

Art. 21. Post Divina Officia in omnibus Reibublicae templis sic orabitur: *Domine salvam fac Rempublicam; Domine salvum fac Praesidem eius, et supremas eius auctoritates.*

Art. 22. Reipublicae Gubernium dehinc perpetuo tamquam publicum status nomen et debitum (vulgo : *debito consolidato)* **agnoscit pretium tum censuum in aerarii beneficium redemptorum, tum etiam bonorum publicatorum (vulgo :** *beni disammortizzati* **, quae olim ad Ecclesias, pia sodalitia, patronatus, cappellas et instructionis ac beneficentiae instituta ab Ecclesia administrata pertinebant, quo demum cumque tempore ipsum in publici aerarii nominibus inscriptum fuerit. Huiusmodi nominum sors recognita (vulgo:** *debito riconosciuto)* **annuum foenus, quovis onere deducto, trientis cum dimidio reddet cuius quolibet exacto semestri dies cedat.**

Art. 23. Redditus qui ex patronatibus, cappellis, sodalitatibus aliisque privatis fundationibus proveniunt, iis directim addicentur et numerabuntur, qui iuxta fundationum tabulas epsdem exigendi iure polleant, vel ab iis legitime delegatis. Illorum solutio, ut praecedenti articulo cautum est, absque ulla subductione fiet, ab insequenti anno 1888 exordio ducto. Casu quo aliquam ex prae-

dictis fundationibus extingui contingat, praehabitis inter potestatem, ecclesiasticam et Gubernium consiliis, proventuum, qui ad illam pertinebunt, pietatis et beneficentiae operibus addictio fiet, quin tamen unquam contra fundatorum voluntatem quidpiam fiat.

Art. 24. Sancta Sedes perpendens praesentem statum aerarii Columbiani, et attenta utilitate quae ex observantia praesentis conventionis in Ecclesiam manat, Reipublicae sequentia remittit et condonat. *a)* **Pretium sortis usque adhuc minime recognitae** *(non riconosciuta in verun modo)* **bonorun publica torum (vulgo :** *disammortizzati)* **quae quoad maximam illorum partem ad conventus pertinebant aut sodalitia religiosa utriusque sexus iam extincta, et in praecedentibus articulis haud comprehensa,** *b)* **Nomina quae debeat ecclesiasticis institutis ob non solutos redditus fructusve quorum dies cessit¿ aliave de causa ex publicatione oborta usque ad diem 31 Decembris vertentis anni 1.837.**

Art. 25. In huius beneficii compensationem Columbianum Gubernium semel obstringit aliquam quotannis in perpetuum addicere expeditam pecuniae vim, quae in praesenti ad centena Columbianorum scutatorum millia constituta, quum aerarii conditio meliori fuerit loco aeque adaugebitur; quo, ea ratione et modo qui inter summas utrasque potestates, ex composito conveniat, ope auxilioque iuvabuntur dioeceses, capitula, seminaria, missiones aliaque id genus opera, quibus Ecclesia gentes ad humaniorem vitae cultum adducit.

Art. 26. Religiosi extinctarun sodalitatum adhuc dum superstites redditibus frui pergent, qui praecedentibus legibus adtributi ipsis fuerunt pro eorum sustentatione aliisque vitae necessitatibus.

Art. 27. Pari modo redditus aliaeque assignationes firmae rataeque constabunt antehac adtributae divini cultus manutentioni in Ecclesiis, cappellis aliisque religiosis, locis quorum ratio habita non est in Art. 22. Casu quo super hoc caput dubia aut difficultates oriantur, Gubernium consilia cum competenti ecclesiastica auctoritate communicabit, ut quod ad rem sit decernatur.

Art. 28. Gubernium ecclesiasticis institutis bona publicata ad eadem pertinentia restituet, quae nulli destinata et adtributa usui fuisse deprehendantur. Quorum ubi ignotus sit dominus, vel in quem impendantur finis cessaverit, sive sors ex eorum venditione proveniens, sive eorum redditus adsimilibus pietatis et beneficentiae operibus addicentur, prout uniuscuiusque Dioeceseos necessitas postulaverit, collatis ea desuper re cum competenti auctoritate ecclesiastica consiliis.

Art. 29. Sancta Sedes vicissim publicae tranquillitati consulere cupiens declarat eos qui durante praeteritarum vicissitudinum tempore ecclesiastica bona emerint publice proscripta, aut census in publico aerario redemerint, ad civilium legum tunc temporis vigentium normam, nullo unquam tempore aut modo ab ecclesiastica potestate molestiam habituros. Haec porro remissionis gratia nedum executores huiusmodi actuum comprehendit, verum etiam eos omnes qui in exercitio cuiuslibet muneris eisdem participaverint ; ita ut emptores, tum ipsi, tum legitimi eorum successores ab iisve causam habentes, tuto et pacifice ea eorumque emolumenta et fructus sibi habeant. Id tamen semper fixum firmumque esse debebit, ut huiusmodi abusivae alienationes numquam in posterum renoventur.

Art, 30. Quod coemeteria attinet Reipublicae, Gubernium ex composito cum respectivis locorum Ordinariis operam adhibebit, ut cautiones, quas ei vicum bonum et publica salus legitime exigit, cum veneratione sacris locis, Ecclesiaeque legibus debita socientur. Casu quo sententiae non conveniant, Reipublicae Gubernium pro re nata cum Sancta Sede communicabit.

Art. 31. Pacta conventionesque, quae inter Sanctam Sedem et Columbiae Gubernium ineantur quoad subsidia et adiumenta ut catholicae Missiones penes barbaras tribus in Reipublicae territorio degentes, maiora incrementa suscipiant publicorum comitiorum Reipublicae suffragiis confirmari haud oportebit.

Art. 32. Per praesentem Conventionem leges, ordinationem, decreta quolibet modo et tempore hucusque lata, in quantum conventioni eidem adversantur, abrogata omnino censentur; atque eadem conventio veluti lex status in futurum omne tempus valitura habebitur.

Art. 33. Ratificationes praesentis conventionis mutuo tradentur infra sex mensium spatium a subscriptionis die, aut citius si fieri poterit.

In quorum fidem praefati plenipotentiarii praesenti conventioni subscripserunt illamque suo quisque sigillo obsignavit.

Actum Romae die 31 Decembris 1887.

M. Card. RAMPOLLA.

IOAQUIN F. VELEZ.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

GALLÏPOLITANA

CURAE ANIMARUM

Die 18 Februarii 1888.

Sess. 24 cap. 11 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Mense Septembri anni 1885 Episcopus Gallipolitanus S. C. C. perhibebat : in urbe Orali i poli tana habitualem animarum curam penes Capitulum residere; Episcopum vero esse solum et unicum dictae urbis parochum, qui tres sacerdotes parochorum substitutorum titulo eligit, quibus animarum cura spiritualis et actualis concreditur.

Huiusmodi parochi substituti , utpote inter Cathedralis mansionarios seu Capellanos plerumque electi, ac proinde onere servitii choralis adstricti, neque congruam neque praebendam proprio ufficio adnexam habent ; imo a quibusdam annis ne subsidium quidem 30 ducatorum, quod ipsis Municipium ad assistentiam, quam ex hac vita decedentibus praestabant, persolvere solebat.

Relate ad incerta, exceptis iis, quae ex rescriptis et attestationibus matrimonialibus ipsis provenire possunt, non fruuntur nisi iure stolae nigrae, ex eo quod funera fere omnia a respectivis rectoribus in ecclesiis Confraternitatum in urbe existentibus celebrantur.

Quo vero ad choralis servitii onus, non unam eamdemque regulam cum ipsis adhibitam fuisse; aliquando enim tamquam praesentes in choro, aliquando vero tamquam absentes habiti fuerunt, ideoque punctaturis subiecti, quoties ob exercitium munerum parochialium a choro abesse debebant.

At postremis temporibus, per decem annos et amplius, usum invaluisse praedictos parochos substitutos a punctaturis

eximendi. Modo vero quaestionem hac super re denuo agitari nedum cum damno pacis et concordiae, sed etiam cum divini cultus detrimento. Quandoquidem in tanta sacerdotum inopia, admodum difficile esse, ut sacerdos inveniatur, qui fere absque temporali emolumento tam grave munus suscipere velit.

In hoc rerum statu, Episcopus ad novas quaestiones praecavendas, quae inter capitulum et parochos substitutos certo certius exurgerent, rem totam S. C. C. definiendam remisit.

Hisce acceptis sub die 2 Octobris 1885 rescriptum fuit: ***vigore facultatis a SSmo mihi traditae pro gratia exemptionis a choro favore trium sacerdotum, de quibus in precibus, durante munere* pro diebus et horis, quibus cura animarum actu impediuntur, amissis distributionibus inter praesentes tantum.***

Huiusmodi decretum vix Capitulo innotuit, statim comitia iterum iterumque cogere, cum Episcopo conqueri, eo quod in supplici libello affirmaverat habitualem curam animarum capitulo competere, ac reclamare coepit, ne hoc sub praetextu onera sibi augerentur; tandem S. C. C. recursum porrexit, ut declararetur curam animarum habitualem esse penes Episcopum, et gratiam parochis substitutis concessam, non modo obreptitiam et subreptitiam ideoque quovis valore destitutam, verum etiam iustitiae laesivam et Patrum Conc. Tridentini menti contrariam esse.

Disceptatio Synoptica.

IURA CAPITULI. Capituli patronus in primo orationis capite ostendere nititur curam animarum tam ***habitu,*** quam ***actu*** ad Episcopum spectare, idque colligi praeprimis ex actis S. Visitationis, tempore non suspecto, seu anno 1839 peractae ab Episcopo Giove. Sane episcopus in sua relatione ad rem haec habet: « Cara habitualis et actualis_____***residet penes me;*** ideoque statuti sunt in cathedrali Ecclesia tres parochi substituti pro sacramentorum administratione. In Dioecesi adsunt tantum duae paraeciae rurales, sitae una in

villa Picciotti s. Mariae da Lyctia et alia in villa S. Nicolai, in quarum prima ***statuti sunt a me*** tres parochi substituti et duo in altera. »

Et paullo post prosequitur : « Verbi Dei praedicatio infra annum in Cathedrali Ecclesia ***a me*** in omnibus dominicis, inter- missarum solemnia, semper habetur super homilia currentis Evangelii. >

Tandem in fine eiusdem relationis Episcopus facultatem petierat « praefiniendi unum ex canonicis de capitulo ad curam animarum in hac Cathedrali Ecclesia, et in villa s. Mariae de Lyctia et s. Nicolai instituendi duos alios parochos curatos. »

Nec referre quod Episcopus hac super re consensum Capituli exquisierit ; ipse enim testatus est, se id facere, non quia ad ipsum de animarum cura quidquam competeret ; sed quia dignitates et canonici, iuxta S. Conc. Trid. dispositionem, Episcopi consiliarii sunt et ipsius senatum constituunt.

Pariter neque dicendum curam habitualem esse penes Capitulum, Episcopum vero curam actualem dumtaxat habere. Ex hoc enim absurdum sequeretur, quod Episcopus dicendus esset vicarius et famulus capituli iuxta tradita a Card. De Luca ***de parochis discep. 17 n. 4,*** ubi ait: « Vicarius non dicitur rector et sponsus Ecclesiae, illam habens in titulum iure proprio, sed dicitur potius famulus vel minister deputatus ad exercitium a rectore, qualis dicitur ille penes quem residet cura habitualis. »

Idipsum evinci, tum ex facto quod Episcopus ipse exclusive, non autem capitulum, decimas aliaque parochialia emolumenta perceperit, quod certum iurisdictionis signum esse, observat De Luca ***loc. cit.;*** tum ex eo quod ipse independenter a capitulo parochos substitutos nominat. Iamvero si capitulum curam habitualem haberet, non Episcopo, sed ipsi vicarii curati nominationem competere, liquet ex ***Constit. S. Pii V ad eccequendum*** et De Luca ***De parochis discept. 18 n. 4.***

Praeterea exploratum esse urget totam Dioecesim unam

paroeciam olim constituisse, et nonnisi anno 1840 Episcopum Giove duas in suburbiis erigi novas paroecias ex prioris dismembratione curavisse. Quod aliud argumentum esse curam habitualem penes Episcopum residere, tradit de Luca ***de parochis discept, n. 4,*** ubi habet: « quod ubi parochiae non sunt distinctae, cura universa animarum dicatur esse penes Episcopum, qui dicitur parochus universalis, non autem penes capitulum. »

Tandem idipsum neque minus clare apparere ex eo, quod ultimis hisce temporibus, quando gubernium, ex pseudo lege anni 1865, bona mensae Episcopalis usurpare tentavit, Episcopus parochi titulum in medium protulit, sibi animarum curam competere proclamavit, atque ita bona mensae suae sarta tecta servavit.

Neque aliter Episcopum hodiernum se Cessisse in precibus S. C. C. mense septembri 1883 exhibitis. Ad obtinendum enim illud rescriptum, ex quo praesens lis efferbuit, affirmaverat : ***Episcopum esse solum et unicum parochum urbis Qallipolitanae.***

Iamvero, subdit patronus, si Episcopus solus et unicus est parochus, cura habitualis non potest esse penes Capitulum; secus enim non unicus, sed duo essent parochi, alter nempe habitualis, alter vero actualis.

Quin imo observat verum et proprium parochum illum dici debere, qui curam habitualem habet, non vero illum, qui actu eam exercet. Siquidem cura habitualis est ***causa,*** et qui eam habet est digaior; cura autem actualis est potius ***effectus,*** et qui eam exercet, est inferior. Ex quo deducit absurdum, quod Episcopus capitulo inferior dicendus esset, si ipse curam actualem tantum, capitulum vero habitualem haberet.

Ultimo loco animadvertit, canonicos cathedralis non posse actum vel minimum curae animarum exercere, nisi licentiam ab Ordinario obtinuerint. Quod factum incorri possibile dicit cum cura habituali penes capitulum, cum ab ea actualis cura dimanet, non viceversa.

Relate ad alteram quaestionem, recolit septem mansionarios admissos fuisse ad chori servitium et ad communis massae participationem, ut divinus cultus augeretur, et sacrae iunctiones maiori decore celebrarentur. Hinc infert eos non posse, choralis servitii tempore, ad aliud servitium intendere, et simul admitti, per liberationem a punctatura, ad massae communis participationem, quia finis primarius cessaret, ob quem ad chori servitium admissi fuerunt. Et dato, quod pro curae animarum servitio retributionem mereantur, haec non a capitulo, quod curae animarum nullum onus habet, sed ab Episcopo, penes quem universa huiusmodi cura residet, de suo dari deberet.

Imo contendit mansionarios a punctaturis eximi haud posse, etsi cura habitualis penes capitulum resideret; quia obligatio suppeditandi congruam parochis substitutis ad eum pertinet, qui emolumenta percipit, et iure decimandi gaudet; non autem ad eum, qui curam habitualem habet: De Luca ***loc. cit.*** In themate autem capitulum numquam decimas aliaque parochialia emolumenta percepisse explorati facti esse ait.

Hoc onus apprime cognovisse Episcopum Giove, qui anno 1840 duas parochias suburbanas ad mentem Conc. Tridentini erigere cupiens, capitulum, cuius consensum exquisierat, admonere curavit quatuor praedia quae sumptu sue emerat, in promptu esse; quorum duo pro congrua novi Archipresbyteri Curati s. Mariae de Lizza, et alia duo pro congrua Archipresbyteri curati paroeciae s. Nicolai constituenda satis esse asserebat.

Ex quibus concludit, congruam parochorum substitutorum supplendam esse ab ipso Episcopo ad exemplum sui praedecessoris Giove, nunquam vero petendo pro eis exemptionem a punctaturis cum capituli detrimento.

IURA EPISCOPI. EX altera vero parte, praemissis quibusdam facti observationibus, quibus Episcopus demonstrare satagit, curam animarum habitualem penes capitulum extare, ex officio perpensum fuit, parochos substitutos non modo de capituli gremio ordinario desumptos fuisse, et ferme gratuito

munus suum exercuisse; non modo a punctaturis per plures annos exemptos fuisse, dum animarum ministerio vacabant; sed etiam capitulares plura complere iurisdictionis parochialis acta, veluti delationem stolae, mortuorum associationem, cum quorumdam lucrorum perceptione.

Et haec omnia indicia esse, quod capitulum participet ad curam, quae proinde in capitulo reperiri debet, quaeque igitur alia quam habitualis esse non potest, licet forte simultanea ac condivisa cum Episcopo. Quod si aliter res esset, explicari non posset quomodonam haec omnia contigerint.

Idque praesertim admittendum esse in sententia saltem hodierna capituli eiusque patroni. Sane hi tenent ac tuentur exemptionem a punctaturis esse intime connexam cum qaestione de habitualitate curae ; ita ut exemptio parochis substitutis danda sit, si curam habitualem in capitulo adesse constet, sit vero prorsus deneganda, si capitulum parochus habitualis non sit.

Porro arguendo ex hac capituli eiusque patroni sententia, retentoque quod Episcopus asseverat, parochos nempe substitutos per plures annos a punctaturis exemptos fuisse, sequeretur, olim ac per plures annos capitulum retinuisse habitualem curam sibi competere.

Pariter stolae delationem esse signum proprium iurisdictionis, tradit Glossa in /. ***unica verb. Fibulis cod. Nulli licere ;*** et consonat textus in ***Cap. cum sibi 6 de auctorit. et usu pallii ;*** Monacelli ***tom. 11 tit. 13 formul. 1 n. 77.*** Et esse signum univocum, seu determinatam iurisdictionem significans, si quis ea indutus expleat particulares functiones sacras, puta in parentalibus vel funeralibus peragendis, docet Rota in ***Savonen. Aggregationis 15 Iunii 1699 §. Non obstant cor. Pio ;*** et in ***Bisianen. Praeeminentiarum 27 Ianuarii 1726 § final, cor. Calcagnino.***

Cum igitur canonicus hebdomadarius in Gallipolitano capitulo stolam deferat in funeralibus peragendis, patet penes capitulum existere aliquam iurisdictionem quae plerum-

que est signum curae habitualis : secus nulla ratio huiusce praxi **is** assignari posset.

Revera ea explicari nequit per ***privilegium*** competens •capitulo ; quia privilegia praeterquam quod sunt strictae interpretationis et absolutissimam probationem requirunt, concessa alicui, in damnum tertii redundare non debent ***lib. 29 tit. I, I. 14 ff. in princ.*** At in casu in damnum parochorum substitutorum vergeret, cum capitulum non solum insignia parochorum dumtaxat propria sibi tribuat, in funeribus explendis, sed etiam duplicem proventuum portionem recipiat, cum gravi parochorum damno, qui ex alia parte non habent unde honeste vivant.

Eo vel minus cum Episcopi iurisdictione convenire videtur, ut capitulum, quod nullo parochiali titulo instructum se dicit, unum de suo gremio substituat, qui in funeribus stolam deferat loco parochi delegati ab Episcopo, penes quem in capitularium visione universa parochialitas existit. Etenim si id grave foret in casu simplicis parochi, gravissimum est in themate, cum de persona Episcopi agatur.

Quandoquidem capitulum nullam prae Episcopo invocare potest dignitatem, ita ut haec iura, quasi ex privilegio, contra ipsum praescripserit.

Vicissim nullum adesse inconveniens et absurdum, quod penes Capitulum habitualis, penes vero Episcopum actualis cura reperiatur. Siquidem saepenumero contingit, ut qui actu «uram exercet, licet capitulum habitu sit parochus, capitulo non sit inferior, sed superior, veluti contingit in plerisque cathedralibus et collegiatis in quibus, prima ipsa dignitas et capituli caput, est parochus. Qua de re nullam iniuriam Episcopo obvenire, ex eo quod actualis parochus sit : hoc enim ius veluti prima dignitas et capituli caput obtineret, habitualem vero cum capitularibus participaret.

Quin obsit .Episcopum Giove et eius temporis capitulum •edixisse in civitatis paroecia curam actualem et habitualem Episcopo inesse. Primo enim « visitationum libri licet probent quoad visitationem personarum et sacramentorum;

non tamen sufficerent ad probandum iuspatronatus et iurisdictionem, cum fiant absque causae cognitione » saltem plena. Pisag. in ***Praec. Episc. part. 2. cap. 5. n. 7.***

Praeterea, licet affirmatum tunc fuerit Episcopum cura actuali gravari, exclusivitas tamen huius oneris non fuit asserta, nec capituli participatio ad curam fuit exclusa. Imo ipsius Episcopi agendi ratio contrarium suadet. Ad quid enim Episcopus consensum, consilium et beneplacitum capituli tanta cura exegisset, pro constitutione et provisione proprii stabiHsque pastoris in duabus suburbanis paroeciis, si ipse unus et absolutus parochus civitatis et dioecesis fuisset?

Siquidem huiusmodi provisionem peragere valebat, quin. consensu et beneplacito capituli de iure comuni indigeret; ceu patet ex Conc. Tridentino ***sess. 24 cap. 13 de Reform.*** Si itaque de eo consensu et beneplacito exquirendo Episcopus tam solicitus fuit, id fecisse dicendus est, non tam in obsequium regulae tituli lib. III decretalium , ***de iis quae fiunt a praelatis etc.,*** quae regula heic neque locum habebat; quam potius ad praecavendas quascumque difficultates, quia praesentiebat capitulum quoad curam animarum in sua dioecesi interesse aliquod peculiaremque competentiam habere.

Pariter neque obstat, quod capitulum vicarios non nominet. Nam cum in casu, de quo agimus, cura actualis non vicario capituli, sed ipsi Episcopo possit retineri commissa, iam nihil impediret quominus substitutos parochos Episcopus, minime vero Capitulum nominaret.

At dato etiam quod parochi substituti sint vicarii capituli, potius quam unius Episcopi; adhuc tamen ab obiecta difficultate posset causa expediri. Vicariorum enim nominatio, etsi primum praecipuumque signum sit curae habitualis in capitulo; non tamen est unicum et absolutum, sine qua non. Re sane vera in ***Lauden. Iurium et emolumentorum parochialium*** diei 21 Augusti 1886 cura habitualis capitulo non fuit denegata, licet certo constaret capitulum praesentare non solere Archipresbyterum, cui actualis animarum cura erat commissa.

Quovis vero fundamento destitutum esse ex adverso assertum, scilicet habitualem parochum esse verum parochum. Siquidem qui habitualem curam habet « de facto curam nec exercet nec exercere valet ; sed tantum aliquatenus potest et debet providere, ut per aliquem sub vicarii nomine exerceatur. E contra (illum) actualem curam habere, qui de facto eam exercendam habet. » ***Bovàx de par. p. 1. sec. 3. c. 1.*** Unde « parochus habitu nequaquam est verus parochus, sed eiusmodi titulus valet ad certa ipsi praesentanda iura... (ipse) non tantum ex officio non ministrat, sed nec ministrandi ius habet, » ***ibid.*** et tale beneficium perinde censetur ac simplex. Barbosa ***de par. p. 1. c. 2. n. 51;*** ideoque confertur absque concursu. Reclusius ***p. 1412. n. 57,*** neque requirit habitualis curae mentionem pro validitate gratiae apostolicae. Rota ***cor. Malines dec. 492. n. 6.*** Insuper, sub mentione curae vel parochi simpliciter facta, ex propria significatione intelligitur de actuali. Barbosa ***loc. cit.*** cum aliis.

Quo vero ad punctaturarum quaestionem Conc. Tridentinum ***sess 22. cap. 3. de ref.*** haec habet: « Quod si alicui ex praedictis dignitatibus in ecclesiis cathedralibus et collegiatis de iure seu consuetudine iurisdictio, administratio vel officium non competat, sed extra civitatem in dioecesi cura animarum immineat, cui is qui dignitatem obtinet incumbere voluerit, tum pro tempore quo in curata ecclesia resederit ac administraverit, tamquam praesens sit ac divinis intersit in ecclesiis cathedralibus et collegiatis habeatur. »

Et S. C. O. teste Benedicto XIV ***Inst. eccles. 107*** in una ***Mediolanen, diei 3 Februarii 1609*** decernere censuit: « oratorem habentem onus curae animarum adnexum , si tempore, quo divina officia celebrantur, audiat confessiones vel alia ad ipsam curam spectantia exerceat, lucrari debere distributiones quotidianas, etiamsi divinis non intersit. »

Idipsum locum habere, si, extante cura habituali in capitulo , actualis a canonico vel beneficiato administretur.

S. C. O. punctim definiit in ***Pisana Iurisdictionis et iurium 27 Iulii 1839 ad VII.*** Vel licet iste rector ad nutum removeri queat, eadem S. C. in ***Augustana distributionum 14 Decembris 1844.***

Nec aliter sentiendum esse in casu, quo canonicus vel beneficiatus muneri parochiali vacat, quin respectus habeatur ad habitualem capituli curam, vel ad adnexionem curae ad praebendam, dummodo tamen paroecia in cathedrali vel collegiata erecta sit, tenet Ferraris ***Voc. distributiones, art. 1. n. 71,*** qui auctoritatem Benedicti XIV in medium affert; nec non d'Annibale ***Lib. 3 sum. theol.*** § ***492*** , ubi haec habet « demum canonicus vel quisquis alius de gremio capituli, cui imminet cura animarum, dum parochi officio defungitur, censetur praesens in choro, ut fructus lucrari possit, quamvis retineat canonicatum ex dispensatione apostolica : lucratur quoque distributiones quotidianas, sed quasi absens ecclesiae suae causa ; atque ideo, si paroecia excitata sit in ipsa cathedrali vel collegiata. »

Exceptio utique facienda esset quoties parochi substituti congruam de labore mercedem reciperent, S. O. Concilii in ***Melevitana Fallentiarum 13 Septembris 1862;*** at in casu, de quo agitur, cum ob temporum nequitiam contigerit, ut illud ipsum subsidium, quod ceteroquin ténue erat, subtractum fuerit ; aequum, imo necessarium videtur, quod parochi substituti a punctaturis eximantur.

Neque dicas, Episcopum substitutos compensare debere : utrum enim id facere Episcopus, hisce praesertim temporibus, valeat, profecto non liquet. Vicissim facilior et expeditior via, nec capitulo valde laesiva aut gravis apparet, ut substituti parochi a punctaturis liberentur.

Et hanc fuisse rationem, qua controversum rescriptum datum fuit. Ad cuius concessionem non modo ratio nunc indicata tam iustitiae, quam aequitatis contulit ; sed etiam assertio, sua probabilitate haud carens, quod capitulum curam habitualem cum Episcopo condividerete

Quod revera huiusmodi rescriptum non uni circumstan-

tiae de curae habitualis existentia penes capitulum fuerit innixum, ex eo evidenter eruitur, quod datum fuerit ***vigore*** facultatis apostolicae, seu ex ***gratia.*** Vicissim si habitualem curam capitulo certo inesse putatum fuisset, iam non ex gratia, non ex indulto apostolico, sed ministerio iuris data fuisset exemptio.

Hisce aliisque praemonitis, proposita fuerunt diluenda sequentia

Dubia

1. ***An cura habitualis animarum capitulo competat in casu.***

Et quatenus negative

2. ***An quaestio super rescripto diei 2 Octobris Í885 moveri possit in casu.***

RESOLUTIO. S. C. Concilii, re discussa, sub die 24 Martii 1888 respondere censuit. Ad 1^m^ ***negative.*** Ad 2^m^ ***negative.***

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Vicarium non dici rectorem et sponsum Ecclesiae illam habentem in titulum iure proprio, sed potius dici famulum vel ministrum deputatum ad exercitium a rectore, qualis dicitur ille, penes quem residet cura habitualis.

II. Perceptionem decimarum aliorumque parochialium emolumentorum, in iure haberi uti signum certum iurisdictionis.

III. Ex ***Constit. S. Pii V ad eœequendum*** Capitulo reservari vicarii curati nominationem, si curam habitualem habet.

IV. Ubi parochiae non sunt distinctae, curam universam animarum esse penes Episcopum, qui dicitur parochus.

V. Propriam confessionem in iudiciis magnam vim habere, praesertim si tempore non suspecto, neque in proprium commodum emissam.

VI. In praesenti casu S. Congregationem respondisse negative, quia tam ex actis s. Visitationis, quam ex propria

Episcopi confessione ac aliis adminiculis, retinuit curam habitualem penes Episcopum, non vero penes Capitulum residere.

VII. Obtinentem dignitatem in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, cui extra civitatem in dioecesi cura animarum immineat, dum ei incumbit, haberi tamquam praesentem in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, pro tempore quo in curata ecclesia resederit ac administraverit.

VIII. Hinc, si tempore quo divina officia celebrantur, audiat confessiones vel alia ad ipsam curam spectantia exerceat, distributiones quotidianas, etiamsi divinis non intersit, lucrari debere.

IX. Canonicum vel beneficiatum ecclesiae cathedralis vel collegiatae, cui cura habitualis inest, a punctaturis exemptum esse pro eo tempore, quo curae animarum oneri satisfacit. Nec aliter sentiendum esse, licet curae animarum praepositus ad nutum removeri possit.

X. Quin imo praedictum canonicum, vel quemlibet alium de gremio capituli, dum parochi officio defungitur, censeri praesentem in choro, ut fructus et distributiones quotidianas lucrari possit, licet cura habitualis penes capitulum haud resideat; dummodo tamen paroecia in cathedrali vel collegiata erecta sit.

XI. Casum tamen excipiendum esse, quo curam penes capitulum residentem, uni ex canonicis, soluto certo salario, gerendam capitulum tradiderit.

REGIEN.

IURISPATRONATUS ET PENSIONIS

Die 18 Februarii 1888.

Sess. 14 cap. 9 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Exeunte saeculo XV tres fratres Zobuli Leonellus, Iacobus et Christophorus sibi suisque haeredibus et successoribus iuspatronatus reservaverunt in Ecclesiam collegiatam et Praeposituram s. Nicolai ab ipsis fun

datam ac dotatam. Et super istam, nunc sibi vindicare student iuspatronatus Dioecesis Episcopus, comes Carolus Cassoli Lorenzotti, comitissa Victoria Cassoli Pancaldi, comitissa Aloysia Cassoli Catini, una simul cum fratribus, et familia Monesi: verum, praeter hos, et alii recensentur, qui licet hodie non dimicent pro sibi adscribendo hoc iure, attamen illud aliquando sibi tributi sunt: tales recensentur quidam Zoboli, sacerdos Aloysius De Medici, sive eius pater, et fratres Antonius et Aemilius Cagliari, sive eius haeredes. (1)

Disceptatio Synoptica

EA QUAE FAVENT EPISCOPO. Animadversum fuit quod Episcopus, non sine causa, sibi tribuit unam ex tribus vocibus patronalibus, eam nempe quae a Leonello provenit. Nam Leonellum una cum filio Ioanne vocem patronalem sibi propriam Episcopali mensae Regiensi donavisse, constat I° ex regesto tabularli notarii Arlotti, ubi ab anno 1493 ad 1505 invenitur signata haec donatio, quippe ab eodem notario rogata; 2° ex bulla Pii IV in qua cessio huiusmodi commemoratur et rata habetur; 3° ex celebri re iudicata Rotali coram ***Priolo Cafarello*** et ***Pompeio Aldovrando*** sub initio secuti XVIII, quae saepius in hisce paginis revocatur; ubi mentio insuper fit de alia re iudicata quae praecedenter fuerat coram De Rubeis Oradino et Robusterio. Sane in conclusione Piotali habita ***coram Priolo die Lunae 28 Iunii 1706*** haec ad rem verba leguntur : « De prima donatione Leonelli favore Episcopatus, ultra allegatum publicum instrumentum, constat per rem iudicatam rotalem nostri tribunalis coram De Rubeis Oradino et Robusterio. » Demum 4° constat ex continuo iurispatronatus exercitio iuxta relata, alia vice, fide digna documenta, quibus comprobatum mansit, Regienses Episcopos ab initio et per totum saeculum XVI ac XVII consuevisse grati animi ergo, sub

(1) Ut plura tibi innotescant quoad hanc quaestionem, pluries agitatam, recole Vol. XVII, 526, et Vol. XX, 443.

Investiturae forma et ad tempus, ius sibi concessum donatoribus ipsis, idest uni aut alteri e Zobulorum gente, restituere.

Quarum investiturarum ultima contigit anno 1702 favore marchionis Ioannis Zobuli, qui sacerdos erat et praepositus s. Nicolai, quique actor fuit in causa, superius commemorata, coram S. Rota agitata sub initio saeculi XVIII. Eo autem vita functo, Episcopi ab investiturarum praxi destiterunt, et per semetipsos ius praesentandi indesinenter exercuerunt, licet quidem aliquando cum aliis compatronis convenirent de alterna praesentatione facienda; quod tamen, pacis studio, depactum, ceu patet, Episcoporum iuribus haud quidquam detrahit.

Neque exercitium iurispatronatus defuit in ultima vacatione quae contigit circa annum 1840, quaeque eodem modo ac hodierna Vacantia acri diuturnaeque quaestioni quater coram S. C. C. propositae originem dedit; in qua tamen Episcopus pro parte sua suoque titulo innixus cum effectu nominavit, veluti infra etiam de hoc iterum sermo redibit.

Quapropter patet, regienses Episcopos ad trientem iurispatronatus sibi vindicandum non modo producere et opponere posse veritatem ac iustitiam peractae sibi a Leonello donationis, quae ex authentico documento, ex bullis apostolicis, ex rebus iudicatis rotalibus ac demum ex constanti iuris exercitio comprobatur; sed etiam possessionis et praescriptionis factum: quod in patronatus materia plenum habere valorem nemo est qui ambigat.

Quo stante, dicere Leonelli donationem non fuisse validam, aut sin minus successores non affecisse; et ad id comprobandum invocare principium, quod iuspatronatus cum praeiudicio compatronorum, aut successorum, a fundatore vocatorum donari extraneis non possit, aequivocatio non modica est.

Siquidem distinguendae sunt duae patronatus species: altera in qua a fundatore unum unicumque ius constituitur,

unaque linea, familia aut successio ad iuris exercitium designatur; et altera in qua fundator plures lineas aut successiones ad iurispatronatus exercitium simul ab initio vocavit. In priori casu, si contingat plures decursu temporis in ius fundatoris succedere, tunc inter eos locum habet ius accrescendi, quia unicum est ius, et haeredes, licet plures, unum in solidum patronum repraesentant. Contrarie ad illud quod contingit in altero casu, quando iuspatronatus pluribus distinctis lineis ab initio fuit reservatum. Tunc enim tot patronatus habentur quot lineae, et vox unius non transit ad alteram, Pitonius ***De eontrov. part. alleg. 13, num. 7 seqq.,*** sed unicuique lineae ius suum acquisitum pro virili censetur, ***ib. alleg. 76 num. 8-18*** et Ferraris ***v. Iuspatron. art. 2, num.*** 7. Quapropter si una linea ius suum in alium licet extraneum transferre aut dono dare decernat, nihil est de quo ceteri compatroni conquerantur. Unusquisque enim de suo iure potest libere disponere.

Atqui in casu, de quo quaestio, invenimus patronatum pluribus distinctis lineis esse relictum . Fundatores enim, qui tres erant, ius suum ***sibi suisque haeredibus et successoribus*** reservaverunt. Ergo Leonellus ultro poterat absque confratrum laesione, quod suum erat, cui libebat donare.

Quin subsumatur patronatum ***haeredibus et successoribus*** relictum extraneis dono dari non posse. Quandoquidem, in themate, misso quod ipsemet fundator erat, qui iuspatronatus suis auferebat et episcopali mensae donabat ; misso quod haec donatio apostolica auctoritate roborata fuit, et constanti praxi a primis temporibus ad ultimam usque vocationem indesinenter confirmata ; misso demum quod idem ius a duabus rebus iudicatis Rotalibus inveniatur omnino recognitum; accedit insuper, quod de iure communi, testibus Reiffenstuel ad ***tit. De iurepatr.*** § ***2,*** et Ferraris ***v. lus-patr.*** § ***2,*** patronus ultro possit ius suum extraneis cedere ac donare. Quo stante difficile est ostendere dictionem illam communem, qua patronatus reservatur ***suis haeredibus et successoribus,*** prohibitivam esse donationum et cessionum ad

extraneos. Eö vel magis quod doceat Fargna ***par. 2, eas. £, num. 4*** patronum equidem non posse patronatum gentilitium « valide in extraneum transferre, existentibus eis de familia á fundatore contemplatis in horum praeiudicium » ; at id ultro valere « si isti de communi consensu approbent hanc translationem et donationem ». Atqui in themate non unus Leonellus, sed Leonellus eiusque filius simul cessionem fecerunt. Denique Leonelli filius descendentibus suis ac necessariis caruisse videtur: quapropter magis magisque liber ipse ac eius pater in donatione evadebant. Ex quibus omnibus obiecta difficultas satis superque diluitur, simulque ius mensae in vado tutissimo ponitur.

IURA ALIORUM PRAETENDENTIUM. Succedit comes Carolus Cassoli Lorenzotti cum aliis de familia. Porro procurator, quem ille sibi constituit, in primis legitima documenta produxit, quibus probaret clientem suum cognatione coniungi cum comitissa Cornelia De Zobulis , et per eam cum Iacobo De Zobulis, ex fundatoribus altero. Genealogia autem Cassoliorum sic procederet : ex Iacobo per Timotheum et successive per Alphonsum, Nicolaum, Alphonsum iuniorem^ et Ernestum nata est unica filia Cornelia, quae nupsit Carolo Cesi; et sic sua iura in hanc familiam transfundid. Ex Carolo Cesi per Ferdinandum et Annibalem nata est Eleonora, quae quoque unica proles asseritur, et ideo iura sibi quaesita transtulit in virum suum Paulum Cassoli-Lorenzotti, sive eius filios qui tres fuerunt, Georgius, Aloysius et Victoria.

Porro Victoria nupsisse cuidam Nicolao Pancaldi et adhuc vivere una simul cum viro suo videtur, ac certe ad patronatus sibi vindicandum dimicat.

Aloysius vero duas habuit uxores: ex prima nati sunt Carolus et Ferdinandus, ex altera vero Adelaides : Ferdinandus paucos ante annos vita functus est: Carolus autem et Adelaides vivunt et actores sunt in causa.

Georgius tandem, iuxta fidem Mutinensis syndici, tres habuit masculos filios, hac serie progenitos, Petrum, An-

nibalem, Alphonsum : quibus tarnen, si credendum sit Victoriae et Nicolao Pancaldi, addi debent duae filiae Anna et Aloysia, utraque matrimonio collocata, haec cuidam Pudulli, prior vero Hieronimo Oattania.

At ex hisce quinque Georgii filiis, unus Annibal, seu, Annibale iam mortuo, tres eius liberi, Anna, Aloysia ac Petrus, ad patronatum admitti postulant, ceteris omnibus, nescio qua de causa, silentibus.

Age vero, licet Cassoliorum familia cum Iacobo fundatore per Timotheum coniungatur, nihilominus Iacobi iuris nullo modo demonstrari potest haeres. Nam Iacobus fundator duos filios habuit, Timotheum et Sigismundum ; et ex paterna voluntate unus Sigismundus, excluso Thimotheo, in ius patris successit; sicut in posterum una Sigismundi descendentia, exclusa linea Timothei, idem ius semper servavit, ceu infra dicetur. Quapropter Cassoliorum familia licet a Iacobo derivet, tamen Iacobi iuris haud videtur succedanea.

Succedanea est tamen in iure Cristophori. Siquidem anno 1492 Cristophorus, forte quia prole carebat, vocem suam suumque ius praesentandi praefato donavit Timotheo, sibi ex Iacobo fratre nepoti. A Timotheo, per legitimas successiones ac generationes ius ac vox illa pervenit in comitissam Corneliam Zobuli, quae vixit sub initio saeculi XVIII, quaeque ultima fuit in agnatione Timothei. Hanc vero mulierem Cristophori trientis universalem fuisse haeredem constat ex re iudicata Rotali coram ***Priolo, Caffarello et Aldovrando,*** quae initio eiusdem saeculi XVIII contigit, de qua infra.

Cornelia Zobuli nupsit Carolo Cesi, et ex eis per Ferdinandum et Annibalem pronepos nascebatur Eleonora. Hanc autem Corneliae iuris evasisse haeredem, constat ex disputatis ***m Regien. Iurispatronatus,*** quae quater scilicet diebus 18 septembris 1841, 4 Iunii 1842, 24 Augusti 1844 et 4 Iunii 1845, coram S. C C . proposita fuit. Nemo enim tunc ambigebat, quin Eleonora Cesi trientis Christophori legitima esset haeres ac domina : imo in pacifica prorsus eius

iuris possessione ab omnibus admittebatur, veluti suo loco apparebit ; nam etiam de hac causa plenum sermonem habere paululum differtur.

Eleonora Cesi matrimonio coniuncta est corniti Cassoli-Lorenzotti, ex hoc connubio progeniti sunt tres filii Georgius, Aloysius et Victoria: ex quibus, ut iam dixi, tria veluti agmina habentur quae ad patronatum contendunt.

Ac prior venit Victoria, Nicolai Pancaldi uxor, quae brevem allegationem transmisit, quam summatim hic referre oportet. Ibi itaque, concesso episcopali mensae tríente Leonelli, retentoque ex donatione Christophori trientem a Timotheo in Eleonoram Cesi per legitimas generationes esse transfusum, contendit insuper mulier, Iacobi vocem fuisse inter duos eius filios Timotheum et Sigismundum aequis partibus divisam : adeoque Eleonoram Cesi, praeter Christophori trientem, haeredem quoque evasisse semissis vocis Iacobi. Quae assertio quanta veritate fulciatur EE. PP. iudicabunt, postquam perspexerint quae mox de Iacobi voce disputabuntur.

Interim Victoria, orationem prosequens, commemorat, Eleonoram Cesi tres habuisse filios, Georgium, Aloysium ac se : at duos fratres ob simoniacam quam egerunt sui patronatus venditionem, de qua etiam infra, ab omni iure decidisse, et ideo universum patronatum, quippe quid individuum, in se penitus solidatum fuisse. Scribit enim: iuspatronatus suapte natura individuum est, et quoad proprietatem, spectat in solidum ad unumquemque ex patronis, iuxta ***Fargnap. 2. cau. i. eas. 1. n. i.*** Receptum esse, certum est, quod in aliis consolidatur pars patronorum, qui non praesentant. Ceu evenit in casibus, quibus praesentantur personae haud idoneae, vel indignae vel nullae; ***Farina part. 3 eau. unie. cas. 6 n.*** 5. Quapropter cum a iure praesentandi ex dicta causa deciderint duo priores Eleonorae filii ; in se, utpote tertia ex eius filiis, id iuris integrum inveniri debere concludit.

Verum, ut oratrix optatum iuspatronatus Christopohori

de quo tantummodo nunc loqui fas est, merito sibi vindicare posset, duo necessario requisita in aprico ponere deberet I° se, prout asserit, vere esse Eleonorae et Pauli Cassoli filiam; 2° haeredem aut ex testamento aut saltem ab intestato familiarium Eleonorae iurium evasisse. At licet spoponderit exhibere documenta quamprimum ad probandam suam genealogiam ceteraque necessaria, hoc tamen adhuc non fecit. Quapropter nihil certi ab eius allegatone potest concludi.

Quod autem haeredis qualitas necessaria in themate prorsus sit ad effectum succedendi in iuris patronatus privilegio, facile evincitur. Nam fundatores patronatum reserva verunt ***sibi suisque haeredibus et successoribus ;*** ergo nisi quis has qualitates praeseferat, ex aperta fundatorum voluntate ad patronatum non potest admitti.

Id etiam iuris praescripta confirmant. Siquidem patronatum nec pure haereditarium nec pure gentilitium, sed ***mixtum*** ac ***linearem,*** qualis est in themate, deferri non posse nisi iis qui utramque qualitatem ***haeredis*** scilicet et ***sanguinis*** habent, statuit cum communi Ferraris ***v. Iuspatronatus § a. 1 n. 9,*** pluribus allegatis in confirmationem iuribus. En verba : « Iuspatronatus esse mixtum probatur et constat____***quarto,*** si fuerit reservatum pro successoribus et haeredibus; Rota ***part. 11 decis. 254 n. 9.*** » Porro, « ad effectum succedendi in iuspatronatus mixto requiritur utraque qualitas, haereditaria scilicet et agnatitia, seu haeredis et sanguinis. Rota ***part. 6 decis. 267 part. 9 tom. i decis. 185 n. 7, pa,rt. 11 decis. 254 n. 16, part. 19 tom. 1 decis. 223 n. 16. »***

Quapropter licet verum sit quod in eadem paragrapho idem Ferraris docet, scilicet quod quando iuspatronatus transit ***per successionem haer editar iam,*** ipsum defertur « ad quoscumque haeredes, tam mares quam feminas, tam necessarios quam extraneos, sive ab intestato sive ex testamento: — hinc si filia sit haeres cum fratre, aeque cum illo succedit in iuspatronatus haereditario :_____et succedunt omnes aequali iure, quamvis in partibus inaequaiibus sint instituti

haeredes : » et succedunt in ***capita,*** sint omnes in aequali gradu, succedunt vero in ***stirpes,*** si diversi sint concurrentium gradus, iuxta notas successionum normas ; hoc tamen parum oratrici Victoriae proficeret. Siquidem licet ipsa materni iuris haeres esse potuerit; utrum tamen reapse fuerit dubitari potest, 1° quia plerumque, olim praesertim, mulieres obtenta dote ab agnatione sua distrahebantur, nec familiae iurium haud amplius erant participes; 2° quia in commemorata iurispatronatus venditione comperimus, ipsam nullas habuisse partes, duosque eius fratres, quin soror aut reclamaret aut consentirei, quippe absolutos negotii dominos criminosum pactum egisse ; quod profecto, licet nefarium, iudicium tamen non aspernabile rei est.

Post Victoriam Eleonorae filiam, Pancaldi uxorem, qui iuspatronatus ex Cassoliis postulant sunt Carolus et Adelaides, Aloysii filii, Eleonorae nepotes, qui imo hanc causam tamquam actores promoverunt. Porro Carolus per suum procuratorem, probata ex legitimis documentis sua descendentia ab Eleonora, non modo Christophori vocem integram sibi vindicat, sed Leonella quoque et Iacobi trientes. At, ceu videtur, immerito.

Nam Leonelli vox, quam legitime in episcopalem mensam transierit superius est demonstratum : Iacobi autem ius in aliam lineam, aliosque prorsus haeredes transiisse mox indicabitur. Ubi etiam apparebit quam false et ex quanta aequi vocatione comitis Caroli procurator contrarium assumptum defendent. Ideo enim ut clienti suo universum patronatum adscriberet, quibusdam verbis Rotalis sententiae coram ***Priolo Caffarello*** et ***Aldovrando*** extra omnem suum contextum relatis, ex iis arguit, comitissam Corneliam Zobuli totius patronatus declaratam fuisse haeredem, quem, transfusum in Eleonoram Cesi, universim tandem in comitem Carolum devenisse, dicit. Verum ex integro illius Rotalis sententiae contextu plane evidenterque constabit, rem prorsus diversam esse; et Corneliam unius vocis Christophori renunciatam fuisse dominam; ideoque hanc unam in

haeredes suos ac in Eleonoram Cesi transfundere potuisse. Si res confirmatione indigeret, causa coram S. C. C. agitata hoc saeculo mediante, ubi praecise exhibetur Eleonora unius taxative vocis Christophori domina et haeres, eam abunde praeberet.

Sed si quidquam intimius sit disserendum, nec ipsa vox Christophori saltem ex integro spectare ad comitem Carolum Cassoli Lorenzotti videretur.

Quippe quia et alii sunt qui non inferiori iure fulciri sustinent, progeniti scilicet a Georgio, priore ex Eleonorae natis. Et licet ex quinque a Georgio prognatis unus Annibal, seu, eo vita functo, tres eius liberi in ius comparuerint, quod utrum ex aliorum secordia et ignorantia, an alia ex causa contingent, latet ; hoc tamen parum refert ; nam aliqui semper haberentur qui Georgium repraesentarent ; imo cum hi primogenitum Eleonorae filium auctorem habeant, iam, si quidquam opinari liceat, validiori iure viderentur innixi quam Carolus et Adelaides ex secundo Eleonorae filio prognati.

Inter eos autem, qui agmen ducit est Aloysia, Iacobo Cattini nupta, quae authenticum et legale sui ortus documentum exhibuit, et subinde non solum pro se sed etiam nomine sororis comitissae Eleonorae inGilocGhi, nec non proprii fratris, comitis Petri, omnes descendentes ex quodam comite Annibale, humiliter postulat ut iura propria serventur apud S. Congregationem Concilii. Et Episcopus has preces, exoratus transmittens, testabatur recurrentes esse omni ex parte consideratione dignos.

Porro ad hos excludendos Caroli Cassoli procurator probare deberet, se in aviae Eleonorae iuribus successisse, simulque Georgium materni iuris haeredem non fuisse, aut ipsum iura a matre suscepta filiis suis non reliquisse ; quod adhuc nec Carolus, nec eius procurator fecerunt.

Utique Carolus argumentum pro se proponit, quod scilicet sit senior ex Cassoliorum progenie : atque ad rem syndici Mutinensis chirografum exhibet. At I° haec eius

assertio ex parte videtur falsa : nam Victoria adest, quae et amita ei est ac senior : porro mulieres a iurispatronatus exercitio non excluduntur; 2° vero ex parte videtur inutilis ; nam si praescriptum fuisset ut seniores de familia tantummodo succédèrent, ceteris prorsus exclusis, iam aetatis honor ultro proficeret. At in themate contrarium potius statuitur, ut scilicet haeredes in ius patris ac familiae veniant. Ergo non attenditur aetas.

Retento itaque quod in recitato loco docet Ferraris, scilicet in successione haereditaria qualitates ***haeredis et sanguinis,*** nec alias, prae oculis habendas esse ; iam in themate, dum utraque tam Aloysii quam Georgii proles genus suum legitime probavit, praesertim Corolus Cassoli, qui tum ex ecclesiasticis tum ex civilibus tabulariis Eleonorae et Pauli Cassoli progeniem deprompsit ac probatam voluit; vicissim in puncto haereditatis nec Carolus et Adelaides, nec Aloysia, Anna ac Petrus, a Gregorio prognati, haeredis titulum comprobarunt : ideoque in hoc puncto par est omnium conditio, omnesque eodem fulciri titulo, eodem inficiari defectu videntur.

Attamen probabile videtur utrumque Eleonorae filium, nisi forte etiam filiam Victoriam, familiarium iurium aut ex testamento aut ab intestato evasisse haeredes, sicut praeter pietatis praesumptionem, aliud quoque positivum iudicium suadet.

Factum idest venditionis iurispatronatus, in cuius declaratione paululum immorandum est, non tam ad probandum Georgium ac Aloysium pari consilio parique iure processisse; quam ad ostendendum, filios ex eis natos, qui hodie patronatum postulant, paterno crimine haud implícitos, laesionem inde non pati.

Evulgata itaque ab Italico gubernio pseudo-lege qua patronis permittebatur beneficialia bona sibi usurpare, dummodo tertiam partem fisco cederent, Georgius et Aloysius Cassoli cum hebraeis De Benedetti convenerunt pro venditione sui iuris.

iamvero Georgius et Aloysius Cassoli, imo et Ferdinandus Aloysii filius, qui simoniacam venditionem cum hebraeis in ecclesiae perniciem depacti sunt, non solum in censuras incidisse, sed a iure patronatus deci disse dicendi certo sunt. Et si patronatus fuisset haereditarius exinde etiam eorum filii praeiudicium sensissent. Sed in themate cum patronatus mixtus sit, adeoque in favorabilibus gentilitii quoque qualitates perferat, sequitur, quod Georgii et Aloysii filii, quippe a fundatore vocati, nec patrem auctorem habentes, adhuc patroni iure cumulentur. Rem edocet Fargna ***p. 1 cau. 4 eas. 13 num. 2,*** ubi tradit, quod in patronatu gentilitio, si patronus ius suum vendat, nihilominus « ecclesia non evadit libera, sed vivente patrono simoniaco, si ecclesia vacaret, ad eam praesentaret Episcopus : post vero mortem dicti patroni iuspatronatus transire debet ad illum qui est de genere vocato. Ratio est quia iste non habet iuspatronatus a patrono, qui commisit simoniam, sed a fundatore qui ipsum vocavit ad iuspatronatus, adeoque simonia illius patroni non potest huic praeiudicare. >

Reassumentes itaque quae in hac secunda orationis paragrapho dicta sunt, habemus, vocem Christophori per Timotheum, Iacobi fundatoris filium transiisse in comitissam Corneliam Zobuli, ab ea autem quippe nupta cuidam Cesi, transfusam fuisse in comitissam Eleonoram Cesi : hanc autem tres habuisse filios, Victoriam, quae adhuc vivere videtur, Aloysium, cuius duo filii Carolus et Adelaides supersunt, ac Gregorium primogenitum, cuius filii aut mortui sunt aut silent, tribus tantummodo nepotibus pro iurepatronatu dimicantibus. Porro cum agatur de iurepatronatu ***haeredibus et successoribus suis*** relicto, ad illud sibi vindicandum, praeter qualitatem sanguinis evinci insuper oportere haeredis titulum. At Victoriam hunc titulum non asseruisse, imo neque suam genealogiam adstruisse : Carolum et Adelaidem, sicut Georgii nepotes, genus suum utique probasse; sed de haereditate nec ipsos verbum fecisse : retineri tamen posse, tam ex pietatis praesumptione quam ex facto ven-

ditionis patronatus, in qua uterque frater pares habuit partes, utrumque pariter aut ab intestato aut ex testamento evasisse familiarium iurium haeredem.

Superest loquendum de voce Iacobi quam sublatam dictum fuit Timotheo, et legatam alteri ex Iacobi filiis, nomine Sigismundo, eamque sic cessisse in aliam prorsus descendentiam ac Cassoliorum, silicei in familiam Cagliari.

Ex disceptatis enim in causa ***Regien. Iurispatronatus*** coram Priolo Caffarello et Aldovrando cuius graviores partes modo allegantur, constat, Iacobum anno 1492 constituisse, ut in sua voce et iure praesentandi succederet antiquior et dignior ex suis filiis et descendentibus, dummodo laicus existeret ex legitimo matrimonio natus : quibus verbis, ceu clare patet, is pressius determinatam voluit quoad suam vocem facultatem illam in fundationis tabulis recognitam, qua iuspatronatus ***haeredibus suis et successoribus*** transmissibile praeficiebatur.

Sigismundo successit Ioannes Franciscus, huic Sigismundi iunior, qui plures habuit filios, ex quibus tres Antonius, Hieronymus et Hippolytus descendentibus masculis adhuc honestabantur sub initio saeculi XVIII. Siquidem ex Antonio erat marchio et praepositus Ioannes, ex Hieronymo, Hieronimus iunior, ex Hippolyto Iosephus, Iulius Franciscus et Hippolytus iunior, quos Zobulos Parmenses nuncupari consueverat, eo quod Parmae vivebant.

Porro tunc temporis ex descendentia Timothei filia et haeres Ernesti, ultimaque suae familiae agnata aderat Cornelia tenuioris aetatis puella.

Contigerat autem , ut regiensis Episcopus de suo iure quod a Leonello mutuaverat, temporaneam cessionem sub ***investiturae*** ac ***feudi*** nomine fecisset marchioni Ioanni, Zobuli Antonii filio, de quo supra, ac praeposito.

Vacato itaque tunc temporis quodam beneficio in ecclesia collegiata s. Nicolai, inter hos omnes quaestio nata est. Nam Cornelia Zobuli, sive, quia ipsa erat minor, eius mater ac tutrix Silvia Cultia ad vacantem praebendam

nominaverat sacerdotem Rota. Oomitissae adhaeserat marchio et praepositus Ioannes. Sed vicissim Hieronymus aliique Zobuli Parmenses quemdam Saltinum nuncupaverant, et praesentationem a Cornelia et praeposito peractam mordicus oppugnabant.

Quaestio deducebatur ad S. Rotam, ad hoc ut super alterutrius nominationis efficacia iudicaretur, quae quaestio, ceu patet, ab alia cardinali pendebat de pertinentia vocum. Itaque die Lunae 28 Iunii 1706 proposito in S. Rota coram Priolo dubio, ***an et ad cuius favorem, et pro qua parte constet de iurepatronatu, etiam ad effectum adiudicationis,*** S. Rota respondit, ***pro informantibus,*** scilicet pro comitissa Cornelia et praeposito Ioanne, ac favore nominationis ab iis factae.

Causa iterum coram Priolo, iterumque coram Caffarello ac demum coram Pompeio Aldovrando disceptabatur, Hieronymo ac Zobulis Parmensibus hisce vicibus se defendentibus, sed incassum, quia S. Rota eamdem semper retinuit sententiam, unde tandem decretum executoriale iussit expediri, quod signatum fuit die 4 Iulii anni 1710, quodque in suomet originali habemus ad acta, ab ipso comitis Caroli procuratore productum.

Sed ut valor huius Rotalis rei iudicatae intelligatur, et ut omnia quae hucusque dicta sunt probata maneant, notabiliorem partem illius conclusionis Rotalis ***coram Priolo,*** quae prima fuit, nec non executorialis decreti exhibere oportet.

In priori itaque haec considerantur et tuentur: « Iuxta arborem et documenta exhibita, Cristophorus unus ex fratribus et fundatoribus de anno 1492 donavit suam tertiam partem sive vocem Thimotbeo ex Iacobo fratre nepoti, quae donatio triennio post fuit ratificata et insinuata. »

« De anno 1493 Iacobus alter frater disposuit, quod in sua Toce et iure praesentandi succederet antiquior et dignor ex suis filiis et descendentibus dummodo laicus existeret et natus ex legitimo matrimonio____»

« Et demum de anno 1504 Leonellus tertius frater et fundator suam vocem donavit Francisco Arlotto Episcopo Regien., et eius in episcopatu successoribus— »

« Ex hac serie facti cum resultet dictum Iuspatronatum esse regulandum a titulis particularibus volitis ab ipsis fundatoribus, non videtur posse controverti primam vocem (Cristophori) spectare ad comitissam Corneliam— »

« Ex speciali investitura Episcopi Regien, innegabile quoque est ius marchionis Ioannis quoad unam ex tribus vocibus ; ***nam de prima donatione Leonelli favore Episcopatus, ultra allegatum publicum instrumentum, constat per rem iudicatam nostri tribunalis coram De Rubeis Oradino et Robusterio... ».***

« Supponitur tamen controvertibilis altera proveniens a Iacobo, cuius linea masculina ex Sigismundo reperitur in plures diramata, nempe in dictum marchionem Ioannem praepositum ex marcinone Antonio, ex Hieronymo seniorem in Hieronymum iuniorem, et ex Hippolyto in Iosephum, Iulium, Franciscum et Hippolytum iuniorem, omnes Parmenses et adversarios in causa. Scribentes enim pro praeposito asserebant hanc vocem ad illum quoque spectare ; quia procedendo etiam cum lectura supradicti instrumenti ipse erat antiquior aetate et dignior ratione ecclesiasticae dignitatis. Neque obstat quod antiquior debeat esse laicus, nam etc. »

Et concluditur: « Firmata pertinentia dicti iurispatronatus, iuxta distinctionem vocum superius enunciatam, controversa cappellania adiudicanda venit Ioanni Baptistae Rotae, qui fuit praesentatus a comitissa Cornelia, cui praesentationi adhaesit marchio praepositus Ioannes, qui sunt in totum, vel saltem pro duabus partibus, patroni, et ulterius causam habent ab iis qui fuerunt in quasi possessione praesentandi, ad exclusionem Saltini praesentati a ceteris de familia, qui ad summum habere possent vocem derivantem a Iacobo, si Praepositus tamquam clericus remaneret incapax. »

Ex quibus iam patet, omnia hucusque asserta, scilicet donationem a Leonello Episcopi favore peractam, Iacobi legem quoad successionem in suo iure, ac donationem Christophori pro Timotheo decretam mirifice firmari. Insuper habetur Iacobi vocem recognitam fuisse Zobulis Parmensibus, Leonelli in Episcopo et investiiis ab eo, ac demum Christophori ius, et hoc unum nec ultra, comitissae Corneliae fuisse concessum. Quod autem S. Rota intricatam quaestionem de pertinentia Iacobi vocis inter plures Sigismundi haeredes definire noluerit, id ex eo derivavit, quod ad ortae litis solutionem satis erat in aprico posuisse ad quosnam spectarent duae ex tribus vocibus, easque in unum ex praesentatis concurrere.

Sed praestat ipsum executoriale decretum in hac causa expeditum ob oculos ponere. Ibi etiam quibusdam de more atque historice praehabitis, ita S. Rota prosequitur : « Prima vice formato desuper per eumdem R. P. D. Priolum particulari dubio, illoque sub die 28 Iunii 1706 in plena Rota proposito, ibique ad plenum et mature discusso et resoluto, ***constare de iurepatronatus collegiatae ecclesiae s. Nicolai favore comitissae Corneliae et praepositi Ioannis marchionis de Zobulis etiam ad effectum, ut una ex illis cappellanus adiudicari deberet Ioanni Baptistae Rotae ab eis praesentato ;*** et in nova propositione habita sub die 25 Iunii 1708, partibus hinc inde informantibus, confirmato, ex iuribus et rationibus expressis in decisionibus desuper extensis; tandem R. P. D. Priolus... » tulit et promulgavit sententiam definitivam sub huiusmodi tenore, scilicet: - Praesentationem et nominationem favore et in personam dicti sacerdotis Ioannis B. Rotae... fuisse et esse rite et recte ac legitime facta____Item pari nostra definitiva sententia, ac procedentes ut in prima, dicimus, pronunciamus, decernimus, declaramus ac definitive sententiamus, iuspatronatus dictae venerabilis ecclesiae insignis collegiatae s. Nicolai, et ius nominandi ac praesentandi ad praeposituram necnon ad omnes presbyterales praebendas seu cappel-

lanías____spectavisse et pertinuisse spectareque et pertinere nunc et in posterum ad dd. Marchionem et praepositum Ioannem, nec non ad comitissam Corneliam de Zobulis pro duabus ex tribus partibus, nempe ex linea seu voce Christophori in d. comitissam Corneliam, et ex linea seu voce Leonelli, confundatorum dictae ven. ecclesiae collegiatae, in reverendissimum pro tempore Episcopum civitatis Regii, sive eius mensam episcopalem, ac in vestitos ab ea, et sic in d.m marchionem praepositum Ioannem a dicto Episcopo investitimi transfusa; proptereaque favore dictorum marchionis Praepositi Ioannis ac comitissae Corneliae De Zobulis pro duabus ex tribus partibus ex legitima fundatione et dotatione constitisse et constare de iurepatronatus super dicta ven. ecclesia collegiata s. Nicolai, ac de iure praesentandi tam ad praeposituram quam ad omnes presbyterales praebendas seu cappellanias et ad clericatus in eadem ecclesia fundatas et erectas. >

Haec sententia, a victis De Zobulis appellata, confirmata adhuc fuit die 5 Iulii 1709 coram Cantarello. Sed cum « ab alio vero capite supradictae sententiae super iurepatronatus parte eorundem De Zobulis Parmensium fuerit appellatum » causa commissa est Magistro Pompeio, qui iterum « dubio sub die 21 Maii 1710 in plena Rota proposito, ibique ad plenum et mature discusso et ad favorem eorumdem DD. Ioannis marchionis praepositi et Corneliae comitissae De Zobulis resoluto, tandem servatis omnibus et singulis de iure.... sententiam definitivam praecedentium sententiarum RR. PP. DD. Prioli et Caffarelli in omnibus confirmatoriam > tulit et promulgavit. Quae tandem, ut iam dictum est executoria evasit die 4 Iulii 1710.

Quae cum ita sint, haud intelligitur quod in suis allegationibus Caroli Cassoli procurator praecedenter praetexuit, haec inter alia affirmans, scilicet : « Res iudicata rotalis attribuit Corneliae Zobuli duas ex tribus vocibus patronalibus, cum altera ut vidimus fuit attributa Ioanni marchioni Zobuli. » Et alibi: « E vivis excesso Ioanne marcinone

Zobuli sacerdote et praeposito absque successore, utroque presbytero, clare evidenterque descendit, quod vox illi spectans devoluta est Corneliae Zobuli, ***(sic)*** quae e duabus e tribus vocibus attributis, devenit unica et in tribus vocibus patrona. >Atque iterum : «Praepositus marchio Ioannes... cum decessisset absque successione, sua vox patronalis devolverai ***(sic)*** ex iure ad Corneliam. »

Ubi orator aut ignorare aut non intelligere quam citat rem iudicatam rotalem aperte videtur, et insuper supponere inter tres lineas ius accrescendi existere, quod falsum pariter est.

Sed haec respexisse nimium ne sit ; verum continuo dicendum est de iis qui successerunt in voce Iacobi. Itaque eam tunc spectavisse ad Zobulos Parmenses, nam praepositus Ioannes aut eam quippe clericus habere non potuit, aut certe sin minus successoribus nequivit transmittere, S. Rota definiit. Porro Zobulorum Parmensium progenies desivit in Nicolao Zobuli, qui praepositus fuit, ultimusque familiae agnatus, quique supremum diem obiit 26 Iunii 1802.

Ab eo autem Iacobi vox testamento relicta est haeredi suae, Mariannae Cagliari, a qua pervenit in Baptistam Cagliari, qui, hoc saeculo mediante, cum quaestio circa praepositurae provisionem coram S. C. C. agitabatur patronus pacifice agnitus est.

Sed oportet et hanc causam summatim expendere, ex qua non modo superius, sed et modo dicta firmantur.

Praepositura s. Nicolai anno 1837 viduata rectore, comitissa Eleonora Cassoli-Lorenzotti veniam petiit dispensationis favore Ferdinandi, sibi ex Aloysio filio nepotis, annos nati fere quindecim; exponens, «nominationi suae et alteram accedere compatroni Io. B. Cagliari, ac alteram Episcopi, cui ex donatione vox pertinet Leonelli de Zobulis » - prout legitur in facti specie ***Regien. Iurispatronatus*** sub die 18 Septembris 1841. At Episcopus ad nominationem Ferdinandi Cassoli consenserat sub conditione, ut praepositura imme-

diatae suae iurisdictioni subiiceretur et animarum cura a praepositura secerneretur. Vicissim aderant canonicus Bernerius et sacerdos Denaglia, qui nedum activo sed et passivo iurepatronatus potiri conclamabant, ideoque se quippe digniores et capaces, prae puero Ferdinando incapace, esse ad praeposituram nuncupandos.

Propositis itaque quatuor dubiis, I. ***an haeredibus et descendentibus a fundatoribus competat ius patronatus passivum, ita ut et cuius favore danda sit institutio in casu,*** II. ***an et quomodo consulendum sit SSmo super dispensatione aetatis favore clerici Ferdinandi Cassoli,*** III. an praepositura esset subiicienda immediatae iurisdictioni Episcopi, IV. an animarum cura secernenda esset a Praepositura; S. C. C. ad 3^m et 4^m respondit: - ***Negative et servetur resolutio S. C. diei 30 Ianuarii 1836*** - ad l^m vero et 2^m respondit : - ***Dilata et coadiuventur probationes, praesertim quoad descendentiam oratorum a stipitibus in apostolicis Uteris designatis, nec non super adimplemento conditionis quoad secundam dotationem*** - scilicet quoad augmentum dotis, quam fundatores spoponderant, quamque absolute praeceperat Pontifex Alexander ad effectum assequendi passivi iurispatronatus privilegium.

In secunda propositione quae locum habuit die 4 Iulii 1842, duobus ultimis dubiis sepositis, iterum in disceptationem venerunt duo priora puncta. Porro Cassolii pro sua parte tuebantur, descendentibus ex Zobulis patronatum passivum haud competere ; ideoque Denaglia et Berneriurn in vanum contendere: Ferdinandum vero Cassoli, utpote a patronis legitime praesentatum, esse admittendum. E contra Denaglia et Bernierius amico foedere prius iuris patronatus passivi existentiam pro viribus defendebant; deinde pari consilio tuebantur dispensationem a Ferdinando Cassoli expetitam nec convenientem nec assuetam esse ; ideoque nec dari debere ; sed demum contentio inter eos erat super institutione : alter enim alterum arcere satagebat, ut unus prae alio in institutione praeferatur. Hinc suas quisque allega-

bat genealogias per feminas cum Iacobo De Zobulis communicantes, suasque qualitates quisque prae alio extollebat, Denaglia praesertim, qui asserebat se nominationem alterius ex patronis nempe L B. Cagliari obtinuisse: hic enim revocata priore nominatione, Ferdinandi Cassolii favore facta, in Denagliam suffragium suum contulerat. Quibus stantibus ad 1m dubium BE. PP. responderunt : ***Affirmative quoad primam partem*** - scilicet iuspatronatum passivum descendentibus a fundatoribus competere ; - ***quoad secundam*** - scilicet, cuiusnam favore danda esset institutio, - ***esse locum novae nominationi per compatronos.*** Ad 2m vero : ***Provisum in primo.***

Reclamantibus Cassoliis, iterum causa acta est die 24 Augusti 1844; sed interim mortuo Denaglia, sacerdos Aloysius Guidetti eius consanguineus, qui usque tum a iudicio abstinuerat, ne consanguineo suo praeiudicaret, in aleam descenderat, eumque sequutus quoque fuerat quemdam Suzari. Porro hac vice, vita functo Denaglia; I. B. Cagliari suffragium suum restituerai Ferdinando Cassolio, qui ideo, prout legitur in S. C. C. syllabo, « binas voces, illam nempe a viae Eleonorae et « illam I. B. Cagliari » afferebat.

Dicebat autem Ferdinandi orator, quod quidem ad rem nostram valde refert, haud posse dubitari de horum duorum compatronorum iure.

Praemisso enim, iuspatronatus in quaestionem haereditario iure trasmitti oportere, idque probari « ex patula lege diplomatis Sixti IV anni 1480 et 1481 » etc.; addebat: « Hoc probavit etiam Rotalis sententia rei iudicatae vires adepta... quae insuper declaravit trientem iurispatronatus, id est ***portionem Christophori tunc temporis spectasse ad Corneliam Zobuli,*** trientem Leonelli ad Episcopum, ***illum vero Iacobi ad Zobulos Parmae degentes ;*** nam hi contra primos in eo iudicio contendebant voce nisi qua potiebantur. Et sane, vox haec, quae ex ipsius Iacobi dispositione a Iacobi seniore possideri debebat, ***diu apud***

illos mansitj ceu constat eco saeculari pacifica observantia, usque ad mortem postremi agnati Nicolai Zobuli 26 Iulii 1802, quo tempore exaruit progenies agnatitia Zobuiorum. >

Atque concludens orator aiebat : « opportunis, itaque, documentis constat, vocem Cristophori transiisse in Eleonoram, Corneliae Zobuli pronepotem, in qua coaluere iura patrui Ferdinandi Cesi. . . . . Constat praeterea vocem Iacobi, ex ultimo possessore agnato Nicolao de Zobulis, defuncto sub anno 1802, cum quo exaruit progenies agnatitia Zobulorum Parmensium, rëlictam fuisse testamento haeredi illius, Mariannae Cagliari, a qua pervenit in Ioannem Baptistam Cagliari, qui hodie patronus merito reputatur, et cui in executivo, quo versamur, institutionis iudicio, vel una possessio sufficit, quae in dubium a nemine revocatur ».

Hisce praeiactis, Ferdinandus institutionem sibi prae ceteris dandam esse inferebat, adeoque etiam dispensationem super aetatis defectu.

At tres alii 'contendentes id prorsus oppugnabant : idque, quod sedulo praestat notare, non quidem ob defectum iuris in nominantibus, quod ius imo videntur passim admittere, aut saltem certe non adversari ; sed ob incapacitatem nominati: quia « scilicet nominationem retulit omnino nullam... quia nominatio collata est in incapacem... quia defuit conditio quae, ex parte Episcopi ab initio adiiciebatur, animarum nempe curam secernendi a praepositura... quia, demum, relate ad nominationem I. B. Cagliari, a conditione pendet dispensationis, quam incivile est impertiri.

Verum si unitis viribus parilique consilio Bernerius, Guidettus et Suzari contra Cassolum dimicabant, dein vero, singuli sua protuentes, dividebantur, et unusquisque maioribus meritis fulgere, strictiorique cum Zobulis affinitate pollere praedicabant: verumtamen de suis genealogiis probandis haud fuerant plene solliciti, Suzari praesertim, qui unum genealogicum schema nullo documento innixum exhibuerat.

Unde sapienter S. O. respondit: ***Dilata et coadiuventur probationes super arbores genealógicas.***

Quarto demum relata causa die 7 Iunii 1845, inventum est, I. B. Cagliari iterum mutasse consilium : « obtestatus est, prout legitur in S. C. C. Syllabo, sese nullam edicere nominationem factam erga Cassolum, quippe sub conditione dispensationis, quam hodie minus aequam agnoscit expletam, » atque ita suffragium transtulit in Guidettum: Episcopus pariter se Gui detti o favere profitebatur; ideoque hic, quippe sufficienti patronorum nominatione munitus, et sanguinis etiam cognatione, quam hac vice rite probaverat, suffultus, pro institutione dimicabat.

Bernerius e contra « causam ex iurepatronatus passivo definiendam fore » contendebat, ideoque in hunc sensum plura cumulavit.

Suzari demum haud sategit quidquam in suae genealogiae confirmationem adducere; dum Cassolius ad disputata in praecedentibus causae actionibus se remisit.

Unde tandem S. C. C. ad dubia, ***an standum esset in decisis,*** conclusit « ad lì", in decisis, et esse explendas nominationes intra quadrimestre sive favore Bernieri, sive favore Guidetti, ita ut ei detur institutio qui maiorem nominationum partem obtinuerit. Ad 2^{m}, provisum in primo.»

Nominatus exinde extitit Guidettus, quem EE. PP. norunt ultimum praepositurae possessorem fuisse.

Interim ex universo causae modo relatae tenore, quin plura adiiciantur, aperte eruitur, divisionem trium vocum patronalium, ab omnibus tunc temporis fuisse recognitam ; vocumque pertinentiam, idest vocem Leonelli in Episcopo, vocem vero Cristophori in Eleonora Cesi seu Cassoli-Lorenzotti, ac demum vocem Iacobi ex Zobulis Parmensibus in I. B. Cagliari reperiri admissum fuisse.

Denique vero ad probandam transmissionem vocis Iacobi in familiam Cagliari, quod est praecipuum huius paragraphi assumptum, factum suppetit venditionis iurispatronatus, de quo scribebat defunctus Praesul Regiensis litteris diei 14

Ianuarii 1885: ius nominandi ad praepositururam ad me tantum exclusive pertinet; quoniam compatroni ultimi Cassoli et Cagliari duas habentes voces, cum tertia iam in iure meo esset, omnia vendiderunt hebraeis iura sibi spectantia super Collegiatam dictae Ecclesiae. Ex qua venditione, iuxta sacros canones, iuspatronatus iidem amiserunt ob censuras, quibus irretiti sunt.

Porro nec familia Cagliari vendidisset, nec, eo magis, astuti filii Israel émissent ius, praesertim post trium annorum considerationem a contractu cum Cassoliis inito, nisi certi de eius veritate ac proprietate extitissent. Quapropter hoc pactum, licet utique in se nefarium, iuris tamen possessionem videretur indicare.

Ex quibus omnibus videretur pro familia Cagliari similis urgeri posse conclusio, ac pro Cassoliorum familia superius est indicatum, attamen quaenam sit punctim in praesenti statuenda, silente familia Cagliari, dictu facile haud est.

Tandem accedendo ad ultimam huius syllabi paragraphum, in qua de deductis olim a nonnullis Zobulis et a De Medici, et de aliis quae in praesentiarum familia Monesi producit, breviter loquendum est.

Itaque sub initio anni 1885 cum coram S. C. C. disceptaretur circa praepositurae provisionem, duo fratres sacerdotes, Aloysius et Silvester Zobuli, et Angelus Zobuli e Roncocesi, et ipse sacerdos, nominis consonantia confisi, nobilium Zobulorum collegiatae fundatorum agnatos se praedicabant; at frustra. Nam probatum tunc fuit, sicut et hodie, nobilium Zobulorum agnationem desiisse in Nicolao Zobuli sub huius saeculi initio. Insuper observabatur, duos fratres Aloysium et Silvestrum Zobuli nullum pro re sua documentum exhibuisse: Angelum vero e Roncocesi schema genealogicurn utique produxisse, sed ibi praecise mendax, ubi connexio descendentiae fiebat. Siquidem hic inter suos ascendentes connumerabat quemdam Franciscum, qui ex baptismatis fide renunciabatur filius Paschalis Agnetis Cagossi,

natus mense Februario 1640: hunc autem ex arte confundebat cum Francisco e Iacobo Zobuli, collegiatae fundatore prognato ; at ex maxima aequi vocatione ; quippe quia hic Franciscus, Parmae, ex Sigismundo et Maria De Zobulis, anno 1656 constabat natus. Cum itaque Angeli Zobuli aliorumque sacerdotum contentio nec figuram boni iuris praebeat de ea dixisse nimium iam est.

Succedit De Medici, nomen S. C. C. notissimum. Porro hic, sive pater sive filius, quia par utriusque est conditio, cum primum S. C. C. adibat ad beneficium praepositurale sibi vindicandum inter alios titulos hunc quoque afferebat, nimirum se cum Iacobo De Zobulis collegiatae fundatore coniungi. Et revera ad acta produxit documenta, quibus ostendebat ex Iacobo fundatore, per Sigismundum seniorem Ioannem Franciscum, Sigismundum iuniorem, Hieronymum ac Mariam natam esse Catharinam, quae nupsit cuidam Parisetti; et exinde per feminas, nempe per Claudiana, Franciscam et Paulam, quae postrema nupsit corniti Grimaldi, natum esse Ioannem Grimaldi, ex quo Aloysius, ex quo Victoria; quae tandem matrimonio data est Antonio De Medici sacerdotis Aloysii patri, et iurispatronatus assertori.

At ex hac una descendentiae enunciatione argumentum non aspernabile habetur de inefficacia petitionis ipsius De Medici.

Recolendum sane est quod superius innuebatur, scilicet I° Iacobum vocem suam reliquisse seniori masculo, laico ac digniori, ex legitimo matrimonio nato. Et quamvis verum sit, feminas in defectu masculorum ad iurispatronatus exercitium admitti solere, licet a fundatoribus ab initio masculi tantummodo fuerint vocati, Ferraris ***v. Iuspatr.*** § ***2, n. 11 seqq.***/hoc tamen non refert. Nam ex enunciata De Medici genealogia apparet, ipsum cum linea agnatitia Iacobi coniungi per Mariam Hieronymi Zobuli Parmensis filiam, quae vixit sub initio saeculi XVIII: atque tunc temporis alii masculi de eadem familia vivebant ; quin imo eorum agnatio non desiit, nisi in Nicolao Zobuli praesentis saeculi initio. Ergo

nihil iuris transire potuit in Mariam, adeoque neque ab ea in successores transmitti.

Accedit 2° quod ex relatis superius argumentis de facto constare videatur, Iacobi vocem a Zobulis Parmensibus in Nicolaum Zobulis, ultimum familiae agnatum, et ab eo sub huius saeculi initio in familiam Cagliari transfusam fuisse.

Insuper 3° cum agatur de iurepatronatus ***haeredibus et successoribus*** relictum, qui ad ipsum optat utramque qualitatem pro se demonstrare adigitur. Porro si successionem seu sanguinis affinitatem De Medici evicit, haereditatis nomen non adstruit, imo forte nec adstruere unquam poterit; nam familiaris atque ambitiosi patronatus privilegii tot feminas, exclusis masculis, qui in singulis generationum gradibus inveniri plerumque debuerunt, haeredes evasisse, inverosimile prorsus videtur.

Demum 4°, omnibus etiam omissis, id contra De Medici obstare videtur quod sit remotior ; nam ipse in XI a fundatoribus generatione subsisteret, dum e contra adsunt Monesii, et eo magis alii de quibus supra, qui proximiores fundatoribus essent. Monesii enim dicunt et tuentur, se in decimo genealogiae gradu a fundatoribus Zobulis vivere. Porro, ceteris deficientibus adminiculis, ad statuendam successionem in iurepatronatu lineari ac mixto proximitatem cum fundatore attendi oportere, evincit Pitonius, qui ad rem in opere ***De controv. patron, alleg. X n. 9*** haec habet: < Ubi agitur de iurepatronatus gentilitio restricto, sive ad unam certam lineam, seu etiam plures lineas, quod alias appellatur Iuspatronatus lineale, ubi scilicet illud reservatum fuit certis personis de familia, earumque descendentibus... in isto casu verior sententia est quod iuspatronatus-deferatur gradatim, et ordine successivo iuxta regulas fidecommissarias, ita ut... proximiores excludant remotiores, ut tradunt... Rota ***coram Bichio dec. 206,*** et in ***Mediolanen. Prioratus 15 Februarii 1700 § Doctrina vero, coram Rever. Molines Decano. . . . . . .*** ut in puncto Card. Anton. De Luca, ***De Un. legal, artic. 23 num. 15 ad finem.***

ubi optime advertit quod collectiva agnationis et familiae non habet lineam, secus autem collectiva liberorum descendentium et generationis, quae habet lineam et gradum, et subiungit - ibi - in quo casu cum linea sit collectio plurium personarum gradum distinguens, consequenter succèdent in iurepatronatus illi de linea ordine successivo iuxta graduum proximitatem,—et comprobat Balducc. ***Decis, et re iudic tit. 3 disc. 37 n. 31. »***

Itaque relicta De Medici instantia, ad Monesios tandem accedamus oportet. 'Age vero quinque fratres filii, cuiusdam Iosephi Monesi, post publicum citationis edictum, S. C. C. adiverunt proclamantes eadem iura, non secus ac Carolus Cassoli Lorenzotti ; nam ceu ille, et in pari gradu, se descendere aiunt a Timotheo, filio Iacobi Zobuli.

Quinqué fratribus Monesi cito accesserunt, venientes non tam ad pugnam quam ad predae divisionem ; accesserunt, inquam, quatuor sorores, fratribus actoribus consobrinae, Ioannis Monesi filiae.

Quapropter secundum allegatum ab eisdem schema, familia Monesi originem adstruens ex Timotheo, eius iuris contenderet esse haeredem. Timotheus autem ex Cristophori donatione, eius vocem assequutus est.

At vero ex superius dictis constat Timothei trientem per Alphonsum et Ernestum transfusum integre fuisse in Corneliam, et ab ea, quae nupsit Carolo Cesi, delatum fuisse Eleonorae et familiae Cassoli Lorenzotti ; ergo Nicolaum eiusque filiam Camillam, quae comitissae Corneliae exhibetur coaetanea, et ex qua derivant Monesii, haud quidquam habuisse sequitur. Et quamvis Monesii praedicent Nicolaum prae Ernesto primogenitum fuisse Alphonsi filium; hoc tamen non proficit I° quia id evincendum esset; 2° quia licet id habeatur verum, nihilominus supponi legitime posset, primogenitum paterni iuris non fuisse relictum haeredem; demum 3° quia quidquid tunc contigerit, quod inter antiquitatis tenebras delitescit, certum est quod res iudicata Rotalis sub initio saeculi XVIII recognovit, statuit ac de-

fìniit in una comitissa Cornelia Zobuli universum trientem Christophori solidatum fuisse ideoque exclusit Camillam.

Quae quidem conclusio eo fortius sustinenda videtur, cum Monesii de suis gradibus aliisque necessariis evincendis haud fuerint rite solliciti : nam produxerunt utique ex parochialibus ac municipalibus tabulariis documenta, quibus se nepotes esse Antonii Monesii demonstrarent : at quoad praecedentes gradus nulla legitima monumenta produxerunt, sed tantummodo excerpta quaedam, per epitomen libata, quae dicunt desumpsisse ex duobus diversis libris.

Ibi autem de genealogiis quaedam confuse congeruntur; nihil autem de successione et de haereditatis iuribus indicatur. Ideoque quin ulteriora urgeantur, cum superius dicta contra De Medici, congrua congruis referendo, contra Monesios quoque militare videantur, iam de iis haec innuisse satis sit.

Et haec quidem universa dicta sunt circa prioris dubii materiam ; quo vero ad secundum dubium, aliquid depromptum est ex sola speciei narratione. Etenim cum ob familiares angustias comes Carolus Cassoli Lorenzotti subsidium petiisset de praepositurae reditibus, Apostolica Dataria retinens in facto beneficium S. Nicolai purgatas quotannis 9600 libellas habere, et tertiam tantummodo ex his partem agentium patronorum favore reservari posse, ac demum considerans Carolum nonnisi unum ex tribus patronis esse ; subsidium 1200 libellarum praefixit. Comes autem Carolus praesumens unicum universalemque se esse patronum, et beneficium reddere quotannis 18000 libellarum, petebat sin minus 6000 libellarum, eaque dividenda ac reversibilia in sororem ac matrem suam.

Quibus praenotatis, proposita fuerunt enodanda sequentia

Dubia.

I. ***An et cuius favore constet de iurepatronatu in casu.***

II. ***An et in qua summa sit ei ampliandum subsidium in casu.***

RESOLUTIO. Sacra Congregatio Concilii re cognita sub die 18 Februarii 1888, censuit repondere : Ad I. ***Favore Ordinarii tantum.*** Ad II. ***Negative.***

Ex QUIBUS COLLIGES. I. In iurepatronatus ab initio reservato pluribus distinctis lineis, potest una linea ius suum dono dare aut transferre in alium, licet extraneum, quin ceteri compatroni conqueri possint : quia tunc tot habentur patronatus, quot sunt lineae ; et vox unius non transit ad alteram.

II. Quando institutor unum unicuique ius constituit, unamque lineam aut familiam, aut successionem designat, si decursu temporis contingat plures in ius fundatoris succedere, omnes in solidum patronum repraesentant, et ius accrescendi locum habet, altero deficiente.

III. Certum est, patronum non posse valide transferre patronatum gentilitium in extraneum, in praeiudicium eorum qui a fundatore contemplati sunt et adhuc existunt; sed hoc fieri posse si de communi consensu isti approbent hanc translationem aut donationem.

IV. Donationem et translationem in themate favore Episcopi omnibus praeditam esse legalitatis punctis ; nam ipse fundator donationem sui iuris perfecit; auctoritate apostolica donatio haec sancita fuit, et constanti praxi, a primis temporibus ad ultimam usque vacationem, indesinenter confirmata.

V. Iuspatronatus ex sacrorum canonum sanctione vendi nequit; ita ut patroni, qui secus egerint excommunicationis et interdicti poenis subiiciuntur, et ipso iurepatronatus privantur.

VI. In themate ultimi compatroni apud quos erant duae ex tribus vocibus, cum censuris irretiti fuerint ex venditione facta, ius proprium amiserunt in poenam ; et beneficium integrum declaratum fuit liberae collationis Ordinarii.

EX S. CONGR. EPISC. ET REGULARIUM

VENETIARUM

PRIVILEGIORUM

Die 24 Februarii 1888.

COMPENDIUM FACTI. Venetiis inter septa Prioratus s. Ordinis Hierosolymitani hortus cum domu adnexa existit, nonnulli ab hinc annis cuidam Antonio Rossi beatus, qui una cum sua familia praedictum hortum colit, et parvam domum habitat.

Vertente mense Augusti anni 1885 ipsius uxori graviter aegrotanti parochus s. Francisci, intra cuius paroeciae ambitum palatium Magni Prioris situm est, sacramenta Confessionis et Communionis ad formam Viatici administravit. Brevi morbus eo gravitatis pervenerat, ut parochus praesto esset ad extrema sacramenta ei conferenda, quando Magnus Ordinis Prior, qui rem cognoverat, proprium capellanum conventualem ad praedictum parochum misit, ut eum delegaret pro adsistentia mulieri morti iam proximae praestanda, et praeterea ipsi significaret, quod absque eius consensu nullum actum iurisdictionis parochialis exercere valuisset super muliere infirma , quippe quae inter Prioratus septa habitabat, idque in vim privilegiorum, quibus ordo fruebatur.

Ad haec obstupuit parochus, praesertim quia optime noscebat, quod in ecclesia priorali neque ss. Eucharistia, neque Oleum sanctum asservabatur, et dictus capellanus ad confessiones excipiendas haud erat adprobatus, neque facultatem habebat benedictionem ***in articulo mortis*** impertiendi.

Res Emo Patriarchae delata fuit, qui ad S. C. Ep. et Reg. recursum fecit, et invocata Constitut. Gregorii XIII ***Circumspecta in omnibus,*** et altera Benedicti XIV ***Inter illustria,*** nonnulla dubia enodanda proposuit.

Disceptatio Syiioptica.

QUAE EMIN. PATRIARCHAE FAVERE VIDENTUR. Emus Patriarcha, ut evincat familias inserviendum s. Ordinis Hierosolymitani cum ipsis degentes, vel inquilinos et conductores honorum et locorum ad praedictum s. Ordinem pertinentium parochorum iurisdictioni obnoxias esse, allegat prae primis Oonc. Tridentinum ***Sess. 24 Cap. XI de Reform.***

Re sane vera s. Synodus ad tollendos abusus, qui, propter privilegia et exemptiones multiplicabantur, loco citato, decrevit, ut decorati titulis protonotariatus, capellani regii, vel quomodocumque monasteriis addicti, Episcopis tamquam Apostolicae Sedis delegatis omnino subiecti essent, ***exceptis iis*** (sunt verba Concilii) ***qui praedictis locis aut militiis actu serviunt, et intra eorum septa et domus resident, suoque eorum obedientia vivunt; sive iis, qui legitime et secundum regulam earumdem militiarum professionem fecerint, de qua Ordinario constare debeat; non obstantibus privilegiis quibuscumque etiam religionis s. Iohannis Hierosolgmitani et aliarum militiarum.***

Mox citatam Conc. Tridentini dispositionem anno 1580 ad observantiam revocatam fuisse a Gregorio XIII, qui in sua Constitutione ***Circumspecta in omnibus*** sermonem instituens de qualitatibus , quas praeferre debent inservientes s. Ordini Hierosolymitano addicti, ut a respectivis Ordinariis tamquam delegatis Apostolicis exempti sint, huiusmodi qualitates, una simul concurrere debere, hisce verbis declaravit : « exceptis tamen iis qui ecclesiis aliisque locis » dictorum militum ***actu*** serviunt, et intra eorum septa et ***y***> domos resident ac sub eorum obedientia vivunt, ***quae omnia » simul concurrere*** intelligantur ; sive iis qui legitime et » secundum regulam praedictae Religionis professionem fe- » cerint, de qua loci Ordinario constare debeat. »

Tandem, Benedictum.XIV praedictum, Conc. Tridentini decretum et subsequentem Gregorii XIII Constitutionem, ad instantiam praedicti Ordinis, Constitutione ***Inter illustria***

anno 1753 ratam habuisse statuendo : « Omnia et singula » privilegia, immunitates, exemptiones, praerogativas... per » eosdem Praedecessores Nostros Romanos Pontifices, ac di- » etam Sedem, seu per Nos ipsos, usque in praesentem diem » in genere vel in specie concessa et elargita, seu per eos- » dem a pro tempore existentibus Imperatore, Regibus et » Principibus, aliisque christifidelibus obtenta, quatenus sint » in usu, ***nec sint expresse revocata aut Concilii Triden- » tini Decretis et dictae Sedis Apostolicae Constitutionibus » nec non aliis Ordinationibus,*** in quibus de eadem Militia » Hospitali expressa mentio fiat, ***seu praesentium Litera- » rum Nostrarum tenori,*** adversantia. »

Iamvero ex s. Ordinis Hierosolymitani statutis, manifestum apparet inter ***servitores*** comprehendi ***armis addictos,*** qui de honesta familia esse debebant; ***presbyteros*** vel ***fratres obedientiae,*** sic vocatos, quia Priori obediunt, qui ad hunc effectum eos excipit, ut scilicet in Prioratibus aut in parochiis seu ecclesiis Ordinis inserviant; ***Donatos,*** qui erant uxorati et conventui ac hospitali addicti, tandem ***inservientes ex officio servitores,*** qui in hospitalibus serviebant. Et hos omnes **a** parochorum iurisdictione exemptas esse urget, dummodo inter Prioratus septa habitarent, quia vota emittebant.

Aliter tamen, dicendum esse autumat de iis ***servitoribus,*** qui salarium recipiunt, quique professionem religiosam non emittunt. Hos quidem haud comprehensos esse inter ***servitores,*** de quibus tum Concilium Tridentinum, tum praefatae Bullae Pontificiae verba faciunt, ideoque a parochiali iurisdictione haud exemptos esse.

Idque confirmari ab S. C. Ep. et R. quae quinque conditiones requiri decrevit, ut inservientes Ordinis Hierosolymitani a iurisdictione eximerentur, ceu videre est in Uritana diei 18 Maii et 7 Septembris 1726, ubi haec leguntur: « Inservientes > religionis s. Ioannis Hierosolymitani, ut exemptione fruan- » tur, debent habere qualitates sequentes : prima est, ut actu » inserviant ; secunda ut resideant intra domos et septa ;

» tertia, ut sub obedientia Ordinis vivant; quarta, ut pro-
» fessionem emiserint; et ultima, ut praedictas omnes qualitates coram Ordinario verificaverint. »

Cum itaque luce meridiana clarius pateat familias inserviendum s. Ordinis Hierosolymitani, vel inquilinos et bonorum locorumque ad praedictum s. Ordinem pertinentium conductores, huiusmodi qualitates haud praeferre, Patriarcha concludit ipsos a parochiali iurisdictione eximi non posse.

Ad secundum dubium quod spectat, animadvertit, quod Benedictus XIV, citans Fagnanum ***Cap. Quod super his. De maior, et obed.*** in suo opere : ***De Synod, dioeces. I. IX c. 15,*** docet quidem, Ordinarios leges et decreta edere non posse, quae privilegia a s. Sede Regularibus concessa laedant ; nihilominus leges et dispositiones excipiendas esse tradit, quae curam animarum, sacramentorum administrationem et ea omnia respiciunt, quae regularium exemptionem minime offendunt.

Animadvertit insuper, teste Suarez ***de legibus lib. 4 Cap. XX n. IO,*** Regulares teneri legibus obtemperare et decreta generalia observare illius Dioecesis, in qua morantur, casu, quo aliter scandala vel difformitas ab aliis dioecesanis evitari haud possent. Ratio est, quia dicta privilegia ***in bonum cedere debent et aedificationem inservire, et non e contra malum importare et esse ad destructionem.***

Ex quibus deduci posse censet, Regulares ad externam ecclesiarum disciplinam et ad observantiam illorum decretorum teneri, quae Ordinarius ad scandala impedienda conferre putat.

Quod conforme videtur doctrinae a S. C. Concilii traditae ***in Ugentina diei 2 Martii 1861,*** in qua, cum s. Congregatio perspiceret, ex regularium ab Episcopi decreto exemptione praeiudicium animarum et ab aliis ecclesiarum rectoribus difformitatem obventuram, hinc ad huiusmodi mala praecavenda, decrevit ut Regulares decreto ab Episcopo edito obtemperarent. Et in ***Caputaquen. diei 2 Augusti 1860,*** ubi

agebatur de Episcopo, qui propriam ordinariam iurisdictionem super locis Rodii et s. Mauri tuebatur, contra Baiulivum s. Euphemiae, qui huiusmodi loca, utpote s. Ordini Hierosolymitano spectantia, exempta esse contendebat.

Controversia ad S. C. C. delata et proposito dubio : ***An Episcopus Caputaquen. exercere valeat omnimodam iurisdictionem ordinariam in locis Rodii et s. Mauri; seu potius talis iurisdictio competat Baiulivo s. Euphemiae ;*** S. O . C respondere censuit : ***spectare Episcopo iurisdictionem ordinariam in clerum et populum, quo vero ad ecclesias subiective unitas, delegatam.***

Ex qua resolutione argui posse videtur Patriarchae facultatem inesse quascumque dispositiones promulgandi, quae externam disciplinam pro obiecto habent. Et huiusmodi dispositiones fundamentum habere in sua iurisdictione ***ordinaria ,*** si clerum et populum respiciunt ; in iurisdictione vero ***delegata,*** si externam disciplinam ecclesiarum respiciunt, quae ad s. Hierosolymitanum Ordinem pertinent.

QUAE S. HIEROSOLYMITANO ORDINI FAVERE VIDENTUR. S. Ordinis patronus pro viribus sustinet, exemptionis ius iis omnibus competere , qui cohabitant et Ordini serviunt, licet stipendium percipiant. Quoad eos enim, tres primas conditiones verificari ait, a Concilio Tridentino ***Sess. 24 cap. Xl de Reform,*** praescriptas, scilicet servitium quod actu praestatur, habitationem ***inter septa*** et s. Ordinis Superioribus debitam obedientiam. De quibus conditionibus agens Gregorius XIII in citata Constitut. ***Circumspecta in omnibus,*** voluit ut eodem tempore verificarentur, ceu colligi datur ex illis verbis : ***quae omnia simul concurrere intelligantur.***

Quin opponere iuvaret, in themate deficere obedientiam, tam a Conc. Tridentino, quam a Gregorio XIII praescriptam, ex eo quod inservientes vota haud emittunt. Siquidem patronus retinet, pro eo de quo agitur, non esse necessariam obedientiam, quae ex votis nascitur, sed obedientiam servilem sufficere : idque confirmare studet auctoritate Ferdinandi de Escanno, qui in suo opere, cui titulus ***Propugna-***

culum Hierosolymitanum haec ad rem habet : « Verba illa : » ***subque eorum obedientia,*** non intelligi de obedientia re- » ligiosa, sed de obedientia servili, qualem habent servi respe- » ctu dominorum suorum, alias praedicti familiares non sae- » culares, sed fratres essent. »

Quinimo contendit ab ordinaria iurisdictione exemptos esse, nedum inservientes Ordini addictos, sed etiam proximiores coniunctos, qui cum inservientibus cohabitant; tum quia secus eamdemque familiam cum ipsis efformant, tum quia etiam inconveniens et absurdum esset, quod pater ex. gr. in sua infirmitate sacramenta a capellano conventus, filius vero a parocho loci ipsa reciperet ; quodque ille a iurisdictione parochiali , hic autem eidem subiectus esse debeat ; quandoquidem contingere potest, quod ambo non solum in eadem domo, sed etiam in eodem cubiculo cohabitent.

Idque eo vel magis, quia mens tum Concilii Tridentini, tum Summorum Pontificum in huiusmodi privilegiis concedendis , haec fuit, ut ab ordinaria iurisdictione non modo personae, sed etiam loca exempta evaderent ; ne, propter concursum duarum auctoritatum, conflictus contingerent.

Quin dicatur, impossibile esse hanc exemptionem extendere ad personas, quae unam eamdemque familiam cum inservientibus s. Ordinis efformant, ex eo quod si filius inservientis s. Ordini addicti nasceretur, hic in ecclesia Ordinis, ob fontis baptismalis carentiam baptizari haud valeret. Ex hoc enim quod Baptismatis sacramentum ***extra septa*** Prioratus confertur, nulla adest incongruentia, quod relate ad Baptismi sacramentum, parochi iurisdictio firma remaneat. Per hoc siquidem non violatur exemptio ***realis et localis,*** qua s. Hierosolymitanus Ordo a Summis Pontificibus praecipue decoratus fuit.

Et huiusmodi iura sic interpretata fuisse in citata conventione diei 26 Decembris anni 1777, postquam argumenta ab utraque parte producta attento examini subiecta fuerunt.

Sane in vim huiusce conventionis statutum fuisse urget privilegium non modo Priori ceterisque Ordinis militibus ,

sed etiam personis competere, quae vel apud ipsos, vel ipsorum servitio addicti essent, dummodo in Prioris et aliorum militum domo habitarent.

In hac formula magis generica, et quae realis privilegii indoli ac naturae melius respondet, absque ulla dubitationis alea, comprehendi oportere subdit etiam illas personas, quae vel in domo priorali vel stridissimo verae ac propriae familiae vinculo ad inservientes pertinent, Priori vel alicui ex Professis addictos.

Quo vero ad alteram quaestionem in secundo dubio propositam perpensum fuit ecclesiam s. Ioannis, cum non habeat adnexam curam animarum, Episcopi visitationi subiectam haud esse, nisi in solis casibus a iure praescriptis. Hinc videtur non teneri Episcopi decretis obtemperare : vel saltem ipsius Rector ius habere huiusmodi decreta approbandi, antequam executioni tradantur, prout praescripsit norma vulgo ***regolamento*** anno 1793 ab Antonio Colleoni Venetiarum Priore promulgata, ubi haec ad rem leguntur: Decreta qualibet ex causa a curiis Episcopalibus tradita, executioni haud tradentur , nisi postquam respectivi Prioris assensus accesserit.

Hisce ex utraque parte expositis, proposita fuerunt diluenda quae sequuntur

Dubia

I. ***An, quomodo et ad quas personas inter septa domus Prioralis commorantes privilegium exceptionis a iurisdictione parochiali extensum sit in casu.***

IL ***An Ordinis Hierosolymitani Prior illas exterioris disciplinae dispositiones reiicere valeat, quas Patriarcha, ad perturbationes impediendas, pro norma Parochorum et Rectorum ecclesiarum publicarum, promulgare opportunum ei expediens putaret in casu.***

RESOLUTIO. Sacra C. Ep. et Reg. re ventilata, sub die 24 Februarii 1888 respondere censuit : ***Ad 1. Dummodo***

domus prioralis habitetur, quoad servientes , affirmative , quo vero ad ipsorum familias , horti conductorem et inquilinos, negative. Capellanis autem ecclesiae prioralis debeat esse approbatus ab Ordinario pro administratione sacramentorum, et asservare Sanctissimam Eucharistiam et oleum infirmorum. Ad 2. In iis, in quibus a iure communi, a sacrosancto Concilio Tridentino et Constitutionibus Apostolicis tributa est Episcopo iurisdictio in Regulares, negative.

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Decoratos titulis prOtonotariatus, capellani regii etc. vel quomodocumque monasteriis addictos» Episcopis tamquam Apostolicae Sedis delegatis omnino subiectos esse.

II. Ab ipsorum autem subiectione eos exemptos esse, qui ecclesiis aliisque locis aut militiis actu serviunt, et intra eorum septa et domos resident , subque eorum obedientia vivunt.

III. Sive eos, qui legitime et secundum regulam earumdem militiarum professionem fecerint ; hac tamen sub conditione, quod de ea Episcopo constare debeat.

IV. Et huiusmodi conditiones seu qualitates inservientes Religionis s. Ioannis Hierosolymitani non ***disiunctive,*** sed ***cumulative*** praeferre debere, ut exemptione fruantur.

V. Hinc familias inserviendum praedictae Religionis , vel bonorum conductores, et domorum inquilinos ad praefatam Religionem pertinentium,hac exemptione haud gaudere.

VI. Capellanum ecclesiae prioralis approbandum esse ab Ordinario pro administratione sacramentorum.

VII. Episcopos leges et decreta edere non posse, quae exemptiones, privilegia a s. Sede Regularibus concessa laederent.

VIII. Nihilominus aliter sentiendum esse de legibus et decretis, quae curam animarum, sacramentorum administrationem et ea omnia respiciunt, quae Regularium exemptionem minime laedunt.

IX. S. Ordinis Hierosolymitani Priorem non posse re-

spuere Episcopi dispositiones circa ea latas, in quibus a iure communi, a sacrosancto Concilio Tridentino et Constitutionibus Apostolicis tributa est Episcopo iurisdictio in Regulares.

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

TERTII ORDINIS SAECULARIS S. FRANCISCI ASSISIENSIS

DECRETUM, quo Sodalibus Tertii ordinis s. Francisci assisiensis fit facultas accipiendi Absolutionem seu Benedictionem etiam die praecedente eas festivitates, quibus illa est adnexa.

Sodalibus Franciscalibus Tertii Ordinis, qui saecularis nuncupatur, novies infra annum, nonnullis occurrentibus diebus festis, ius est accipiendi *Absolutionem* **seu** *Benedictionem* **cum Plenaria Indulgentia, non solum publice a suis Curatoribus in Ecclesiis in quibus erectae reperiuntur eorumdem Sodalium Congregationes, sed et privatim inter ipsius Sacramenti Poenitentiae administrationem a quolibet confessario.**

Quamvis autetn ab Apostolica Sede iam indultum sit per decretum huius S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae sub die 16 Ian. 1886, ut Tertiarii *Absolutionem* **seu** *Benedictionem,* **accipere valeant etiam aliquo die festo de praecepto, qui intra Octidua** *projestorum* **dierum occurret quibus illa fuit adnexa, eo quod his diebus vel legitime impediuntur quominus adeant Ecclesias accepturi in coetibus generalibus praefatam** *Absolutionem* **seu** *Benedictionem* **vel difficilis ipsis evadit accessus ad tribunal Poenitentiae, praesertim in locis ubi deficit copia Confessariorum; eisdem tamen de causis pluries ab uno vel altero Moderatore Congregationum Tertiariorum Franciscalium in variis Catholici Orbis partibus existentium SSmo** Dno **Nostro supplicatum est, quatenus indulgere etiam dignaretur, ut Tertiarii suarum respectivarum Congregationum perfrui possent gratia** *Absolutionis* **seu** *Benedictionis* **in Sacramentali confessione die eas festivitates praecedente, quibus illa est concessa. Idque eo vel magis postulabatur, quod iam. per**

generale decretum huius S. Congregationis diei 6 Octobris 1870 sancitum erat, tum confessionem dumtaxat, tum confessionem et communionem peragi posse die, qui immediate illum praecedit, cui aliqua Indulgentia adsignatur.

Porro Sanctitas Sua, quae has preces iam clementer exceperat, modo universis Sodalibus Tertii Ordinis saecularis S. Francisci Assisiensis hac super re providere cupiens, ne quis eorum, quoad fieri potest, tam salutari beneficio *Absolutionis* seu *Benedictionis* privetur, in Audientia habita die 21 Iulii 1888 ab infrascripto Secretario benigne declarari ac decerni mandavit, prouti per praesens decretum declarat et decernit, quempiam praedictorum Sodalium *Absolutionis* seu *Benedictionis* participem fieri posse pridie diei, quo ipsa in Indice Indulgentiarum eiusdem Tertii Ordinis elargienda recensetur, non tamen publice, sed privatim tantummodo, nempe post expletam sacramentalem Confessionem, ceteris tamen servatis de iure servandis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 21 Iulii 1888.

SERAPHINUS CARD. VANNUTELLI *Praefectus*

L. * S.

ALEXANDER Episcopus Oensis *Secretarius.*

EX S. RITUUM CONGREGATIONE

DECRETUM quo festum sanctissimi Rosarii decoratur officio proprio cum Missa.

Diuturnis Ecclesiae acerbitatibus, ac temporum quotidie invalescente difficultate commotus, Sanctissimus Dominus Noster LEO PAPA Sili cunctos a sui Pontificatus exordiis ubique christianos excitare non destitit ad Deiparam Virginem Mariam sacri Rosarii

ritu colendam atque implorandam. Inter cetera quae praeclare edocuit in sua prima de Rosario Encyclica (1 Septembr. 1883) ait : *Divini necessitas auxilii haud sane est hodie minor, quam cum magnus Dominicus, ad publica sananda vulnera, Marialis Rosarii usum invexit. Ille vero caelesti pervidit lumine, aetatis suae jnalis remedium nullum praesentium futurum, quam si homines ad Christum, qui* **VIA, VERITAS ET VITA EST,** *salutis per Eum nobis parte crebra commentatione r ed iis sent; et Virginem illam, cui datum est cunctas haereses interimere, deprecatricem apud Deum adhibuissent. Idcirco sacri Rosarii formulam ita composuit, ut et salutis nostrae mysteria ordine recolerentur, et huic meditandi officio mysticum innecteretur sertum ex angelica salutatione contextum, interiecta oratione ad Deum et Patrem Domini Nostri Iesu Christi. Nos igitur non absunt'U malo idem quaerentes remedium, non dubitamus quin eadem haec a beatissimo viro, tanto cum orbis catholici emolumento, inducta precatio, momenti plurimum habitura sit ad levandas nostrorum quoque temporum calamitates.* **Pontificiae voluntati permagna animorum alacritate et concordia ubique locorum obtemperatum est,** *ut luculenter apparuerit quantus religionis et pietatis ardor extet in populo christiano, et quantam in caelesti Mariae Virginis patrocinio spem universi reponat* **(Encyclica 30 Augusti 1884). Huiusmodi porro spei veluti praeclarus fructus, iure nunc accenseri debet memorabile factum quod hoc anno, sacerdotii eiusdem Sanctissimi Domini Nostri quinquagesimo, Deus ostendit: mirandum profecto publicae religionis et fidei exemplum , pulcherrimum honestissimumque pietatis certamen in toto christiano orbe inter omnigenas laetitiae significationes exhibitum. Omnes hominum ordines, vel ex dissitis terrarum partibus, gestierunt prosequi Pontificem Summum, beati Petri successorem, omni genere officii: legationibus, litteris, peregrinationibus etiam longinquis ultro susceptis, oblatisque ingenti numero et effusa magnificentia muneribus, de quibus verissime dictum est, materiem et opus propensione superari voluntatis.** *Qua* **scilicet** *in re admirabiliter fulget Dei benignitas*

et virtus, qui in magnis Ecclesiae laboribus vires eius confirmat ac fulcit: qui nomine suo certantibus solatia tribuit: qui providentiae suae consilio ex malis ipsis uberem bonorum messem educit : fulget item Ecclesiae gloria quae originis vitaeque suae vim divinam ostendit, ac divinum quo regitur vicitque, spiritum: quo fit, ut fidelium mentes et voluntates uno eodemque vinculo invicem, itemque cum supremo Ecclesiae Pastore iungantur **(Allocut. Consistor. 25 Novembr. 1887).**

Iamvero id perpendentes Catholicorum gentes, dum inferorum portae quotidie audaciores fiunt in bello adversus Ecclesiam urgendo, probe sentiunt quantopere oporteat in potentissimam Dei Matrem augere fervorem , augere fiduciam ; ut per Rosarii preces exorata, nomini Christiano et Apostolicae Cathedrae propitia succurrat, memores velle Deum donorum suorum continuationem atque implementum *non solum bonitatis suae, sed etiam perseverantiae nostrae esse fructum* **(Breve Apost. 24 Decembr. 1883).**

Quapropter ad gratias agendas pro acceptis beneficiis, et pro concedendis enixius deprecandum, Beatissimus Pater quae superioribus annis per Suas Encyclicas, et per Sacrorum Rituum Congregationis Decreta, (20 Augusti 1885 — 26 Augusti 1886 — 11 Septembris 1887) de salutaris sacri Rosarii ritu, praesertim toto mense Octobri celebrando, statuit, et hortatus est, eadem omnia hoc vertente anno fieri mandat ac vehementer hortatur. Et quoniam plura de ampliori cultu liturgico magnae Virgini sub titulo Rosarii exhibendo iam decrevit; novum addere adhuc volens incrementum, sacrum festum eiusdem Rosarii solemnitatis, Dominicae primae Octobris adsignatum, *OFFICIO PROPRIO CUM MISSA* **decoravit, illudque ab utroque Clero in posterum recitari praecepit, iuxta schema quod, a se recognitum et probatum per eamdem Sacrorum Rituum Congregationem hac ipsa die edi mandavit.**

Nonis Augusti, in Festo Beatae Mariae Virginis ad Nives anno 1888.

EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA

RESPONSUM S. Poenitentiariae quoad cantum hymni ambrosiani.

Pro parte nonnullorum in Italia Praesulum postulatum est, utrum occasione belli, quod in Africa geritur, locorum Ordinarii, ubi fuerint requisiti, permittere valeant solemnem cantum hymni ambrosiani, si illud Italis bene cedat, vel fúnebres caeremonias cum Missa celebrare pro iis, qui in bello ipso decesserint.

Sacra Poenitentiaria , sic annuente Sanctissimo D. N. LEONE PP. XIII, huic postulato respondet : Permitti posse, ut occasione, de qua quaeritur , a Parochis aliisque ecclesiasticis viris canatur hymnus ambrosianus solo fine , qui publice manifestetur , gratias agendi Deo pro cessatione belli ; ita tamen ut post hymnum ambrosianum recitentur versiculi tantum communes et unica oratio pro gratiarum actione, omisso quocumque alio versículo et oratione; itemque permitti posse ut sacrosanctum sacrificium aliaeque fúnebres caeremoniae celebrentur solo fine, qui notus pariter fiat, piacularem opem ferendi animabus defunctorum , quin habeantur nec a viris ecclesiasticis funereae orationes. Cavendum omnino, ne haec omnia in politicos sensus detorqueantur. Ordinarii vero ab huiusmodi functionibus sese abstineant.

Datum Romae die 13 Martii 1888.

RAPH. Card. MONACO P. M.

HYP. Can. PALOMBI S. P. *Secretarius,*

Monitum.. Proposito dubio an Dominica ultima proximi mensis Septembris , qua a Sanctissimo D. N. Leone XIII indicta est in universa Ecclesia celebratio Missae *de Requie,* **intelligenda sit dies 30 eiusdem mensis : moderator Ephemeridis a S. Rit. Congregatione responsum habuit -** *Affirmative.*

LITTERAE in forma Brevis, SSmi D. N. Leonis XIII, quibus iubetur conflari insigne habens formam crucis in memoria quinquagesimi anni sui sacerdotii.

L E O Ï»E». X I I I .

-A-33 ZPTJTTJ[R]JRA.3Vr E E I *2S¿L¥12I¿LOJEIIA.2H3:*

Quod singulari Dei concessu et munere adeo provecti sunt Nostrae aetatis anni, ut potuerit a Nobis quinquagesimus Sacerdotii natalis feliciter agi, id profecto Nos non tam Nostra, quam Ecclesiae atque huius Apostolicae Sedis caussa delectat. Faustitas enim eius eventus plene cumulateque confirmat quam miro pietatis ardore quantaque voluntatum consensione soleant catholici homines Iesu Christi Vicarium colere et observare, atque difficultates rerum et temporum dirumpere aut perturbare nequeant officiorum et studiorum vicissitudinem, quae populis christianis cum Romano Pontifice intercedit. Siquidem ex omnibus orbis terrarum partibus, quacumque invectum est catholicum nomen, tot ac tam praeclarae amoris et obsequii significationes sunt Nobis exhibitae, uti institui quodammodo visa sit inter populos voluntatis erga Nos et liberalitatis honesta certatio. De rebus sermo est, quas quidem norunt omnes, et quas Auctori bonorum omnium Deo Nos referimus acceptas. Ceterum nullum est pietatis testimonium, nullum officii genus, quod christiani homines, ea sibi oblata occasione, Nobis non detulerint. Revera neminem latet, ut multis in locis festus ille habitus atque actus sit dies, quo quinquagenariam Sacerdotii Nostri memoriam celebravimus: ut de vita et incolumitate Nostra, tamquam de publico bono, decretae sint gratiarum actiones et gratulationes : ut ad commemorationem auspicati diei non pauca sint christianae plena charitatis opera instituta ; videlicet comparata calamitosis adiumenta, aperta perfugia puellis, pueri recepti in scholas, redempta a servitute mancipia. Testis vero est alma Urbs Nostra, quam ingens vis peregrinorum tot continenter menses huc confluxerit, qui haberent ad Nos aditum, et eximia erga Nos animi sensa coram profiterentur. Vidimus sane plurimos genere, sermone moribus inter se dissimiles, non solum ab Europae regionibus, sed vel a dissitis Africae, Asiae, Americae et Oceaniae oris iter Romam conferre eiusdem omnes fidei et paris observantiae testimo-

nium Pontifici Maximo daturos. Res quidem cum valde per se mirabilis, tum Nobis, qui gentes universas una eademque charitate complectimur, summopere iucunda. Verum sunt alia etiam officia; quorum non excidet Nobis memoria et gratia: ea enim animo tam Iubenti gratoque accepimus, quam obsequenti ac prono sunt delata. De donis nimirum loquimur muneribusque omnis generis, quae ex orbe terrarum fere universo catholici homines, quasi pietatis tributum Nobis conferenda curaverunt. Sunt ea quidem et plurima numero et genere varia, propter dissi mi litudinem locorum dissimilerai rationem habentia; quorum alia divitias et artificia referunt naturae, alia opificum industriam prudentiamque artis testantur: multa vel materia vel opere valde sunt conspicua, multa contuentium animos vel ipsa peregrinitate delectant. Huiusmodi vero dona cum collecta sint et comportata ab omnibus orbis partibus, omnemque civium ordinem ita attingunt, ut praetiosis regum procerumque donariis proxima videantur munuscula pauperum, Nos non parvi referre duximus ad Apostolicae Sedis laudem ea omnia simul congerere, et in Nostris Vaticanis aedibus ad spectandum proponere. Quod quidem bene ac prospere cessisse, institutisque rebus exitum contigisse quem optabamus, et laetamur maxime, et gratias Deo, uti par est, plurimas agimus et habemus. — Sed libet Nobis animum Nostrum et memorem et gratum profiteri etiam viris iis, qui honorum Nobis habendo rum, fautores extitere. Etsi enim probe novimus ob faustitatem proximi eventus studium populorum alacrius fuisse, quam ut incitari oporteret, non sumus tamen nescii in instituendis sodalitatibus pia peregrinatione ad Nos adeuntibus, in muneribus perferendis, ordinandis, custodiendis, in omnibus denique amoris pietatisque officiis praestandis eorum virorum solertiam industriamque mirifice excelluisse. Iis vero se socias et administras addidisse scimus pias feminas, quae in eiusmodi voluntatis erga Nos significationibus impartiendis suas sibi partes deposcere voluerunt. Quibus e rebus placet Nobis, ut apud eos omnes cum eventus memoria, tum benevolentiae Nostrae maneat testimonium. Idcirco volumus, iubemus ex argyrometallo, nec non ex auro argentoque conflari insigne formam crucis habens, quod tamen quatuor interiectis liliis efficiatur octogonon. Media in coniunctione numisma parvum extet, cuius in adversa parte nomen et imago Nostra effigatur; in aversa autem exprimatur pontificale insigne, inscribaturqe «Pro Ecclesia et Pontifice??. Extremae vero partes crucis, quae obversae sunt, ornentur cometa, qui una cum liliis insigne

efficit gentis Nostrae ; qua autem aversae, signentur *u* .'Prid. Kal. Ian. MDCCCL XXX VIII ». Huiusmodi honoris signo quod e taenia serica purpurei coloris linea alba flavaque ad utramque oram virgata dependeat, merentium pectus sinistro latere decorari concedimus. Omnibus vero et singulis, qui tali honore digni habiti fuerint, auspicem caelestium munerum Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die XVII. Iulii MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri Undecimo.

M. Card. LEDOCHOWSKI.

EPISTOLA encyclica SS. D. N. Leonis Papae XIII ad Venerabiles fratres Stephanum Petrum X Patriarcham Ciliciae, Archiepiscopos et Episcopos, necnon ad dilectos filios Clerum, Monachos ac Populum armenii ritus gratiam et communionem Apostolicae Sedis habentes.

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES, DILECTI FILII

Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Paterna caritas , qua partes omnes Dominici gregis complectimur, vi naturâque sua est eiusmodi, ut laeta, tristia, quaecumque uspiam in christiana republica eveniunt, intima Nos perpetuâque communicatione sentiamus. Itaque sicut antea magnus ac diuturnus in animo Nostro insederat dolor, quod quidam ex Armenia gente, praesertim in urbe Constantinopoli, sese a fraterno coetu vestro seiunxissent, ita nunc laetitiam capimus singularem ac vehementer optatam, quod dissidium illud, Dei beneficio, auspicato conquieverit. Dum autem restitutam Vobis concordiam pacemque gratulamur, temperare Nobis nequimus , quin Vos hortemur enixe , ut divinae bonitatis tam grande munus custodire sedulo et augere studeatis. Quo autem hoc consequamini, videlicet idem sapere idemque in iis, quae ad religionem pertinent, sentire, oportet omnes quidem constanter, ut facitis, in obedientia huic Apostolicae Sedi permanere: vos autem, dilecti filii, Patriarchae vestro , aliisque Antistitibus, qui vobis iure legitimo praesunt, fideliter subesse et obtemperare.— Quoniam vero ad hanc ipsam religiosam concordiam labefactandam.

saepe suboritur occasio cum ex dissensionibus in publicis negotiis tum propter iurgia de privatis rebus, primas illas a vobis arceat fidelis ea, quae spectatissima in vobis est, observantia et animorum subiectio erga supremum Othomanici imperii Principem, cuius perspecta Nobis est aequitas, studium servandae pacis, et egregia in Nos voluntas luculentis testata indiciis. Iurgia vero ac simultates facile vobis aberunt, si vestris haeserint defixa mentibus, moribusque expressa fuerint quae beatus Paulus gentium Apostolus tradit de caritate perfecta, quae *patiens* **ac** *benigna est, non emulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum* **(1). Porro eximia haec et perfecta animorum consensio aliud vobis praestabit bonum, ut per eam augere, quemadmodum diximus, latiusque provehere possitis restitutae concordiae pacisque fructus; oculos enim ad vos animosque convertet ceterorum qui, licet commune vobiscum genus nomenque gentis habeant, adhuc tamen a vobis Nobisque dissident, neque sacris eius, cui praesumus, Ovilis septis includuntur. Ii scilicet concordiae et caritatis vestrae intuentes exempla, facile intelligent, Christi spiritum vigere inter vos, quippe unus Ille suos ita sibi iungere potest, ut unum corpus efficiant. Utinam illi id agnoscant, et ad eam unitatem redire constituant, unde maiores eorum discessere ! Quo facto necesse erit eos incredibili voluptate perfundi, quum senserint sese Nobis vobisque iunctos etiam cum ceteris fidelibus, qui totum diffusi per orbem censentur catholico nomine ; adeoque senserint, se in tabernaculis manere mysticae Sion, cui datum est uni ex divinis oraculis, ubique terrraum dilatet locum tentorii sui, et pelles tabernaculorum suorum extendat.**

Ceterum, ut optata haec reversio contingat, vestrum est potissimum operam dare, Venerabiles Fratres, qui Armeniis Dioecesibus praeestis, quibus neque zelum ad cohortandum, neque doctrinam ad persuadendum defore novimus. Quin etiam Nostro nomine et verbis eos, qui dissentiunt, per Vos revocari volumus: non enim pudor est, imo vero maxime decet, parentem ab se digressos diuque expectatos liberos revocare domum, imo occurrere et brachia pandere reduces amplexura. Neque fore putamus, ut voces suasionesque vestrae in irritum cadant. Spem enim Nobis facit optati exitus primum amplissima misericordia Dei in omnes gentes effusa, tum ipsius Armenii populi docilitas et ingenium. Quam pronus ad.

(1) *Gorinth.* XIJI, 4-5.

amplectendam veritatem semel agnitam sit, quam paratus ad regressum, si in devia senserit se deflexisse, multis testatum est monumentis historiae. Gloriantur ii vel ipsi, qui sacra a vobis separatim obeunt, Armeniam gentem Christi fidem edoctam fuisse a Gregorio, viro sanctissimo, cui Illuminatori dictum cognomen -est, eumque parentem ac patronum obsequio colunt singulari. Huius memorabile et inter eos iter est ad urbem Romam, ut S. Silvestro Romano Pontifici suam probaret fidem, observantiam profiteretur. Fertur imo exceptus ab eo fuisse summa cum benevolentia et quibusdam facultatibus auctus. Eodem fuisse animo, quo Gregorius fuerat, in Apostolicam Sedem complures ex iis, qui posthac Armeniis praefuerunt ecclesiis, compertum est ex eorum epistolis , ex: peregrinationibus ad urbem susceptis, imprimis vero e Synodalibus Decretis. Ac sane dignissima memoratu sunt, quae in Sisensi Synodo anno MCCCVII habita Armenii Patres edixere de officio parendi huic Apostolicae Sedi : *Sicuti corporis est capiti obedire, ita debet similiter universalis Ecclesia (quae corpus est Christi) obtemperare ei, qui totius Ecclesiae caput a Christo Domino est constitutus.* **Quae confirmata sunt et enucleatius explicata in Adanensi Concilio anno eiusdem saeculi decimo sexto. Gnarum praeterea Vobis est, ut alia quae minoris sunt missa faciamus, quid gestum fuerit in Synodo Florentina. Quo cum Legati Costantini V Patriarchae accessissent, Eugenium IV decessorem Nostrum uti Christi Vicarium venerati, se venisse dixerunt ad caput, ad pastorem, ad fundamentum Ecclesiae, rogantes ut caput condoleret membris, pastor colligeret gregem, fundamentum Ecclesiam confirmaret (1). Et symbolum suum ac fidem exhibentes rogabant:** *si est defectus, doce.* **Tum vero edita a Pontifice conciliaris Constitutio** *Exultate Deo,* **qua illos docuit quaecumque de doctrina catholica scitu necessaria existimavit. Quam Constitutionem Legati, suo suique Patriarchae totiusque Armeniae gentis nomine, excipere sese amplectique declararunt submisso ac prono ad parendum animo,** *profitentes tamquam veri obedientiae filii, nomine quo supra, ipsius Sedis Apostolicae ordinationibus et iussionibus fideliter obtemperare.* **Eapropter Azarias, Patriarcha Ciliciae, datis ad Gregorium XIII. decessorem Nostrum, litteris IV Idus Aprilis anno MDLXXXV., verissime perscripsit:** *Ecce invenimus libros maiorum nostrorum de obedientia Catholicorum et Patriarcharum Nostrorum ad Pon-*

(1) Labbaei *Conc. Collect.,* **suppl. Tom. v. 210.**

tificem Romanum, quomodo s. Gregorius Illuminator obediens fuit s. Silvestro Papae. Hinc in more fuit Armeniae gentis, missos pro re nata ab Apostolica Sede legatos honestissime excipere, eiusque mandata religiose facessere.

Haec equidem plurimum valitura confidimus, ut plures hactenus a Nobis segregati ad coniunctionem expetendam inducant animum: si quibus vero cunctandi haerendive causa fuerit metus, ne minus de se sollicitam experturi sint Apostolicam Sedem, minusve amanter quam vellent excipiantur a Nobis, hos iubete, Yenerabiles Fratres, ad ea referre animum quae gesserunt Romani Pontifices decessores Nostri, qui nunquam passi sunt desiderari ab Armeniis paternae caritatis suae argumenta. Hi nimirum peregrinantes illos ad urbem, vel ad se confugientes benigne semper complexi sunt, imo hospitales domos iis patere voluerunt. G-regorius XIII, ut scitum est, destinaverat animo ephebeum condere Armeniis iuvenibus recte instituendis: quod tamen, morte interceptus cum ille nequivisset efficere, ex parte praestitit Urbanus VIII, quippe qui cum ceteris exteris alumnis, Armenios quoque recepit in Collegium amplissimum ab se excitatum ad propagandam fidem. Nos autem, tempore licet iniquo, initum a Gregorio XIII consilium plenius exequi, Deo dante, potuimus, aedesque satis amplas ad s. Nicolai Tolentinatis Armeniis alumnis addiximus, eorumque Collegium rite constituimus. Quae omnia sic acta sunt, ut Armeniae liturgiae et linguae, quam vetustas, elegantia et insignium commendat scriptorum copia, debitus haberetur honor; imo iamdiu cautum, ut ex Episcopis ritu vestro Romae perpetuo moraretur unus, cuius esset initiare sacris quotquot ex iis alumnis Dominus in sortem suam vocasset. Ad haec in Urbaniano Collegio schola iampridem Armeniae linguae tradendae instituta fuit, et Pius IX Decessor Noster curavit, ut in gymnasio Pontificii Seminarii Romani praeceptor esset, a quo nostrates sermonem, litteras, historiam Armeniae gentis addiscerent. Neque huius Urbis finibus se continuit Romanorum Pontificum de Armeniis sollicitudo; namque iis nihil fuit antiquius, quam ut Ecclesiam vestram difficultatibus, quibus esset implicita, eximerent, damna sarcirent eidem iniquitate temporum illata, eiusque commodis prospicerent. Obscurum est nemini Benedicti XIV studium, ut sarta tectaque servaretur liturgia vestra non secus ac aliarum orientalium Ecclesiarum, atque ut catholicorum Armeniae Patriarcharum successio in Sisensi sede restitueretur. Exploratae vobis curae sunt Leonis XII et Pii VIII eo conversae, ut in Urbe

imperii Othomaniei principe Armenii praefectum suae gentis haberent in civilibus negotiis, ad instar aliarum nationum, quae in eadem ditione sitae sunt. Recens demum memoria est rerum a Gregorio XVI et Pio IX gestarum, ut episcopales sedes in vestra regione augerentur, atque ut Armenius Antistes Constantinopoli esset honore et dignitate praestans. Quod primo factum est Archiepiscopali et Primatiali sede ibidem constituta, deinde unione decreta cum Patriarchatu Ciliciae ; ea lege ut Patriarchae in ea urbe domicilium esset, quae caput imperii est. Neve locorum distantia interiecta arctam coniunctionem extenuaret quae Armenios fideles Romanae Ecclesiae devincit, providenter constitutum est, ut Delegatus Apostolicus in eadem urbe esset, qui Romani Pontificis gereret vices. Quae Nobis de gente vestra cura fuerit, vos ipsi testes estis, Nosque vicissim testes sumus voluntatis erga Nos vestrae, cuius significationem non semel accepimus.

Quare cum istinc populi ingenium, mos maiorum, omnis anteactae aetatis memoria Armenios a vobis seiunctos ad hanc veritatis arcem validius trahat quam ut longiori possint distineri mora; hinc vero Apostolica Sedes semper contenderit coniunctissimam sibi habere nationem vestram, ac sicubi defecisset, ad pristinam communionem revocare; sane vobis, Venerabiles Fratres, praegravia suppetunt argumenta ad suadendum, et Nobis ad bene sperandum, ut vetus coniunctio plenissime restituatur. Quod utique genti universae bene vertet non modo ad aeternam animarum salutem, sed et ad eam, quae pie optari potest, in terris prosperitatem et decus. Testatur enim historia, inter sacros Armeniae Antistites eos praefulsisse ceteris, uti splendida sidera, qui Romanae Ecclesiae adhaeserunt arctius, maximamque fuisse iis saeculis nationis gloriam, quibus in ea catholica religio latissime floruit.

Uti haec iuxta vota et ex sententia cedant unus praestare potest rerum omnium moderator Deus, qui *quos dignatur vocat, ct quem vult religiosum facit* **(1). Ad Eum supplices Nobiscum adhibete preces, Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii, ut flexanima Eius gratia moti quotquot e gente vestra per baptismum ingressi in christianae vitae societatem seiunctum a Nobis coetum habent, impleant ad Nos reversi gaudium Nostrum,** *idem* **sapientes,** *eandem caritatem habentes, unanimes, idipsum sentientes* **(2). Contendite ut**

(1) S. Ambro3. *in Luc.* c. iv.

(2) *Philip,* II. 2.

suffragatrix adsit apud gratiae thronum ***ghiaiosa,*** *benedicta, sancta, semper Virgo Deipara Maria Christi mater* **et offerat** *preces nostras Filio suo et Deo nostro* **(1). 'Deprecatur cum ea adhibeatur martyr illustris Gregorius Illuminator, ut opus ab se laboribus, invictaque cruciatuum perpessione inchoatum, divinae minister opis, perficiat solidetque. Denique et illud, Nostra praeeunte prece, deposcite ut Armeniorum docilitas reditusque ad unitatem catholicam exemplo et incitamento sit ceteris, qui Christum quidem colunt, sed a Romana Ecclesia secesserunt, ut illuc redeant unde digressi sunt, fiatque unum ovile et unus Pastor.**

Haec dum votis et spe Nostra prosequimur, Apostolicam Benedictionem, divinae benignitatis auspicem Vobis, Venerabiles Fratres, Vobisque universis dilecti filii, effusa caritate impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxv. Iulii An. MDCCCLXXXVIII. Pontificatus Nostri undecimo.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

LAUDEN.

IURIUM ET EMOLUMENTORUM PAROCHIALIUM

Die 21 Augusti 1886, 24 Martii 1888.

Sess. 7, cap. 7 Da reform.

COMPENDIUM FACTI. In plenario conventu diei 7 Iulii 1860 parochus archipresbyter Cathedralis Lauden, duo statuere satagebat : I° habitualem animarum curam, quam antiquitus in suo capitulo extitisse admittebat, iamdiu cessavisse in -vim rescripti 11 Iulii 1791, quo praecipiebatur parochos Cathedralis nominari ac constitui ad normam iuris communis, pro aliis parochis vigentis ; tum ex altero rescripto diei 6 Aprilis 1815, ubi dicebatur, in nova capitulorum ordina-

(1) *Antiph. Liiurg. Arm.*

tione acta subsequenter ad decretum 8 Iunii 1805, nullam habitualem curam fuisse capitulis reservatam, sed integram curam primae capituli dignitati, seu Archipresbytero fuisse commissam.

Quod ut magis ac magis confirmaret, asserebat, ex eo tempore non amplius Vicarii praesentationem et approbationem per examen, non amplius applicationem missae pro populo locum habere, nullam demum onerum participationem in capitulo superesse contendebat.

Praeter haec *2°* Archipresbyter urgebat nullum ius esse capitulo percipiendi emolumenta parochialia, quae ex funeribus obvenire solent. Sed capitulares, si quando intervenissent, duplum portionis, tam pecuniae, quam cerae sacerdotibus dari solitae, non autem participare posse de residuis candelarum ac intorticiorum, quae parocho ex integro cedere debebant, et cui a tempore novae constitutionis capituli iugiter cesserant.

Vicissim capitulum fundamento innixum, quod ante annum 1791 cura habitualis sibi certo competebat, huiusmodi ius adhuc sibi integrum superesse mordicus sustinebat : neque decreta civilis auctoritatis hoc proprie importare, ut tale ius capitulis sublatum intellegatur; quia teste cl. pr. Nardi id ex hisce decretis descendere non videbatur; quandoquidem ea exercitium iuris parochialis, potiusquam curam habitualem respiciebant.

Quo vero ad funerum emolumenta seu praecise ad cerae spolium, hoc ante annum 1791 sibi competere incoepisse asserebat. Quod si, post id temporis, aliquando ab eo lucro exclusum fuerat ; id contigisse affirmabat per vim ac iniuriam et semper cum capituli protestatione.

Propositis itaque dubiis: I° ***An cura habitualis parochialis et cathedralis ecclesiae Laudensis sit penes capitulum in casu ; 2° An et ad quem spectet candelarum et intorticiorum reliquiae in funeribus^ quibus capitulum collegialiter interest in casu,;*** S. O. O. responsum hoc dedit. Ad I. ***Affirmative ;*** Ad II. ***Affirmative favore capituli***

iuxta modum ah Ordinario de bono et aequo statuendum, auditis interesse habentibus.

Contra citatam resolutionem archipresbyter recursum protulit, sed ad novas ipsius preces responsum prodidit : ***reponatur.*** Unde iuxta resolutionem S. C. C. conventionem de partium beneplacito Episcopus quoad funerum emolumenta constituit ac sancivit, quae usque ad postremos hosce annos a partibus pacifice observata fuit.

Ast nuper ad archipresbyteratum electo quodam Cavillini, capitulum ei proposuisse dicitur novam gravioremque conventionem, quam ipse rei ignarus primum acceptam habuit, sed postea, fraude detecta, penes Episcopum egit, ut invocaretur, altera restituta, quod et obtinuit.

Verum, cum capitulum in dies nova amplioraque iura sibi competere conclamaret in vim suae parochialitatis habitualis, archipresbyter documenta in archiviis conquisi vit, pluraque pensavit, ex quibus consequi putavit, ex errore admissum fuisse in priori causae pertractatione, quod capitulo habitualis cura inhaereret, ideoque deficere fundamentum resolutionis tam quoad 1^{m} quam quoad 2^{m} dubium. Institit itaque apud S. C. C. ut iterum causa pertractantur, et voti compos factus est.

Disceptatio Synoptica.

IURA ARCHIPRESBYTERI. Favore archipresbyteri adnotatum fuit, quod primis ecclesiae saeculis., ac fervente persecutionum aestu, cum tota christiana plebs a propriis Episcopis penderet, nec parochi aderant, nec distinctae paroeciae ; sed paroeciae nomen toti dioecesi aliquando tribuebatur ex Eusebio ***hist. eccl. lib. 4 cap. 24*** aliisque.

Aucto vero fidelium numero, plures in una civitate ecclesiae conditae sunt, ad quas Episcopus, diebus dominicis, modo unum modo alterum presbyterum ex ecclesia cathedrali mittebat, qui sacra munera obirent et populo praeessent, qui ad illas ecclesias confluebat.

Hic rerum status diu perduravit, usque dum scilicet saec.

IV vel V in villis et vicis ab urbe dissitis, ut iustis fidelium exigentiis satisfieret, primae paroeciae, seu ***districtus fidelium cum ecclesia ac proprio stabili peculiarique sacerdote*** constitutae sunt. Cfr. Socratem ***hist. eccles, lib. 1 cap. 27,*** Tomassinum ***de vet. et nov. eccles, discipl. part. i lib. 2 cap. 21 et 22,*** Muratori ***dissert. 74 sopra V ant. it al.***

Ex hoc derivavit, ut Episcopi paullatim immediato pastorali ministerio sese spoliaverint, quod stabiliter presbyteris commiserunt, parochis primum in agris, dein in ipsa civitate constitutis. Sic officia, ut ita dicam, parochialia Episcoporum, ad parvum quemdam districtum sensim coarctabantur, qui vicos ac domus cathedralem ipsam circumstantes unice comprehendebat, qui districtus paroecia cathedralis seu episcopalis vocari solebat.

At, tempore procedente, hic pariter districtus peculiari curae alicuius sacerdotis committi placuit, qui capituli archipresbyter fuisse praesumitur ; utpote ***Vicarius natus*** Episcopi ***in spiritualibus*** ex ***tit. De offic. Archipresb. in Decret.***

Quod reapse in ecclesiis cathedralibus archipresbyter censendus sit parochus natus, universam curam habitualem scilicet et actualem retinens, ad differentiam ecclesiarum collegiatarum, in quibus archipresbyter censendus est parochus tantummodo actualis, evincit Pitonius ***disc, eccles. 45 part. 2*** innixus decisioni Rotali ***coram Cerro 450 n. 2.***

Stante vero generali hac praesumptione, iuxta Pitonii aliorumque doctrinam, quod in archipresbyterum ecclesiae cathedralis, non autem in universum capitulum commissa transmigraverit animarum cura, sequitur, quod archipresbyter non teneatur probare, quod suae dignitati ministerium pastorale sit adnexum; sed utique capitulum, si quidquam in petitorio proficere vellet, probare teneretur, quod sibi sit tributa animarum cura.

Verum documenta hodierni archipresbyteri Lauden, talia esse videntur, ut omnem capitulo praecludant viam suam

intentionem probandi. Narrat enim, ex antiquissimis monumentis, constare urbem Lauden, iam a saec. XII in plures paroecias esse divisam, et paroeciam cathedralem seu episcopalem quoque extitisse. Inter has paroecias numerari illam s. Aegidii, quae recurrente saec. XVI sub Episcopo Taverna paroeciae cathedralis unita fuit, in qua Praepositus, qui erat prima dignitas, curam animarum gerebat.

At paullo post praeposituram curae onere praedictum Episcopum spoliasse, eamque tribuisse canonicatui s. Ioannis Evangelistae; obtentis a Gregorio XIII facultatibus per Breve ***Nuper Nobis*** diei 20 Decembris 1580. Idque manifestum fieri nedum ex decreto, quo Episcopus huiusmodi Breve executioni demandavit ; nedum ex historia sacerdotis Ciseri ; nedum ex actis Curiae Episcopalis ; nedum ex statutis capitularibus ; verum etiam ex synodis dioecesanis anno 1619 et 1689 celebratis.

Ex mox adductis documentis pariter deprehendi, curam ecclesiae cathedralis tamquam annexam praepositurae considerari, eodem modo ac curam s. Aegidii. Porro, si cura parochianorum cathedralis annectebatur praepositurae, intelligi non datur quomodonam potuerit capitulo adnexam manere.

Item annexionem parochialitatis cathedralis ad praepositauram eiusdem ordinis exhiberi, ac annexio posterior de cura s. Aegidii. Cum itaque cura s. Aegidii videatur ita praepositurae annexa, ut capitulum cum ea nihil commune haberet ; sequitur, quod idem capitulum nihil commune cum cathedralis cura habuerit. Et hanc praesumptionem corroborari ex facto, quod in Breve Apostolico et in Episcopi decreto, quoad dismembrationem novamque annexionem actualis curae, mentio quidem facta est de consensu a praeposito praestito; sed de capituli consensu neque vola, neque vestigium reperitur.

In citati Brevis tenore alia adesse, quae archipresbyteri intentioni favere videntur. Siquidem in eodem legitur, ideo exonerandum esse Praepositum curae impedimentis, quia^

utpote prima dignitas, plurimum in Episcopi auxilium adlaborare cogitur.

Nec satis : sed casu, quo canonicatum curatum et praebendam vacare contigerit, Pontifex Episcopo indulsit, ut easdem personae idoneae ad illam curam gerendam conferret et de illis etiam providere libere et licite valeret. Quae omnia clare demonstrant curam habitualem penes capitulum haud residere, ex sententia tum Zamboni ***tom. IV CohcL v. capitulum*** § 3 ***in Urbevetana*** diei 19 Septembris , et in ***Vicen.*** 30 Augusti 1766; tum Pignatelli ***Consul. 169 tom. IX num. 3 et 4.***

Et merito : quandoquidem Conc. Tridentinum ***cap. T sess. 7 de refor.*** praecipit: « Beneficia ecclesiastica curata, quae cathedralibus, collegiatis etc. perpetuo unita et annexa reperiuntur,... ab Ordinariis locorum visitentur: qui sollicite providere procurent, ut per idoneos Vicarios etiam perpetuos... ibidem deputandos animarum cura laudabiliter exerceatur. >

Et clarius S. Pius V in sua Constitutione « ***ad exequendum*** > voluit « ut dicti Vicarii perpetui non ad liberam Ordinariorum electionem, sed ad nominationem illorum, in quorum ecclesiis unitis ponentur cum ipsorum Ordinariorum seu eorum Vicariorum praevio examine et approbatione deputentur. »

Ad haec addit, quod praecedenter ad ea, quae mox dicta sunt, circa annum 1490, Episcopus Pallavicini, dignitatem Archipresbyteri in capitulo habere desiderans, facultatem obtinuit ab Innocentio VIII eamdem erigendi, et ut pro eius dote assignarentur, praeter alia, bona parochiae s. Agnetis, quae hoc ipso eidem dignitati uniretur.

Porro haec curae annexio, non capitulo, sed speciali praebendae facta, nullum parochialitatis ius poterat capitulo tribuere, et reapse pastorale hoc ministerium ex tunc in posterum veluti proprium, liberum atque a capitulo independens ab Archipresbitero in s. Agnetis ecclesia exercitum est.

Solummodo, diruta ecclesia s. Agnetis, Episcopus Sca-

rampo anno 1571 constituit, ut archipresbyter in ecclesia cathedrali propriis parochianis sacramenta praeberet et alia officia ipsis spectantia praestare valeret. Et paulo post Visitator apostolicus eidem speciale altare in cathedrali assignavit, cum onere ipsum instruendi et ornandi.

Quin per huiusmodi sedis translationem parochia s. Agnetis naturam suam aut nomen immutaverit. Siquidem ex actis curiae constat, non semel Vicarium nominavisse in paroecia s. Agnetis ; item aliquando coadiutorem cum successionis iure eidem archipresbytero datum fuisse, expressa voluntate et consensu archipresbyteri, quin tamen mentio ulla sit de capituli beneplacito. Quod necessarium fuisset, si cura habitualis in capitulo reperiebatur.

Ex hactenus itaque adductis argui, desinente saec. VIII, duplex beneficium curatum in capitulo Laudensi fuisse: s. Ioannis, cui cura paroeciae cathedralis et s. Aegidii incumbebat, et archipresbyteratus, cui s. Agnetis ministerium spectabat.

Verum novus rerum status incoepit sub imperatore ***Leopoldo*** Iosepho II, qui praecepit, ut ex tribus beneficiis parochialibus, unum constitueretur et praepositurae adnecteretur, quae ex hoc tempore liberae dispositionis Episcopi evaserat, et attenta cura animarum ipsi annexa, praevio concursu conferebatur.

Imperio austriaco cum dominatio gallica successisset, sub anno 1805 nova capitulorum ordinatio peracta fuit, vi cuius, abolita praepositura et unica dignitate archipresbyteri relicta, praepositus titulum mutavit ac nomen archipresbyteri parochi assumpsit; quod assumit adhuc.

Quas civiles dispositiones tum imperii austriaci, tum gallicae dominationis in honore habendas esse contendit archipresbyter ; ex eo quod indubium est, Pium VII, nominationem praepositi Beonii a Iosepho II, ***vigore conventionis amicabilisj*** factam recognovisse atque sanxisse. In ordinatione vero capituli a gubernio Gallico praecepta , Episcopum ***della Berretta,*** sub die 18 Aprilis 1806, capitulo

significa visse, se procedere etiam apostolicae potestatis vigore.

Ex quibus omnibus concludi posse archipresbyter confidit curam habitualem penes capitulum nullo tempore fuisse.

Tandem inutiliter a Capitulo in sui favorem rem iudicatam invocari, ex resolutione S. C C . anno 1860 exortam. Siquidem ecclesia graviter laesa et beneficiatus, quoad iura ac bona sui beneficii, petere ac consequi semper valent beneficium restitutionis in integrum, ex communi DD. sententia apud Reiffentuel ***De in integr. rest. § II et III.*** Praesertim si evincant superiorem sententiam ex errore falsaque suppositione et causa latam fuisse. ***L. 1 ff. Quae sententiae sine appel, rescind.*** et ***I. 1 C. Si ex falsis instrum.*** ac ***cap. Sicut nobis 9 de test.*** Reiffenst. ***De sent. et re iud. §. IV et V.***

Cum itaque appareat, praedictam S. C. C. resolutionem latam fuisse ex suppositione, quod cura habitualis penes capitulum ante modernum saeculum vera ac certa foret, quod hodie falsum evincitur ; iam per se patet archipresbyterum posse in themate restitutionem in integrum petere.

Quo vero ad participationem cerae in funeribus, expositum fuit cuius iam consultoris iudicium, quod in synopsi officiosa anni 1860 omissum fuisse archipresbyter conqueritur.

Porro praedictus consultor existimat ad cerae participationem capitulo ius haud competere ob sequentes rationes: I° quia favore archipresbyteri constans observantia plusquam quadragenaria militat, qua perdurante, non appareret capitulum huiusmodi ius reclamasse : 2° quia lex 8 Februarii 1809 exigit quidem, ut iura et emolumenta ex functionibus parochialibus obvenientia, favore parochorum curam habitualem habentium sarta tecta tueantur, ubi consuetudo legitima existeret; at in civitate Lauden, post annum 1806 huiusmodi consuetudo ab usu recessisse videtur : 3° quia dispositio ministerialis 24 Martii 1814 haec iura capitulo subripuit ; quae dispositio ab observantia nunquam interrupta vim legis obtinuit: 4° demum quia est generalis iuris eccle-

siastici regula, cui vel consuetudo vel specialia statuta derogare possunt, ut iura stolae iis competant, qui spiritualia ministrant. Quibus rationibus innixus consultor concludit nullum ius circa cerae participationem capitulo competere posse; excepto casu, quod invitatum funeralibus interveniat.

IURA CAPITULI. EX altera vero parte favore capituli allegata fuit res iudicata, quae pro veritate habetur et contra quam probatio non admittitur, etiam sub praetextu instrumentorum de novo repertorum ex ***L. sub specie C. De re iudicata.*** Unde restitutiones in integrum cautissime concedendas esse ne lites in infinitum trahantur et res iudicatae evanescant.

Quod quidem eo vel firmius in themate esse retinendum, •si argumenta ab archipresbytero in sui favorem contra rem iudicatam proposita, luce meridiana non conclarescant ; quandoquidem capitulum hodie in possessione sui iuris existit, a qua deiici non potest, nisi invictisssime probetur huiusmodi iuris quasi possessionem illegitimam esse.

Atqui capitulum contendit, hanc argumentorum plenitudinem archipresbytero deesse, et e contra rationes maximi momenti sibi favere, quae in ***traditione*** praesertim consistunt. Siquidem non modo capitulum et Episcopus, sed et adversarius ipse in priori causae pertractatione veluti certum admisisse!, habitualem curam capitulo olim inhaesisse; et dubitatum solummodo fuisse, num post Iosephinas leges ac Grallicas innovationes tale ius cessaverit.

Porro communem opinionem ac praesertim ipsius adversarii confessionem, maximi momenti esse : cum vulgatum in iure sit quod ***propria confessio est optima probatio,*** Maranto ***ad tit. De confessis num. 21.***

Quae omnia maius pondus acquirere subdit, ex auctoritate Pitonii, in cuius disceptatione ***50 part. 2*** tamquam certum et indubium retinetur, capitulum Laúdense tunc temporis habituali cura potiri.

Archipresbyterum vero suam thesim plene non demonstrare multis argumentis capitulum evincere studet. Ac

praeprimis admittit quidem cum adversario, initio cathedralem appellatam fuisse ***paroeciam episcopalem,*** sed subdit, eam non ab Episcopo una tantummodo cum praeposito, sed potius cum praeposito universoque capitulo gubernatam fuisse. Idque argui ex eo, quod in primis libris baptismatum, qui tempus, quo Conc. Tridentinum celebratum est, fere attingunt, legitur hoc sacramentum a quodam, qui se signat ***presbyterum*** ministratum fuisse.

Deinde perpendit, quod iuxta historiam statutis capitularibus praefixam ***saec. XVI distinctio praebendarum occurrit:*** quae res demonstrat beneficium parochiale eo tempore non adfuisse. Quando vero cura animarum pro cathedrali in praeposito solidata sit, prorsus latere, neque ab hodierno archipresbytero posse indigitari.

Ceterum, si verum est quod in aliis personis moralibus curae habitualis existentia non supponitur, sed evinci debet, quandonam ipsis fuerit adnexa ; in capitulis cathedralis ecclesiae aliud contingere ait; pro ipsis enim stat praesumptio favorabilis, quippe quia praedicta capitula ab initio animarum curam una simul cum Episcopis exercere solebant.

Hac praesumptione pro capitulis Cathedralium existente, antequam parochialitatis iure tam habitualis quam actualis exuta declarentur, necesse esse evincere, quandonam et quanam auctoritate hoc contigerit. At archipresbyter in casu, hoc non docet : documenta vero antiqua, quae offert, ubi legitur de praepositura aut de canonicatu s. Ioannis Baptistae , ***cui adnexa est cura animarum paroeciae maioris*** conclusiva non esse ; cum talia verba significare possint unum actualis curae exercitium.

Relate ad uniones paroeciarum s. Agnetis et s. Aegidii cum Cathedrali diversis temporibus factas, quamvis una ipsarum aut etiam utraque ab initio adnexa magis fuerit particulari praebendae , quam capitulo ; nihilominus quum recentioribus dispositionibus hae duae paroeciae adnexae fuerint parochiae cathedralis unione perfecta et extinctiva, hoc ipso induere debuerunt naturam ac indolem principalis

ideoque sub curam habitualem capituli transire debuerunt. Hoc enim importat unio per suppressionem seu tituli extinctiva, iuxta Leurenium ***for. benef. p. 3 quaest. 996.***

Quo vero ad civiles dispositiones sive Iosephi II, sive Napoleonis I, eas non potuisse titulo curae habitualis capitulum privare, ipsa S. C. C. in praecedenti causae pertractatione iam definiverat. Quod si Pius VII praesentationem praepositi, ab imperatore factam, ratam habuit ***vigore conventionis amicalis,*** vel episcopus ***della Berretta*** anno 1806 ***apostolicis facultatibus munitus,*** in hoc negotio processit; hoc non importare curam, habitualem, de qua sermo non erat, capitulo sublatam fuisse ; sed solummodo exinde probari ius nominandi in imperatore et innovationes disciplinares capituli anno 1806 inductas, esse legitimas.

Demum capitulum sustinet curam habitualem sibi non posse denegari, etsi vicarium parochum non nominet, aut eidem, tamquam suo vicario, pensionem non solvat. Etenim cum actualis curae exercitium speciali praebendae in casu adnexum sit, capitulum dispensari ab hoc onere pensionis. Item ex hoc ipso archipresbyteri nominationem capitulo competere non posse; sed qui ad praebendam eligit, ipse etiam de actuali animarum cura disponit, docente Salzano ***lib. 2 part. 2,*** quod in provisione canonicatus, cui adnexa sit cura animarum, considerari ac praevalere debet titulus principalis, qui est canonicatus.

Hisce utrinque perpensis, proposita fuerunt diluenda sequentia

Dubia

I. ***An sit locus restitutioni in integrum in casu.*** Et quatenus affirmative.

II. ***An sit standum vel potius recedendum a decisis in primo dubio in casu.***

III. ***An sit standum vel potius recedendum a decisis in secundo dubio in casu.***

RESOLUTIO. Sacra Congregatio Concilii, re mature per-

pensa, sub die 21 Augusti 1886 prudentissimum responsum dedit : ***Dilata, et archipresbyter pleniora argumenta pro re sua producat, et vicissim capitulum gravibus obiectis uh archipresbytero melius ac plenius respondeat.***

S. C. C. mandatis obsequens, archipresbyter praeprimis recolit, animarum curam in cathedrali adnexam antiquitus fuisse praepositurae ; idque absque ulla dubitationis alea comprobari, nedum ex statutis capitularibus anni 1452, sedente Episcopo Bernerio, editis ; nedum ex actis s. Visitationis Episcopi Scarampi diei 11 Augusti 1570; verum etiam ex actis s. Visitationis ab Episcopo Friderici die 29 octobris anni 1578 habitae, ubi haec leguntur: «Perquisitum fuit in primis a Vignato Alberto praeposito, quomodo assecutus fuerat praepositurам: qui dixit, se eam obtinuisse per obitum quomdam Ludovici de Fortibus a SSmo D. N. Gregorio, et exhibuit litteras: ipsam dixit habere adnexam curam animarum et credere fuisse ex institutione ipsius praepositurae. »

Praepositurae tunc temporis unitam quoque fuisse paroeciam s. Aegidii, quippe quae pauper et parva erat, et ad rem affert acta s. Visitationis ab eodem Episcopo Friderici die 21 Decembris 1578 expletae, ubi scriptum, reperitur, « per Reverendissimum D. Scarampum (Episcopum) unitam, fuisse parochialem ecclesiam s. Aegidii alternative vel ipsi praepositurae, vel parochiali ecclesiae s. Thomae: et interim cura exercetur in vim unionis huiusmodi taliter alternatim facta in cathedrali ab ipso praeposito. »

Subsequente tempore, animarum cura a praepositura ad canonicatum s. Ioannis Evangelistae translata, hunc canonicatum ab Episcopo per concursum libere fuisse provisum, evinci a quodam documento, quod allegat, ex actis Curiae diei 16 Martii 1723 excerptum. Ubi id prae ceteris notandum esse urget, quod dum passim mentio sit de annexione curae ad canonicatum, numquam de habituali capituli cura sermo habetur.

Quo vero ad alteram quaestionem de cerae spolio in funeribus, contra capitulum pro se ***longissimam et pacificam***

consuetudinem proferens, archipresbyter asserit id veritati haud esse conforme. Quod ut demonstret, producit acta Synodi III Laudensis anni 1619 in quibus ad ***cap. 26*** statuitur : « ne posthac capitulum ecclesiae nostrae cathedralis ullius defuncti funus prosequatur, nisi detur singulis canonicis eiusdem cereus unius librae saltem, dignitatibus vero unius cum dimidio, praeposito denique duarum librarum... et quum proprio parocho duplicetur portio, ea detur in duplici cereo, non in uno tantum. »

Ex quo archipresbyter arguendum putat, quod ante hunc annum haud extiterit in cathedrali ecclesia cerae spolium favore capituli.

Quod si in posterum, et praecise per totum saeculum XVIII spolii ius capitulum exercuerit ; hoc tamen neque efficaciter neque concludenter ; idque desumi ex particulis diarii sacrarii cathedralis ab anno 1713 ad annum 1808 perducti, ex quibus apparet, quod cera quae in funeribus adhibebatur, inter defuncti haeredes, cathedralis sacrarium et parochum dividi solebat. Haeredibus quidem residuum cerae restituebatur, quae circa feretrum ardebat : quae vero in altari maiori accendebatur sacrario cedebat ; tandem canonico parocho octo librae iugiter tradebantur, quorum quatuor pro funere, quatuor vero pro officio ipsi tribuebantur.

Notat praeterea archipresbyter, quod vel in antiquissima aetate lites fuerunt inter capitulum et ecclesiae custodes super hoc puncto, quas ut tolleret Episcopus Taberna anno 1588 decretum edidit, quod legitur in actis s. Visitationis ad rubricam ***Communia parochis ecclesiae cathedralis et s. Agnetis,*** vi cuius statuit, ut tertia pars emolumentorum ex parochia provenientium custodibus ecclesiae distribuerentur, quando in aliqua functione parochiali inserviunt, iuxta antiquam consuetudinem ecclesiae: decrevit insuper, ut in posterum custodes unam tantum candelarum portionem haberent, exceptis funeribus septimis, trigesimis et anniversariis, in quibus tamen alteram candelarum portionem tantum accendere debebant.

Demum utrumque punctum, absolutam scilicet independentiam, tam quoad curam habitualem, quam quoad cerae spolium, evincere studet allegando quamdam statutorum capitularium nunc vigentium dispositionem, ubi ad ***tit. 3 de offic, theol,*** praescribitur, ut ***archipresbytero absente vel impedito, nec non archipresbyteratu vacante, in omnibus ad archipresbyterum spectantibus, exceptis iis, quae ad eumdem tamquam hebdomadarum pertinent, vel quae parochi simpliciter sunt, ipse*** (theologus) ***succédât.***

Ex altera parte capitulum, nonnullis praemissis ut a se ***fraudis*** imputationem removeat, ad causae meritum descendens, observat quod ab archipresbytero obiecta ex duplici capite desumuntur, ex praesumptione scilicet et ex nonnullis factis.

Praesumptivum argumentum in hoc consistere, quod scilicet archipresbyter putat universam animarum curam ab Episcopo in archipresbyterum transfusam esse, cui potissimum ministerium spirituale erat commissum, quique vicarius natus Episcopi in spiritualibus habebatur.

At capitulum in primis respondet, hoc praesumptivum argumentum sufficiens haud posse censeri ad infìrmandam sententiam, quae in rem iudicatam transit.

Et licet admitti debeat archipresbyterum Episcopi vicarium in spiritualibus fuisse, ceu DD. communiter tradunt; nihilominus ipsis DD. fatentibus apud Bouix ***de Cap. Sect. 3 part. 2 c. 5,*** certum aeque esse, quod ***in cathedralibus cura plerumque reperitur unita capitulo.*** Imo docere Pitonium ***part. 1 discep. 8,*** quod ad archipresbyterum ***spectat exercitium curae eiusdem cathedralis.***

Observat insuper quod Laude, veteri ecclesia anno IV hostilibus armis eversa, novaque alio in loco extructa, restitutum capitulum, inter suas dignitates non amplius archipresbyterum connummeravit; sed capituli caput, cui per plures annos animarum cura demandata fuit, extitit praepositus. Verum tradit Pitonius ***loc. cit.*** quod « nomen praepositi per se non importat significatum parochi, licet quando

est parochus adhuc retineat nomen praepositi : hoc enim succedit ex quo cura animarum est penes collegium, et sic exercetur per praepositum eius caput. »

Quoad annexionem curae s. Aegidii ad praeposituram,. ex qua archipresbyter arguit suam a capitulo absolutam independentiam, perpendit capitulum, quod, ex Leurenio ***For. benef. part. 3 q. 966*** communique doctrina, unio extinctiva tituli, qua nempe unum beneficium alteri extinctive unitur, non tollit iura, nec naturam mutat beneficii principalis. Quapropter si ad praeposituram exercitium curae actuale, non vero habituale in cathedrali spectabat ; ea unione s. Aegidii non sequitur, quod praepositura actum et habitum curae obtinuerit, aut naturam suam mutaverit: sed potius retinendum, quod cura s. Aegidii ita unita manserit praepositurae, sicut unita eidem dignitati erat vera cathedralis, idest actu non habitu; ne dicatur quod, praepositus, in una eademque parochia diverso modo diversoque ex titulo, animarum ministerium exercuisset.

Imo neque verum absolute esse quod s. Aegidii paroecia unita sempliciter fuerit praepositurae; quandoquidem ex Brevi Gregorii XIII anni 1580 argueretur, controversam unionem cathedrali, potius quam praepositurae esse factam.

Neque ex eo quod cura animarum a praepositura separata, canonicatui s. Ioannis, assignata fuit, dicendum esse aliquid amplius translatum fuisse, quam actum eius seu exercitium. Etenim si cura actu et habitu inhaesisset praepositurae, iam illud beneficium duplici onere, choralis nempe et parochialis servitii affectum fuisset : unde cum ***beneficium*** sit ***propter officium,*** illius beneficii dos partim propter officium chorale, partim propter parochiale ministerium assignata censenda erat. Et ideo animarum ministerio praeposilurae sublato, minuenda quoque ei fuisset dos, et unienda novo canonicatui curato, sed hoc haudquaquam factum fuit. Unde ex translationis facto potius argui, quod animarum cura huic vel illi beneficio inhaereret, non quoad habitum, sed quoad actum tantummodo.

Neque obstare expressionem illam, quod animarum cura praepositurae immineret ; nam *hoc est intelligendum de cura actuali, remanente semper habituali penes capitulum,* S. Rota *decis. 214. n. 5 et seq. cor. Buratto;* et in *Recent, decis. 31 n. 9 part. 4 tom. 2, et decis. 445 n. 9, 10 part. 5.*

Pariter ex facto, quod capitulum ad praeposituram aut ad canonicatum s. Ioannis, nunc ad archipresbyteratum non nominet nec praesentet, argui debere praedictam curam toti capitulo haud spectet, quia eam per aliquem de suo gremio exercet, Salzano *lib. 2 p. 2 sect. 22.* Praepositura enim aut canonicatus titulum principalem constituit, secundarium vero et accidentalem cura animarum : quapropter ad eum spectat animarum curatorem eligere, ad quem pertinet canonicatum aut praeposituram providere : et ideo licet capitulum curam animarum habeat, non semper potest vicarium parochum nominare.

Minus officere capitularis consensus deficientiam in translatione curae a praepositura ad canonicatum s. Ioannis. Huiusmodi siquidem consensus non requiritur, quoties translatio, ceu in casu, Apostolica aut saltem delegata auctoritate decreta fuisset.

Ceterum, curam habitualem in capitulo constanti persuasione retentam fuisse, non solum in ultimo hoc aevo, veluti eruitur ex confessione defuncti archipresbyteri Parpanesi; sed etiam in antiqua aetate, constat ex causa *Funerum* agitata in saeculo XVII, quam refert Pitonius in *part. 2 pag. 45 edit. Rom. n. 1704.* Ex pluribus tandem documentis probatum esse, quod capituli erat, plura, quae ad animarum curam pertinent, providere. Porro hoc esse iudicium, quod cura habitualis penes capitulum residet, definiit S. Rota *decis. 516 pag. 18 tom. 2 Recent.*

Dato autem, quod cura habitualis capitulo olim immineret, tale ius ex civilibus Iosephi H Imperatoris legibus adimi haud potuisse contendit ; ideoque in eius legitima ac iuridica possessione adhuc se esse concludit.

Haec quoad curae habitualis quaestionem: ad cerae au-

tem spolium quod attinet, capitulum relevat, hoc iuxta vigentem conventionem fieri solummodo in iis funeribus, in quibus capitulum collegialiter intervenit, et in iis dimidium cerae sibi competere, alia medietate archipresbytero tributa.

Porro tam tenue emolumentum, sibi vindicare posse capitulum censet, etiam independenter a quocumque titulo habitualis curae, ex sola interventus ratione, ac potissimum attenta praeeminentia illa, qua capitulum super parochis gaudet, nec non dominio ac potestate, quibus in sua ecclesia fruitur.

Verumtamen praeter haec a partibus adducta, ex officio perpensum fuit, ab initio ipsas dioeceses parochias saepe nuncupatas fuisse. Sed post annum millesimum parochiarum ***particularium*** institutionem evulgari coepisse, eamque a Conc. Tridentino ***sess. 24 cap. 13 de Ref.*** volitam fuisse.

In hoc strictiori seu proprio sensu parochum, iuxta Bouix ***de par. pag. 175,*** illum dici : « qui est deputatus ad ministrandum ex obligatione et proprio nomine verbum dei et sacramenta certo dioecesanorum numero, qui ab eodem vicissim sacra recipere aliquatenus teneatur. »

Age vero vulgatum esse apud omnes, huiusmodi officium aliquando cuidam inesse pleno iure et totaliter; aliquando vero tantummodo in ***habitu*** et non in ***actu.*** Practice loquendo parochum ***habitu*** idem esse ac parochum in ***potentia;*** et vocabulo ***habitu*** nil aliud significari, quam quod parochus de facto sit impeditus ab exercitio curae, licet potentiam habeat ad illud, et obstáculo cessante, etiam actum.

Per se non repugnare exercitium curae spiritualis duobus vel pluribus, aut etiam corpori morali committi, Bouix ***cit. op. p. 180;*** et pluribus in locis olim id obtinuisse, ac S. C. C. non semel probavisse, eruitur ex ***Tiburtina 18 Ianuarii 1757.*** Imo nec Tridentinam Synodum absolute reprobasse curam animarum in aliqua ecclesia pluribus committi, apparet ex ***Cap. 18 sess. 24 de reform.***

Nihilominus unicum in singulis parochiis constitui parochum, regulariter magis expedire, ideoque Tridentinus

Patres praeeepisse ne canonici, quoties sibi suoque capitulo adnexam haberent curam animarum, eam per seipsos in communi exercerent ; sed voluisse eam individuae personae committi.

Et iii hoc casu capitulum habere ***habitualem*** curam, non vero ***actualem*** idest habere habitum, ***sen potentiam*** ad curam exercendam, quam tamen potentiam ad actum traducere non potest, obstante in praesentiarum lege positiva.

Secundum haec igitur cura habitualis nihil aliud esset, quam ***potentialitas quaedam ad pastorale ministerium, quae inest subiecto, quae tamen traduci non potest ad actum, obstante aliqua necessaria causa :*** porro haec potentia potest in aliquo subiecto adesse absque ullo externo signo aut iure ; vel etiam e contra.

Etenim capitula, quae ex lege positiva exuere se debuerunt curae exercitio, plerumque nonnulla iura honorifica aut lucrativa e. g. decimarum, quartae funerariae, nominationis seu praesentationis ad beneficium curatum sibi reservarunt: aliquando vero onera ex.gr. subministrationis utensilium, quae ad curam pertinent, sibi imposuerunt. Aliquando tandem contingere potest, ut cura habitualis penes capitulum resideat, quin haec iura vel onera in ipso inveniantur.

Sic ex. gr. ius nominandi vicarium curatum est indicium adeo conclusivum de curae habitualis existentia in capitulo, ut huiusmodi iuris deficientia a nonnullis DD. habeatur veluti signum certissimum, quod cura habitualis non sit penes capitulum, Lotterius ***Lib. 1 quaest. 28 n. 104.*** Verum licet capitulum Vicarium non nominet, et licet Episcopus conferat beneficia, canonicatus et dignitates, quibus competit exercitium curae ; nihilominus curam habitualem in capitulo adesse posse, demonstrat Pignatelli ***tom. IX consult. 159 per tot.*** ac praesertim ***num. 15*** ubi plures ad rem Rotales decisiones refert.

Et confirmatur ex disputatis in ***Comen, coram Cerro decis. 451,*** et apud eumdem Pignatelli ***tom. 9 cons. 151,***

et Pitonium *discep.* **45.** Unde Reinífest. *ad* ***tit.*** *de* ***off.*** *Vicarii num.* ***26*** notat, vicarii perpetui institutionem debere fieri ab Ordinario, « quamvis *regulariter* ea fieri debeat ad praesentationem seu nominationem rectoris principalis, sive illorum quorum dignitati vel capitulo ecclesia parochialis fuit unita. » Illud *regulariter* sonat, quod vicarii institutio saltem in via exceptionis aliter fieri possit.

Eadem dicas de decimis, de quarta funeraria et de similibus iuribus vel praestationibus : siquidem hisce etiam deficientibus, cura tamen habitualis capitulo competere potest ; uno verbo, habitus seu potentia ad curam exercendam, potest cuidam inesse, licet externis iuribus aut obligationibus ipse careat.

Ex quibus colligi datur, quod nominatio ex parte capituli ad beneficium vel ad canonicatum curatum, ita ut nominatus habeatur et nuncupetur vicarius capituli in exercenda cura animarum , est signum certum , quod capitulo insit cura habitualis. Cetera vero, seu perceptio decimarum, administratio bonorum parochialium, quarta funeraria etc. sunt quidem *iudicia* de existentia curae in capitulo, sed *indicia aequivoca et fallibilia :* nam haec ex alio titulo, quam ex unione paroeciae ad capitulum et ex iure habitualis curae, capitulo competere possunt. Reclusius *Op. cit. part.* ***1*** *tit.* ***4*** *de erect. Vicar. et tit.* ***5;*** Rota *Decis.* ***516*** *part.* ***18*** *tom.* ***2*** *Recent.* De Luca. *De par. disc.* ***18.***

Deficiente autem nominatione vicarii curati et deficientibus aliis indiciis de cura habituali in capitulo, sed solo inspecto iure communi, retinendum videtur, quod in collegiata de iure regulariter cura habitualis resident penes collegium, ideoque archipresbyter curam animarum nomine collegii administret; in cathedrali vero nomine proprio exerceat. Cuius discriminis ratio haec est; *quia archipresbyter in collegiata est uti caput collegii, non uti parochus ; ad differentiam archipresbyteri in cathedrali, ad quem spectat exercitium curae eiusdem cathedralis et sic parochus ibi censetur.* Pitonius *discept.* ***45;*** Pveclusius *Op.*

cit. tit. 5 de paroch.; Pignatelli *tom. 9 consult. 150 per tot.* praesertim *num. 12;* S. Rota *decis. 450 n. 2 cor. Cerro.*

Perpensum tandem fuit ex pluries citato Reclusio, *tit. 4 num 39,* quod expressiones illae, quae saepe in collatione aut fundatione archipresbyteratus vel alterius dignitatis-curatae inveniuntur - *omnimoda cura, pleno iure, independenter a capitulo, pertineat, exerceat* eie.-per se non probant in eadem dignitate esse plenum absolutumque parochiale ius : huiusmodi enim expressiones aut exaggeratae, aut curam actualem tantummodo afficientes considerantur.

Hisce omnibus ex utraque parte perpensis proposita fuerunt enodanda sequentia

Dubia

I. *An sit locus restitutioni in integrum* - Et quatenus affirmative.

II. *An sit standum vel potius recedendum a decisis in casu.*

III. *An sit standum vel potius recedendum a decisis in secundo dubio in casu.*

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii sub die 24 Martii 1888 respondere censuit: *Ad* 1um *Negative et amplius. Ad* 2um *et* 3um *provisum.*

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Rem iudicatam pro veritate haberi, ita ut contra eam probatio non admittatur, etiam sub praetextu novorum instrumentorum postea repertorum.

IL Hinc institutiones in integrum cautissime concedendas esse, ne lites in infinitum trahantur et res iudicatae evanescant.

III. Primis Ecclesiae saeculis, in qualibet Dioecesi, unam fuisse ecclesiam seu paroeciam, ad quam Christiani omnes non modo urbis, sed etiam viduorum oppidorum, die dominico confluebant, et praesentibus quidem distribuebatur Eucharistia, ad absentes vero per diaconos mittebatur.

IV. Huic ecclesiae, quae cathedralis erat, ipsum Epis-

copum praeesse, qui suum habebat senatum seu presbyterium, hoc est illi addictos presbyteros, quorum erat Episcopo dare operam in ecclesiae regimine et administratione.

V. Aucto fidelium numero, alias ecclesiae minores conditas fuisse, quae nulli separatim Presbytero addictae erant, sed ad eas regendas singulis diebus dominicis clerici de ecclesia ab Episcopis mittebantur.

VI. Verum in villis et vicis, ab urbe dissitis, ut iustis fidelium exigentiis satisfieret, saec. IV vel V; in civitatibus vero saec. XI primas paroecias seu districtus fidelium cum ecclesia ac proprio, stabili peculiarique sacerdote constitutas fuisse; ita ut eo tempore munus parochiale Episcoporum ad solum districtum Cathedralem circumstantem coarctatetur, qui ideo paroecia cathedralis seu episcopalis vocari solebat.

VII. At progressu temporis hunc quoque districtum peculiari curae alicuius commissum fuisse, eumque in Cathedralibus, iuxta sententiam magis acceptam, fuisse capituli archipresbyterum , qui utpote ***vicarius natus*** Episcopi ***in spiritualibus*** ex tit. ***De Offic. Archipresb.*** Decret, utramque curam, habitualem scilicet et actualem retinebat.

VIII. Etsi non repugnet, neque Tridentina synodus absolute reprobet, curam animarum pluribus committi; tamen iuri communi magis conforme esse, ut in singulis parochiis unicus parochus constituatur.

IX. Officium parochi aliquando cuidam inesse pleno iure et totaliter ; aliquando vero tantummodo in ***habitu*** et non in ***actu.***

X. Illum dici habitualem dumtaxat curam habere, qui de facto illam nec exercet nec exercere valet; sed tantum aliquatenus potest et debet providere, ut per aliquem sub vicarii nomine exerceatur.

XI. Parochum ***habitualem*** non esse verum parochum; nam ille verus parochus non est, qui parochianis ea, quae ad curam pertinent, non tantum ex officio non ministrat, sed nec ministrandi ius habet, sed eiusmodi titulum valere dumtaxat ad certa ipsi praeservanda iura.

XII. Nominationem vicarii curati, ex parte capituli, certum argumentum esse, quod capitulo cura habitualis competat.

XIII. Perceptionem decimarum, administrationem bonorum parochialium, iura funeraria et alia huiusmodi, ***indicia*** esse de existentia curae habitualis in capitulo ***aequivoca*** et ***fallibilia;*** nam haec capitulo competere possunt ex alio titulo.

XIV. Deficientibus nominatione vicarii curati et aliis indiciis mox citatis, archipresbytero Cathedralis curam, tam habitualem, quam actualem competere ; at in ecclesia Collegiata ad archipresbyterum pertinere curam actualem, habitualem vero penes collegium residere.

XV. Rationem discriminis in hoc consistere, quod archipresbyter in Collegiata est uti caput collegii et non uti parochus, et exercet curam nomine collegii, tamquam ipsius caput; ad archipresbyterum autem Cathedralis spectat exercitium curae eiusdem cathedralis, et sic parochus ibi censetur.

XVI. In themate archipresbytero restitutionem in integrum denegatam fuisse; ideoque favore capituli curam habitualem admissam fuisse, quia, iuxta Pitonium, ***discept. 50 part. 2y*** tunc temporis iam retinebatur Laúdense capitulum habituali cura potiri.

XVII. Per civiles dispositiones sive Iosephi II, sive Napoleonis I ius curae habitualis in capitulo sublatum haud fuisse, ex eo quod de ea sermo non erat ; sed tantummodo ex iis probari ius nominandi in imperatore ; et innovationes disciplinares capituli anno 1806 factas et a Pio VII approbatas, legitimas fuisse.

ARMINEN.

SACRAMENTORUM ET FUNERUM

Die 24 Martii 1888.

Sess. 25 cap. 13 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Comes Alphonsus Salimbene Mutinensis, mense Maio vel Iunio anni 1886 decurrente, Ariminum petiit et, valetudinis curandae causa, aedes quasdam conduxit ad mare positas et in finibus paroeciae s. Nicolai comprehensas; sed die 13 subsequentis iulii, ingravescente morbo, mortem obivit.

Quaestio tunc fuit parochos inter s. Nicolai et cathedralis, utri spectaret ius sacramentorum et funerum in comitem Alphonsum. Et quia de facto, et reclamante licet cathedralis parocho, alter, scilicet s. Nicolai rector, sacramenta infirmo ministravit, et defuncto paren talia egit, iam parochus cathedralis de restitutione emolumentorum actionem quoque instituit.

Disceptatio **Synoptica**

IURA PAROCHI CATHEDRALIS. Patronus, quem sibi elegit cathedralis Ecclesia, missa questione de iure communi, ad consuetudinem , ter ferme centenariam , appellat, eamque synodalibus praescriptionibus innixam , ac sibi prorsus faventem.

Notandum tamen ad maiorem intelligentiam eorum quae •sequuntur, diversum ius obtinuisse et probatum fuisse pro advenis extradioecesanis, *exteris,* ceu dicunt, et pro advenis *dioecesanis.* Imo in recentioribus dispositionibus et alia specialis invenitur distinctio, pro civibus scilicet, qui districtum suum relinquentes, novum ingrediuntur, et ibi paucos post dies, vel paucas post horas decedunt.

Iamvero in advenas extradioecesanos seu exteros amplissimum videtur reservatum ius favore cathedralis. Et re sane vera in Synodo Ariminensi Saluciana, habita anno 1602 tit. *De Funeribus cap. 4,* cavetur: « Si vero dioecesanum,

exterumve quemcumque in aliqua civitatis paroecia decedere contingat, intra cuius fines etiam quatuor dumtaxat ante dies, domum ex municipalium ipsius civitatis legum praescripto conduxerit, eum ad ipsam parochiam pertinere declaramus: idem de famulis esse observandum, modo tamen bona ab utroque casu fides non absit. »

Dubitatum exinde est, an uno domus conductionis facto, exteras incola ipso iure spectaret ad parochum, in cuius paroecia inhabitans occubuerit. Et rem diremit synodus habita ab Episcopo Pavoni anno 1624 *tit.* ***12*** *Be funeribus:* « Quoniam saepe dubitare contigit super exteris, in civitate nostra commorantibus, an, quoad receptionem sacramentorum, et sepulturam spectent ad cathedralem nostram, an vero ad ecclesias parochiales, quarum parodi"arum tempore infirmitatis, aut mortis sunt incolae: ideo ad tales dubitationes et controversias tollendas declaramus, eos tantum pertinere ad parochiales, qui intra earum fines conduxerint domum, vel partem, *ad -habitandum per annum, vel maiorem eius partem, animo ibi recipiendi sacramenta et munera ad parochiaitos spectantia obeundi.* »

« Quare parochi cum audierint externum quempiam domum, ut praefertur, conduxisse intra parochiam, ab eo sciscitetur, saltem coram duobus testibus, an illa intentione eo se transtulerim ut fiat eius Ecclesiae parochianus, velit ne in ea et ab ea recipere sacramentalia, cum reliquis iuribus parochialibus; quodque ab eo fuerit responsum, referant in suo libro status animarum, additis testium qui praesentes fuerunt, nominibus. Tali enim scripturae et testibus in eo libro enarratae, omnino credi debere decernimus. »

Huiusmodi dispositiones in viridi observantia inveniri, et confirmatas esse in subsequentibus synodibus sub Episcopo Cessi anno 1630, sub Episcopo Galli anno 1660, atque iterum anno 1679, in qua declarationis maiorisque perspicuitatis ergo, haec verba adiecta esse voluerunt: « Ut pax illa, quam pia mater ecclesia precari consueverit, inter vivos etiam foveatur, atque altercatione? inter parochos

oboriri consuetae, aboleantur: decernimus et declaramus, exteros, vel advenas, si fiant huiusce urbis incolae, domicilium parochialem tum contraxisse, quando conductam domum, aut etiam inhabitant ***animo ibi permanendi pro maiori anni parte,*** et reipsa ibi ceperint habitare. »

Anno 1711 ab Episcopo Devia alia synodus celebrata est, ubi dioecesanorum et extradioecesanorum distinctio aperte probata est. Ibi sane legitur: « Qui dioecesanus domum in civitate conduxit, quarto elapso die, domicilium contrahit, et paroeciae subditur, in qua sita est, quod refertur quoque ad parochorum consanguineos, si cum animo permanendi ecclesiarum domus accesserint. Si autem ante quartum in lethalem morbum inciderint, quo e vita decesserint, eorum cadavera ad summam aedem deferantur. Vagi, peregrini, alienigenae, nisi viventes sibi tumulum destinaverunt, in cathedrali ecclesia sepeliantur. »

Sed cum vaga illa expressio ***domum conduxit*** obiurgationibus aditum aperiret, idem Episcopus rem declaratam voluit in subsequenti synodo, hoc adiecto articulo: « Qui dioecesanus domum in civitate conduxit ad non breve tempus et habitare coepit, quarto elapsa die in dubio an venerit animo permanendi, praesumitur eo animo venisse, adeoque ex praesumptione domicilium contrahit, et paroeciae subditur in qua sita est, quod refertur quoque ad parochorum consanguineos, si cum animo permanendi ecclesiarum domos accesserint. Si autem ante quartum in lethalem morbum inciderint, quo e vita discesserint, eorum cadavera ad summam aedem deferantur. »

« Vagi, peregrini, alienigenae, nisi viventes sibi tumulum destinaverint, in cathedrali ecclesia sepeliantur. »

Nec satis ; Episcopo sedente Massa anno 1742 denuo de funeribus in synodo actum est, ac denuo idem constitutum: - ibi - « Quicumque tamen venerit e dioecesi in Urbem, et ibi conducta domo, aut empta aut quovis modo alio occupata, ceperit habitare, si quarto postquam advenit die occubuerit, adiudicetur defunctus paroeciae urbanae, sed

si ante quartum decesserit a vita, ducatur in cathedralem ad quam pertinent iure peregrini, advenae, erronés seu vagi omnes, dummodo sibi viventes non constituerint sepulturam, certam alio in loco. »

Demum synodus Ridolñ anni 1818, quo adhuc regitur Dioecesis, non aliter ac praecedentes disposuit. Siquidem ***cap. 5 §. 3 de funer.*** haec definiit: « Cathedralis ecclesiae, uti antiquitus habetur , iura haec sunt : Civitatis, Fortalitium, palatia tum municipii, cum praetoris, carceres, peregrini, advenae qui in domibus privatis, diversoriis, cauponis fortuito incolunt, ecclesiae subiacent cathedrali quoad sacramentorum perceptionem et funeris. »

Et in. subsequenti §. 4: « Ut e medio controversiae tollantur omnes inter parochos, quae sequuntur sancimus: Iis exceptis, quae supra de cathedrali, et nosocomio diximus, ius sacramentorum et funerum ad Parochum spectat, in cuius paroecia casu quivis, cuiuscumque sit aetatis, vel conditionis moritur, si incolatus XXIV horarum praecesserit. »

Unde concludit patronus, ex allegatis documentis, satis superque evinci distinctionem iurium, suaeque thesis confirmationem: idest tres distingui casus, civium, dioecesanorum, et exterorum: cives funerari in ea paroecia ad quam se transtulerunt, si incolatus 24 horarum praecesserit: advenas dioecesanos pertinere ad paroeciam in qua domum conduxerunt, et non ad cathedralem, si post quatuor dies a domus conductione decesserint: demum advenas exteros ad cathedralem pertinere si fortuito incolunt, absque electo scilicet domicilio aut quasi domicilio.

Atqui comes Salimbeni cum tantummodo valetudinis curandae ergo, Ariminum venisset, fortuito et absque electo domicilio seu quasi domicilio ibi incoluisse dicendus est; hinc necessario, iuxta patronum, ad cathedralem pertinere debebat.

Hac vero stante consuetudine, parochum loci, in qua comes mortuus est, nedum a sacramentorum administratione et funerum celebratione repelli, sed et a quartae funerariae

iure excludi, probat orator ex rotali resolutione in *C as alen. Quartae f aner aliam 2 februarii 1612 n. 376part. 1. Recent.* , ex *Pisauren. 22 Januarii 1618* apud Gravantum *v. Quarta episc. n. 1,* ex Barbosa *lib. 3 cap. 12 n. 19,* ex *rotali decis. 240 cor. Rezonico;* ex quibus locis habetur, quod « stante consuetudine in civitate, quod ius sepeliendi peregrinos et viatores spectet ad cathedralem, quarta funeralis non debetur parocho, intra cuius limites viator decedit. »

Sed ad rem suam potissimum facere, patronus urget, novissimam S. C. C. resolutionem datam in prorsus consimili casu qui Arimini quidem contigit. Cum enim Cesildes Bartolucci , uxor civis cuiusdam qui Cerviae domicilium fixerat, Ariminum, in suam scilicet natalem civitatem, apud matrem, valetudinis curandae ergo venisset, et ibi in paterna domo mortua esset, S. C. C. die 5 Septembris anni 1846 definiit, funus illius non ad parochum loci in quo mulier defungebatur, sed ad cathedralem spectare.

Nec iuvat obiicere recentiori tempore idest die 28 Martii 1880 S. C. C. diversum dedisse responsum in casu funeris cuiusdam romani civis Fiorentini. Observat enim orator, praeter reliqua quae ad rem dici possent, in eo casu S. C. C. ad Episcopi consultationem respondisse; Episcopum vero praedicavisse Fiorentini a tribus iam annis domum ad mare aedificavisse quam aestivis mensibus incolebat, eumque ideo veluti quasi domicilium Arimini habentem posse considerari.

IURA PAROCHI s. NICOLAI. Vicissim vero favore parochi s. Nicolai haec animadversa fuerunt. De iure communi non una est DD. sententia quoad viatorum et advenarum funera. Nonnulli enim utique volunt advenas et peregrinos esse sepeliendos in ecclesia maiori seu cathedrali, in qua de iure antiquo erat communis sepultura: Pignatelli *Consult, canon. tom. 1 cons. 141 num. 1 ;* Barbosa *part. 3 cap. 25 num. 22, cap. Ubicumque 13 quaest. 2.* Alii vero asserunt quod sepeliri debeant in ecclesia parochiali, cui subest

eorum decessionis locus. S. Rota *cor. Seraph, decis. 1135;* Riccius *Prax. etc. p. 4 res. 293.* Et hanc opinionem ve» riorem retinet Gratianus *discept. 94 num. 73,* et communem dicit Sperellus *decis. 87 num. 12 seq.,* praesertim quoad eos qui in aliqua parochia moram traxerint, vel convenerint animo eam trahendi, vel sacramenta receperint a sacerdote parochiali; Sylvius *v. Sepult, num. 8.* Antonius de Batr. *cap. 1 num. 9 De sepult. ;* « quoniam, ut advertit *loc. cit.* ipse Gratianus , ius sepulturae multum pendet ab administratione sacramentorum , et illius electio potest fieri etiam tacite. »

Sunt demum Doctores qui, ponentes inter advenas discrimen, tradunt eos qui veluti vagi, peregrini, pertranseuntes et viatores fortuito et obiter incolunt regiones, ubicumque ipsis decedere contingat, semper in ecclesia cathedrali tumulandos esse: iis autem qui vel in conducta domo, vel in hospitali inhabitant, sepulturam in casu mortis numquam in cathedrali parandam esse, bene vero in propria ipsorum incolatus paroecia. Ita Sperellus *decis. 87 n. 14;* Savorim *Variar, eluc. tit. 2 cap. 11 n. 114;* Card. Petra *tom. 2 com. in const. 9 Innoc. III sect. unie. n. 5,* Mattaeucius aliique, afferentes resolutionem S. C. EE. et RR. in *Fulginaten. 3 Iulii 1592;* cui accedit resolutio S. C C. in *Portuen. S. Rufinae* et *Centumcellarum Sepulturae et emolumentorum 23 Iunii 1832 § Ex.*

Eamdem tenet sententiam Ferraris qui *v. Sepultura num. 22* iti expresse loquitur: « Peregrini pertranseuntes et viatores, nisi sepulturam elegerint, sepeliendi sunt in cathedrali : advenae autem seu exteri et peregrini habentes per aliquod tempus habitationem in aliqua paroecia, sepeliendi sunt in ipsa. Sic S. C. EE. et RR. in *Fulginaten. 3 Iulii 1592* rescribens Episcopo: *Etiam circumscripta consuetudine, advenas et pertranseuntes in cathedralibus; et reliquos in parochia, intra cuius fines obierint, si per aliquod tempus habitaverint, esse sepeliendos.* » Et infra *n. 23,* cohaerenter ad ea quae dixerat praecedenti numero, ita

prosequitur: « Studiosi, famuli, conducticii milites, officiales, ***aliique similes conducentes domus per aliquod tempus, seu alicubi habitantes,*** si sepulturam non sibi elegerint, debent sepeliri in parochia ubi sic habitabant et decesserunt; ***Communis,*** et servatur recepta consuetudo, quae non solum est in dubiis optima legum interpres, ***cit. I. Si de interpretatione 37 ff. De legibus etc.;*** sed etiam clarae legi derogat, ***cap. Cum tanto 11 De consuet. »***

Et merito quidem cautum videtur paroeciam commorationis potiori iure frui ac cathedralem quoad funera eorum, qui licet sint advenae, diu tamen in ea paroecia commorati sunt, ibique domum conduxerunt.

Nam licet cathedralis ecclesia aut in signum honoris, aut in memoriam matricitass, ex recepta consuetudine, ius habere possit sacramentorum et funerum in advenas; hoc tamen intelligendum unice videtur de veris certisque advenis, de iis scilicet qui proprio pastore propriaque ecclesia carent; minime vero de iis de quibus dubitari potest, num proprium pastorem propriamque ecclesiam acquisierint. In dubio enim standum videtur pro parocho, pro quo ius commune militat, quique fundatam habet in iure intentionem quoad adsistentiam spiritualem et funera eorum omnium, qui intra limites suae paroeciae decedunt; minime vero pro cathedrali, quae potius privilegio aut exceptione utitur. Quapropter parochus nec videtur teneri ad suum ius probandum; sed potius cathedralis ecclesia: eo vel magis etiam quia cathedralis ecclesia ipsa est quae negat acquisitionem quasi domicilii, eamque negat contra indicia positiva, contrarium suadentia. Siquidem positivum et saltem, usque ad argumenta in contrarium, sufficiens indicium animi quasi domicilii est diuturnae commorationis factum, iuncta praesertim circumstantia quod advena non perfunctorie de die in diem, sed per mensem atque indefinite aedes aut cubicula conduxerit.

Haec quae de iure communi sunt, casui in quaestione applicando, non temeraria videretur conclusio, quod advenae, rusticantes, quoad sacramentorum perceptionem et parentalia,

ad paroeciam commorationis pertineant, minime vero ad cathedralem. Rusticantes enim, qui non diem neque hebdomadam, sed menses et tempestates in rusticationis loco obire possunt, inter peregrinos et advenas perfunctorie commorantes haud videntur posse accenseri. Ideoque licet Cathedralis ariminensis iure parochiali in advenas fruatur, ipsum ad rusticantes extendere haud potest.

At obiicitur, quae videtur peremptoria exceptio, scilicet dispositiones synodales ac vetustissimam consuetudinem cathedralis intentioni favere : porro si in omnibus consuetudo legitime praescripta plurimum valet, in funerum materia utramque paginam facit.

Verum ex adverso observatum est, I° dispositiones synodales per se iuri communi derogare non posse : si itaque ius commune parochis tribuat ius in advenas diu in suo districtu commorantes, domum ibi conducentes, ideoque praesumptive sibi subditos ratione quasi domicilii; iam nec synodus dioecesanae contrarium possunt statuere. Hoc quidem poterit consuetudo, sed de hac et de eius valore paululum loqui differtur. Interim quoad synodales dispositiones observatur, antiquas quidem haberi quae distinguunt intra advenam dioecesanum et extradioecesanum : et illum faciliori ratione parocho loci subiiciant quam alterum: adeo ut si ille domum conducat post quatuor dies iam parocho loci plene addictus declaretur; dum alter, extradioecesani nempe, interrogari coram testibus debeat, et nisi aperta eius animi declaratio habeatur, cathedrali adiici oporteat. Haec inquam disposuerunt quidem specialibus forte de causis antiquae nonnullae synodales leges; at hoc non videtur neque in usum revocatum, neque assertum, neque praestitutum in articulis ultimae synodus, qua dioecesis a multis iam annis regitur. Ibi enim tantummodo dicitur absque dioecesanorum et exterorum : « Peregrini et advenae, qui domibus privatis, diversoriis, cauponis fortuito incolunt ecclesiae subiacent cathedrali quoad sacramentorum perceptionem et funera. » Porro rusticantes, qui ex condicto et ad plures menses Ariminum

petunt, haud videntur posse connumerari inter eos qui ***fortuito*** in domibus privatis, diversoriis et cauponis incolunt.

Relate vero ad consuetudinem, hanc non fuisse neque constantem, neque certam, neque pacificam argumenta plura suadent. Et in primis ipsae synodus, toties celebratae, ubi passim sermo est de discordiis quae deplorantur, ad quas tollendas iterum iterumque normae et sanctiones ponuntur, non leve praebent argumentum, quod nec certa, nec definita, nec pacifica erant iura cathedralis.

Accedit testimonium plurium, quos parochus s. Nicolai producit, quosque commendat Episcopus, qui fidem faciunt non semper neque pacifice cathedralem ecclesiam suo privilegio frui potuisse; quos inter praecipue eminet quidam senex Ioannes Boninsegni, qui, quatuor expositis peculiaribus casibus, in quibus cathedralis ecclesia a iure funerandi advenas mansit exclusa, concludit : praetensum Cathedralis ius circa funera advenarum, numquam fuisse pacificum sed semper idem comitatae sunt scandalosae contestationes.

Sed quia ex altera parte testes sunt cathedrali faventes atque eos inter parochi Manzi, Mengozzi, Bilancioni, et canonici Balsimelli et Gardini, respondet parochus s. Nicolai, Manzi memoriae facultatem amisisse, duos alios nihil positive conclusisse, postremos vero duos canonicos, utpote interesse in re habentes, esse suspectos.

Porro, ceu facile quisque percipit, in hisce testimoniis res est non tam de advenis rusticantibus, quos tamen tantummodo respicit dubium in calce propositum et contestatur^ sed extenditur ad quoslibet advenas, ipsumque ius cathedralis inficiatur. Quapropter adducta testimonia non modo valent, sed et a fortiori concludunt. Ordinarius vero ait, haec omnia veritate niti.

Sed ubi potissimum deprehenditur ambiguitas consuetudinis cathedralis faventis, est in facto funeris Fiorentini.

Episcopo Arimini sedente Emo Battaglini, Paschalis Fiorentini civis Romanus, qui rusculum ad mare in paroecia s. Nicolai construxerat quique tertio iam anno balneorum

tempore illuc venerat, morbo correptus, vigesimum circiter post diem ab adventu moriebatur. Hinc contentio. Adsistentia utique praestita fuit a cathedrali, reclamante licet parocho s. Nicolai, et funus pariter in cathedrali actum est ; sed emolumenta penes sequestrimi concredita. Emus enim Battaglini, cui res certa undique non videbatur, apud se plures parochos convocavit; et cum res componi non posset, nec iura definiri, duobus canonicis rem examinandam commisit.

Novo interim Episcopo Ariminum veniente, hic conclusiones duorum canonicorum cathedrali faventes perlegit, sed hanc sibi persuasionem inducere non potuit; unde et S. C. C. super hoc negotio consuluit, quae quoad funus Fiorentini respondit : id spectare ad parochum suburbii ; quoad ea vero quae in aliis quaesitis continebantur, circa nempe ius funerum, et synodalium dispositionum sensum, praeceptum Episcopo fuit, ut rem ageret in dioecesana Synodo.

Porro ex universa hac historia id unum certissime scatet, quod scilicet etiam hac vice cathedralis ecclesia pacifice suum ius exercere haud valuerit.

Quapropter si consuetudo nec certa nec pacifica nec definita pro cathedrali militat, iam praetensum cathedralis ius, quod potissimum ex consuetudine procedit, nutare videtur. Ad summum enim posset admitti ad cathedralem spectare funus illorum viatorum et advenarum qui perfunctorie omnino in loco morantur, et ibi ***fortuito*** moriuntur, ideo quia, iuxta aliquos doctores, in hos advenas cathedralis ecclesia iurisdictionem exercet de iure communi. At numquam valebit, hanc facultatem, deficiente consuetudine legitime praescripta, extendere ad eos advenas qui domus ad diuturnum tempus conduxerunt, de quibus insuper dubitari potest num quasi domicilium acquisierint.

Quod quidem, si aliquid valet pro advenis rusticantibus in genere, a fortiori urgendum est in speciali casu comitis Salimbene; ex quo nata est praesens controversia.

Etenim parochus s. Nicolai, falsitatis coarguens contrariam capituli relationem, recolit comitem Salimbene per aliquot

menses et non per aliquas hebdomadas domum ad mare conduxisse; illuc adventasse die *22* Maii, et defunctum fuisse die 13 Iulii, et minime ad balneorum exercitium accessisse, sed ad aeris maritimi beneficium , quia scilicet phtysi. laborabat: porro notat parochus, huiusmodi cura brevis haud est, ceu cura balneorum.

Sed quod magis est aliud in themate concurrit, quo forte quaestio dirempta esse potest. Etenim cathedralis privilegium urbanas paroecias ad summum respicit: at s. Nicolai paroecia in suburbio, extra moenia civitatis considet: porro iura quae cathedralis ecclesia intra moenia exerit, haud esse extra moenia extendenda erui videtur ex ***cap. Si civitas 17 De sent. ex com. in 6.***

Et licet velit cathedralis Ariminensis iura extendi ad vicos et domus moenia circumstantantes, hoc tamen haud videtur congruum praefiniri quoad domus et villas mari contiguas, quale erat ' rusculum a comite Salimbene inhabitatum, quod ferme mille passus ab oppido distat.

Unde notat parochus et testes ab eo producti confirmant, quod si controversiae indesinenter fuerunt quoad parochialis iuris exercitium cathedralem inter et urbanas paroecias, maiores exarserunt lites cathedralem inter et suburbanas et s. Nicolai paroeciam.

Quae omnia concludens Episcopus, haec habet: a summa rerum colligi potest, numquam fuisse pacificam consuetudinem, ceu vellet parochus Cathedralis; quo casu enim meus antecessor quaestionem définivisset, pro qua postulatum feci. Animadvertendum quoque est , quod si rationum momenta Parochi Cathedralis alicuius essent valoris, nescitur an idem dici possit pro rusculo, quod subiicitur paroeciae suburbii extra civitatem, ab eodem aliquantulum distans, et in agris apertis.

Hisce praeiactis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. ***An parocho cathedralis competat ius sacramentorum***

et funerum in advenas rusticantes, qui intra fines paroeciae s. Nicolai,* mala *electa sepultura, decedunt in casu.

II. ***An sit locus restitutioni emolumentorum pro funere comitis Alphonsi Salimbene in casu.***

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re discussa sub die 24 Martii 1888 censuit respondere: ***Ad*** I ***Negative Ad*** II ***Provisum.***

Ex QUIBUS COLLIGES. I. De iure communi advenas et viatores ab illo parocho sacramenta recipere et funerari debere intra cuius paroeciae fines decedunt.

II. Nihilominus in hac materia multum deferendum esse consuetudini, cuiusque loci propriae.

III. In vim huiusce consuetudinis, ut plurimum contingere, ut advenae et viatores, qui in aliquo loco perfunctorie commorantur, si ibi fortuito decedunt, in Ecclesia cathedrali sacramenta recipiant ac tumulentur, a parocho vero illius paroeciae, intra cuius fines obierunt, si in ipsa per aliquod tempus habitaverint.

IV. Huiusmodi autem consuetudinem debere esse constantem, certam atque pacificam, ut mox dicta operari queat.

V. In dubio standum esse pro parocho, pro quo ius commune militat, quique fundatam habet in iure intentionem quoad assistentiam spiritualem et funera eorum, qui intra limites suae paroeciae decedunt.

VI. Leges synodales ius commune sive abrogare sive ipsi derogare haud posse.

VII. In themate quaestionem resolutam fuisse favore parochi s. Nicolai videri, tum quia consuetudo a Capitulo Cathedralis adducta, neque constans, neque certa, neque pacifica fuit ; tum quia defunctus, intra fines praedictae paroeciae s. Nicolai quasdam aedes conduxerat, ibique per aliquod tempus habitaverat.

TRANEN.

PROCESSIONUM ET FUNERUM

Die 28 Aprilis 1888.

Sess. 25 cap. 21 De reg. et mon.

COMPENDIUM FACTI. Barali in praesentiarum tres sunt collegiatae ecclesiae. Antiquior, quae et matrix omnium aliarum ecclesiarum vult esse, quaeque nuperrime ad Cathedralis honorem evecta quoque est, recensetur ecclesia parochialis s. Mariae maioris.

Huic succedit altera ecclesia parochialis s. Iacobi, quae a monachis Benedictinis ab antiquo extra portam civitatis extructa, deinde in administrationem receptitii cleri saecularis commissa, cito domibus circumsepta, in ambitu civitatis devenit, collegiatae honorem obtinuit, et curam animarum in civitate cum clero s. Iacobi divisit.

Tertia, novissime capitulo decorata, est ecclesia s. Sepulcri. Sed haec proprie in contentionem non venit, licet et ipsa praesentis iudicii exitum expectet, quo potest aut iuvari aut suis desideriis frustrari.

Quae dimicant sunt duae priores ecclesiae. Capitulum enim s. Mariae maioris in ius rapuit coram Arhiepiscopo Tranensi capitulum s. Iacobi, haec definiri petens:

Ut agnoscatur, ius indicendi processiones ordinarias et extraordinarias in territorio Baruli spectare ad Capitulum s. Mariae maioris ; et consequenter ut Capitulo s. Iacobi, aliisque Ecclesiis minoribus Baruli denegetur ius peragendi processiones ordinarias et extraordinarias absque venia et interventu Capituli s. Mariae maioris.

Vicissim reconventionali libello capitulum s. Iacobi coram iudice postulabat, ut pro illegitima haberetur expetita praecedentia etc. a Capitulo s. Mariae maioris.

Iudex autem delegatus die 9 Ianuarii 1886 sententiam tulit, per quam petitio capituli s. Mariae maioris reiicitur, quoad ius indicendi processiones extraordinarias.

Gravatum ex hac sententia capitulum s. Mariae Maioris ad S. C. G. appellavit.

Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO ECCLESIAE s. MARIAE MAIORIS. Porro ecclesiae s. Mariae maioris defensor tripartitam proponit orationem ; in cuius prima parte matricitatem praedictae ecclesiae tuetur ; in secunda ostendit, conatus ecclesiarum filialium, iura et praeeminentias matricis invadentes, iteratis sententiis ac omnibus iuris remediis per quinque fere saecula represso» iugiter fuisse; in tertia demum quasdam diluere satagit adversae partis difficultates.

Et in primis historicis documentis ab Ughellio ***Italia Sacra tom.*** Fl/excerptis, originem ecclesiae s. Mariae Maioris demonstrat, quod unica ab initio erat paroecia in Barulensi civitate, sub nomine s. Andreae vel s. Mariae de Auxiliis : commemorat s. Pontificem Gelasium I rogatum a s. Sabino episcopo Canusino, cuius iurisdictioni tunc suberat Barulum, anno 493 hanc s. Andreae ecclesiam consecrasse.

Interim anno 790 depopulato et everso Canusio ab Authari Longobardarüm rege, ecclesiam et civitatem Barulensem, tamquam ecclesiam ***nullius,*** immediate subiectam Apostolicae Sedi, rectam fuisse ab archipresbytero veluti praelato cum iurisdictione. Et quamvis ob illius temporis difficultates archipresbytero praelato congruum visum fuerit suam ecclesiam spirituali administrationi Archiepiscopi Tranensis submitti, numquam tamen esse desiit ***nullius dioeceseos.***

Imo conditionate et limitate, idest sub quadam conventione, prout et infra apparebit, haec ecclesia Tranensi ordinario se dedit.

Saeculo XII inter religiosas controversias quae fuerunt sub Innocentio II et antipapa Anacleto, archipresbyter, clerus et civitas Barulensis partes veri Pontificis strenue defendit ; unde quasi in remunerationem, sedatis turbis,

Innocentius II ecclesiam s. Mariae de Auxiliis in collegiatam erexit pluribusque auxit privilegiis. Inter alia notatu digna haec specialiter sunt: « Bullae autem et possessio novis electis dentur ab ipso capitulo, inscio et invito Episcopo Tranensi, cui se voluit subiici haec s. Maria de Auxiliis, vetus ecclesia, postquam Oanusium, cuius dioecesis pars erat, sua eversione Episcopatum amisit. » Et persequebatur: « Qui Tranensis Episcopus aliud ius non habeat in ea, nisi illud visitationis, examinis eorum qui confessiones excipere volunt, et ordinandorum. Cetera iurisdictionis iura quae locorum ordinarii solent habere in suis cathedralibus, exceptis iuribus supra designatis, integra remaneant penes instituendum novum hoc capitulum. Quod si praesens aut successor Episcopus Tranii praesumpserit aliquid derogare ab his privilegiis, quae nos ultro concedimus huic novae collegiatae Barulensi, tunc liceat ipsi eximi ab iurisdictione illius, et abrogare conventionem veterem factam cum Eo sub hisce quasi iisdem conditionibus. »

Ubi inter alia specialem attentionem merentur verba illa ***abrogare conventionem veterem;*** quae alludunt ad ea, quae supra innuebantur, de conditionibus sub quibus Barulensis ecclesia Tranensi ordinario se dedit. Quam conventionem utraque pars per tercentorum annorum spatium illaesam servavit, quamque postea Leo X apostolicis litteris •anno 1524 confirmavit et canonicis sanctionibus munivit. Quam Tranenses Antistites semper se observaturos iurabant in actu quo Barulensis ecclesiae possessionem capiebant. Quam demum infringere incassum tentavit Episcopus de Hogeda: nam s..Rota die 12 Maii 1861 ***cor. Oradino*** ecclesiae s. Mariae iura defendit, et Episcopum damnavit.

E contra vero vetusta monumenta ostendunt originem ecclesiae s. Iacobi valde recentiorem esse. Etenim saeculo XII invenimus monachos s. Benedicti ***Montis Sacri*** in Gargano hospitium et ecclesiam s. Iacobi apud portas Baruli possedisse; circa quam quum nonnullae domus pro famulis et inservientibus in hospitio aedificari coepissent, brevi tem-

pore ***suhurbium*** dictum ***novum*** surrexit. Sane Adrianus IV apostolicis litteris ad Abbatem monasterii Montis sacri anno 1158 datis, inter bona Benedictinis propria commemorat « ecclesiam s. Iacobi extra portam Baruli cum pertinentiis suis et omnibus, tam infra eamdem civitatem, quam in eius episcopatu, vestro monasterio pertinentibus. » Eos autem monachos penitus exemptos tunc non fuisse, probari ex verbis, quibus monachis praecipitur, ut « quaelibet ecclesiae sacramenta a dioecesano suscipiatis Episcopo ; » idest in Barulensi districtu ab Archipresbytero, quippe qui ordinariam ibi iurisdictionem exercebat,

Nihilominus monachos paullatim quamquam iurisdictionem spiritualem in circumstantes incolas obtinuisse, et sacramenta ministrasse, et sic sensim sine sensu curam animarum suscepisse et obtinuisse, de licentia tamen et consensu Archipresbyteri et capituli s. Mariae, prout notat defensor.

Progressu temporis, deficientibus Monachis, et imminuto clero, Abbas monasterii Montis s. Angeli, qui sub ditione erat Archiepiscopi Sypontini, ne hospitium et circumstantes incolas omnino desereret, praesertim cum tunc temporis pestis grassaretur, a praefato Archiepiscopo petiit quosdam sacerdotes illuc mitti, qui monachorum loco ecclesiam custodirent, et assuetum animarum ministerium in circumstante plebe obirent. Hinc origo cleri saecularis in ecclesia s. Iacobi.

Res per aliquod tempus absque novitatibus tranquille processerunt; quum, saeculo XVI mediante, singularis quaestio nata est inter clerum s. Iacobi atque Archipresbyterum s. Mariae. Siquidem cum sacerdotes ad s. Iacobi residentes ab Archiepiscopo Sypontino illuc mitti consuevissent cum facultate audiendi confessiones, iam contendebant, se quasi monachos ***ratione personarum*** esse exemptos. Sed controversiam diluit Sixtus V anno 1585 definiens priorem et clerum s. Iacobi ***ratione loci*** Tranensi ordinario esse debere subiectos.

Attamen nulla tunc aderat separatio territorii, et animarum cura ab archipresbytero s. Mariae una simul cum •clero s. Iacobi promiscue exercebatur super universam parochiam, quod non parvi incommodi erat, et cum animarum detrimento fiebat. Quapropter anno 1594 clerus s. Iacobi Archiepiscopo Tranensi, in decursu s. Visitationis supplici libello exponebat : quum cura dictae terrae promiscua sit curato illius ecclesiae, et Capitulo s. Mariae maioris, facili modo, inconveniens verificari posset quoad administrationem Sacramentorum infirmis; quodlibet enim capitulum posset in alterum culpam refundere : qua de re exorat, ut supplicanti pars terrae assignetur, eo consilio, ut cognitis animis sibi concreditis, earumdem salvationi incumbere possit.

His habitis, Archiepiscopus, vestigiis Tridentinae Synodi inhaerendo, dismembrationem decrevit, limitesque designavit « salvis tamen iuribus quomodocumque, et qualitercumque eidem matrici Ecclesiae sacris ex Canonibus competentibus, ac competi tu ris quoquo modo. »

Ubi patronus notata specialiter vult verba, quibus affirmatur individualitatem curae in hoc oppido ***cura dictae terrae*** - aliaque, ubi ecclesia s. Mariae ***matrix*** vocatur, ac demum illa, ubi salva vult Pontifex iura matricis.

Ex quibus omnibus sponte sua fluere, ait defensor, ecclesiam s. Mariae maioris Baruli esse vere et proprie dictam matricem, stricto sensu acceptam, et ecclesiam s. Iacobi esse paroeciam filialem a matrice dependentem, quatenus connata fuerit ex dismembratione ab unica s. Mariae maioris paroecia antea existente. Praesertim cum, ut dictum est, ecclesia s. Mariae maioris praelaturae nullius naturam semper servaret, et imo tribunal primi gradus erigerei, quasi par esset cum Tranensi Archiepiscopo.

De cetero non desunt et alia documenta, in quibus etsi incidenter, constanter tamen ecclesia s. Mariae maioris Barulensis titulo matricitatis et nullius dioeceseos designatur, uti in litteris apostolicis in forma Brevis Gregorii XIII

diei 1 Aprilis 1580, quibus Pontifex altari B. M. V. indulgentiae plenariae privilegium concedebat.

Sed idem, prae ceteris, colligitur ex iure, quo haec ecclesia pollebat pulsandi campanas in Sabbato sancto ante omnes alias ecclesias, uti binae sententiae declarant; altera contra clerum s. Iacobi sub die 21 Iulii 1645 a Vicario generali Melphictensi data, altera sub die 5 Octobris 1712 a Locumtenente Tribunalis A. C. Romae pronunciata contra regulares eremitanos s. Augustini aliosque. Praecedentiam vero pulsandi campanas esse signum Matricitatis, non modo declaravit Leo X in Apostolicis Litteris supra citatis, sed denotat Caeremoniale Episcoporum ***lib. 2 cap. 27 ;*** et hanc praerogativam digniori ecclesiae competere recognovit Card. De Luca ***disc. 42 n. 14 De praeem.;*** et demum declaravit iudex in sententia contra Regulares supra citata, in qua matricitas ecclesiae s. Mariae maioris, acriter tunc impugnata, directe et principaliter in iudicium venit et recognita fuit.

Hisce accedit testimonium unius supra quadraginta civium de clero et populo Barulensi omni exceptione maiorum, qui tempore non suspecto testantur, etiam sub iuramento, se scire quod ab immemorabili ecclesia s. Mariae maioris fuerit habita tamquam Matrix et Primaria, ita ut semper exercuerit actus praeeminentiae super ceteras omnes Baruli ecclesias.

Ad haec adiicit orator quaedam argumenta adminiculativa ex regum et imperatorum diplomatibus in primis desumpta, qui pluries ecclesiam s. Mariae maioris munificentiis ditarunt; quibus antiquis munificentiis praeeminentiam ecclesiae deduci, docet Baldus ***cap. Cum olim n. 1 Be consueta*** Paris ***Cons. 31 n. 39 vol. 4, L. Observa § Antequam ff. De offic. Procons.j,*** Rota ***coram Merlin. Decis. 779 n. 2 Recent, p. 5.***

Insuper potioritatem eiusdem s. Mariae maioris ecclesiae innuunt magnae notae scriptores rerum historicarum, ut Cluver ***Italia antiqua lib. 4 cap. Ii*** et Ughellius ***loc.***

cit. pag. 887. Hinc est quod omnes de clero Barulensi sub unica cruce s. Mariae -maioris incedant, et cruces ecclesiarum s. Iacobi et s. Sepulcri minores sint cruce s. Mariae maioris quinta parte, ad normam Romani Coeremonialis; Pignatelli ***Consult. 73 sub n. 87 tom. 8 ;*** quodque Archipresbyter tam in sua, quam in aliis ecclesiis ius habeat genuflexorii cum pulvinari et viridi tapeto, uti recenter S. C. O. firmavit ***die 14 Februarii 1857:*** hinc insuper est, prosequitur orator, quod sculptus supra portam principalem, in choro, et prope thronum Pontificalem inveniatur agnus paschalis ; quae omnia apprime convenire Collegiatae insigni et ecclesiae matrici S. RR. Cong. definiit ***die 24 Maii 1636,*** et colligitur ex ***cap. Cum causam de prob.*** ex ***cap. Audientiam 2 De praescript.*** et Rota ***Decis. 482 n. 4 part. 1*** et ***Decis. 353 n. 66 part. 5.***

Neque minoris ponderis argumentum ad probandam matricitatem, stricto sensu acceptam, desumi, pergit orator, ex eo quod ecclesia s. Mariae maioris processiones omnes sive privatas peragere ius habeat privative quoad ceteras et in specie quoad clerum s. Iacobi, quemadmodum patet per sententiam Rotae, latam ***die 1 Iunii 1605 coram Guicciardino,*** quod ius hodie iterum in disceptationem venit, et de quo ideo mox erit fusus dicendi locus.

Ultimum demum magni ponderis argumentum depromitur, iuxta patronum, ex praerogativis quibus ecclesia s. Mariae maioris gaudet super ceteras omnes, quaeque firmatae fuerunt auctoritate Clementis XII, qui hanc ecclesiam elevavit ad Collegiatam insignem, et ex apostolicis litteris Pii Papae IX, quibus ad dignitatem Cathedralis eadem evehebatur.

Quod si Card. De Luca in ***Discep. 43 De praeem.*** dubitare videatur de matrici tate ecclesiae s. Mariae maioris, saltem in sensu proprio accepta, id contingit, iuxta patronum, quia forte ipsi perspecta non erant omnia monumenta quae hodie afferuntur.

Ad secundum suae orationis caput descendens orator,

commemorat in primis decretum curiae Archiepiscopalis Tranensis anni 1390, in quo refertur quod cum presbyteri ecclesiae s. Sepulcri et s. Iacobi absque licentia capituli s. Mariae maioris extraordinariam egissent processionem pro pluvia obtinenda « in vilipendium et praeiudicium dictorum Archipresbyteri, Clericorum et Capituli . . . » Vicarius generalis considerans « quod processiones fieri debent non a solis membris sine capite et membris, et sic perfecto ordine observato . . . quod fuit observatum a tanto tempore, cuius omnium memoria hominum non existit, et usque ad praesens tempus similiter observatur . . . » et considerans « quod novitates sint vitandae et scandala amputanda et malitiis hominum non indulgendum... », definiit, praedictis cleris s. Sepulcri et s. Iacobi absque Archipresbyteri et Capituli s. Mariae maioris licentia processiones facere non licere.

Et quum sexaginta post annos, anno scilicet 1450, clerus ecclesiarum filialium iterum cum capitulo matricis contenderet circa ius processiones faciendi, praesertim cum imagine quae in alia servabatur ecclesia, Archiepiscopus Tranensis, Card. de Ursinis in favorem capituli s. Mariae maioris aliud tulit decretum fere eiusdem tenoris : fieri debet processio obtenta licentia a Vicario nostro, concorditer cum Ecclesia s. Mariae, ceu Ecclesia matrix et principalis illius terrae, et ab ea initium capere debet processio . . . Et hic notat patronus quomodonam ab eo usque tempore iura matricis cum Ordinarii iuribus non implicarent, sed optime insimul consistere possent: unde concludit, nil obesse quin. et hodie eadem disciplina absque Archiepiscopi offensione servetur.

Sed anno 1523 iterum insurgere pertentante clero s. Iacobi, Archiepiscopus Tranensis eumdem iterum compescuit, admonens simul Vicarium suum generalem, ut praescripta stricte observanda curaret.

Anno 1603 nova cleri s. Iacobi insurrectio: de facto enim processiones libere agere pertentavit ; sed statim nova

repressio ex decreto 20 Iunii 1603 Auditoris A. C. qui sacerdotibus s. Iacobi inhibuit « sub iisdem poenis censuris etc. ne audeant seu praesumant ad processionem faciendam in alia ecclesia quam in maiori ecclesia s. Mariae sese coadunare vel interesse, et cum interventu et requisitione dictorum Capituli et canonicorum seu cleri. »

Sed s. Iacobi clerus adhuc non acquievit, et iudicialem viam sibi propitiam sperans, hanc inire decrevit, et ideo in ius rapuit Capitulum matricis coram Vicario generali andriensi, a quo propitiam sententiam obtinuit. Ast capitulum matricis ab hac sententia tamquam iniusta, appellationem interposuit apud Locumtenentem in Romana Curia in causis civilibus, ***Guicciardini,*** qui sub die 1 Iunii 1605 sententiam Vicarii generalis andriensis revocavit, et nullam ac falsam esse pronunciavit, simulque iura capituli matricis ecclesiae recognovit ac firmavit.

At neque hic satis* nam alios octoginta post annos et praecise anno 1686 iterum clerus s. Iacobi, occasione arrepta de praecedentia in associatione cadaverum defunctorum sacerdotum, ex integro controversiam instauravit ; sed auditor C. A. quoad processiones Guicciardini sententiam in omnibus approbavit ; et deinde quo ad ea quae ad funera spectant, praecedentiam, elevationem crucis aliaque omnia capitulo et parocho s. Mariae maioris favorabilia omnino statuit.

Hisce non obstantibus et in spretum etiam alterius subsequentis inhibitionis, presbyteri s. Iacobi quater processionem audacter egerunt, ita ut opus fuerit eos suspendi a divinis et ecclesiam s. Iacobi declarari interdictam, aliisque poenis mulctari.

Victi, sed non fracti presbyteri s. Jacobi, ait orator, negativis actibus rem consequi posse autumarunt: a quovis inde processione facienda et a quovis interventu ceteris processionibus abstinentes. Unde aliud monitorium Auditoris Camerae Apostolicae die 3 Ianuarii 1688. Cui postea accesserunt S. Rotae decisiones in ***Tranen. Praeeminentiae 18 Martii 1689, Tranen. Matricitatis 16 Ianuarii 1790 coram***

Coccia, Tranen. Praeeminentiarum 20 Februarii 1715 et iterum ***Super reservatis 5 Iunii 1715 coram Scotto,*** et in confirmatoria ***diei 19 Nov. 1717 coram Ansaldo.***

Rebus ita sedatis cum presbyteris ecclesiae s. Iacobi, clerus ecclesiae s. Sepulcri sub praetextu exemptionis, utpote quia regularis erat, sua vice insurgere coepit contra matricem ; sed illico compressus per decretum Romanae Curiae diei 8 Martii 1731.

Immo hoc tempore cum Clementi XII relatum fuerit de innumeris huiusmodi litibus, ipse negotium sibi avocavit, et per apostolicas litteras tertio idus Iulii 1737, quae incipiunt ***In suprema,*** ecclesiam s. Mariae maioris primariam, matricem et collegiatam insignem declaravit, et capitulo eiusdem, motu proprio et ad lites extinguendas, iuxta patronum, adiudicavit ius privative indicendi processiones. Quas apostolicas litteras, ut auferat adversae partis dubitationes, authenticas esse pluribus argumentis ostendit defensor.

De cetero firmantur etiam ex iis, quae cito subsequuta sunt. Etenim Patres ordinis Praedicatorum processionem SSmi Rosarii facere praesumebant « sine licentia et interventu capituli ecclesiae matricis, imo et sub propria cruce » innixi constitutioni ***Praetiosius*** Benedicti XIII 7 kal. Ian. 1727. At reclamante archipresbytero et capitulo s. Mariae, A. C. Auditor die 3 Octobris 1732 « petitionem huiusmodi iustam et rationi consonam » definiit ; et monuit sub poena ducatorum mille, et censurae interminatione Regulares «ne audeant seu praesumant supradictos dominos instantes praeter et contra formam et tenorem praecitatae constitutionis Illmi D. N. PP. ***Clementis XII,*** et supra editae, innovare seu attentare; minusque eosdem super eorum quieta ac pacifica possessione molestare, vexare et perturbare. »

Aliquot anni lapsi sunt, et denuo prior et clerus s. Sepulcri bellum instauravit. Cum enim hic consuevisset duas agere quotannis supplicationes, altera feria VI in Parasceve, altera in festo Inventionis s. Crucis, anno 1750 petiit qui-

dem ab Archiepiscopo veniam, sed de licentia a capitula s. Mariae petenda non sategit. Unde capitulum ad Archiepiscopum reclamavit, ut servarentur iura et privilegia a sententia 8 Martii 1731 iam citata, sibi recognita, et Archiepiscopus definiit « licentiam impartitam . . . cum clausula ***servata forma soliti,*** fuisse concessam absque praeiudicio iurium R. capituli insignis et collegiatae ecclesiae s. Mariae Maioris. »

Sed clerus s. Sepulcri nihili fecit Archiepiscopi declarationem, et sequenti anno 1752 iterum absque licentia capituli s. Mariae processionem ordinavit. Ideo quaestio ad s. Rotam delata fuit, quae definitiva sententia decernit « praefatos presbyteros prioralis ecclesiae s. Sepulcri ad explendam processionem in feria VI in Parasceve . . . non obstante illorum adserta exemptione, teneri et obligatos esse praeventivam licentiam a capitulo s. Mariae maioris exposcere privatim tantum ; nec sine huiusmodi venia ipsi fuisse et esse licitum eamdem processionem peragere. Quoad aliam vero processionem diei 3 Maii . . . eosdem presbyteros prioralis ecclesiae in sola ipsarum tertia parte teneri et obligatos esse cum habitu chorali et sine cruce in antedictam matricem et collegiatam ecclesiam s. Mariae ad excipiendum eius capitulum progredi, ut inde simul cum illo processionem praedictam expleant.... perpetuumque silentium super praemissis, ait iudex, imponimus, victos victoribus in expensis condemnamus. »

Sed adhuc non acquiescente clero s. Sepulcri, opus fuit civilem auctoritatem interponi, quae sanxit et sub comminatione poenarum civilium Rotalis iudicati observantiam imposuit anno 1754, et iterum, cum idem clerus adhuc insurgeret, anno 1785.

Porro, notat patronus, has tam continuas, tam pervicaces insurrectiones contra iura matricis facilem invenire, nec aliam, explicationem, quam ex facto et animo curiae Tranensis. Haec enim nimia benovolentiâ numquam perspexit, -et plerumque aliqua simultate excepit privilegia ecclesiae

-s. Mariae, prout contigit anno 1794: quo tempore ipsemet Archiepiscopus Regem rogavit, ut controversa privilegia tum quoad processiones, tum quoad ius conferendi canonicatus adimerentur; sed obstitit Rex.

Exinde usque ad novissima haec tempora res tranquille processerunt. Sed die 7 Iunii 1853 ad collegiatae honorem evecta ecclesia s. Sepulcri, gestiens se parem esse cum capitulo s. Mariae, cito veteres obligationes obliterandas contendit. Reclamavit utique capitulum s. Mariae; et Vicarius generalis Tranensis instantiam capituli ad collegiatam s. Sepulcri communicavit ; at nihilominus clerus s. Sepulcri non acquievit, et annis 1863 atque iterum anno 1869 processiones absque licentia peregit.

Exemplum ecclesiae s. Sepulcri sequens novus parochus s. Nicolai anno 1877 petiit a laica potestate, ut sibi cum capitulo s. Nicolai liceret supplicationem ducere per cunctam civitatem ad honorem SSmae. Virginis Mariae. Et ex eo tempore iterum iterumque processiones independenter habere idem capitulum sategit, licet matrix ecclesia in capitularibus conventibus et datis litteris, tum ad hanc collegiatam, tum. ad Archiepiscopum semper, etsi incassum, reclamarci : unde tandem viam iudicialem experiri matrix ecclesia decrevit, et praesens causa incoepit.

Age vero, prosequitur orator, quam illegitime clerus s. Sepulcri titulum ad insurgendum duxit ex privilegio et honore sibi concesso, quando in collegiatam constituebatur, plane evincitur ex ipso erectionis decreto, in quo haec cauta leguntur : « Firmis tamen manentibus praecedentia aliisque iuribus quibus super clero et ecclesia s. Iacobi et s. Sepulcri capitulum actu existens s. Mariae maioris in praesens canonice potitur, ac respectivis obligationibus erga capitulum ipsum, eiusque ecclesiam, quibus respective iuribus et obligationibus nihil per praesentis gratiae concessionem innovatum censeatur. » Quod et confirmatum fuit in apostolicis litteris erectionis matricis in Cathedralem.

Post haec orator ad evellendas contrarias obiectiones

gradum facit. Et in primis cum opponat pars adversa, ius exclusivum peragendi processiones ordinarias cuiusque capituli attributiones excedere, nam iure communi hoc spectat ad Episcopum ; et ideo considerandum esse illud ius veluti privilegium, et uti tale, odiosum nec admissibile, nisi plenis argumentis probetur ; respondit orator, ius exclusivum peragendi processiones non semper excedere attributiones capituli, praesertim quando capitulum pertinet ad ecclesiam matricem vel cathedralem, prout in themate; et ideo hoc ius nativum esse atque intrinsecum ecclesiae s. Mariae, non vero privilegium. Insuper capitulum hac sua praeeminentia, super ceteras ecclesias minime iura Archiepiscopi laedit vel impugnat, nam Archiepiscopi esse processiones permittere vel prohibere capitulum s. Mariae non negat ; sed contendit post Ordinarii permissionem inferiores ecclesias Matricem adire debere, eius capitulum ad processionem invitare et unitim incedere. Quod ius favore capituli Matricis certum esse apparet ex innumeris sententiis et iudicatis.

Ad obiectionem vero, quod cum in casu agatur de derogandis iuris publici principiis, quae ordinem hierarchicum iurisdictionalem Episcoporum constituunt, opus fuisset apostolico beneplacito, suppositum negat orator; nam nulli iuri constituto erat derogandum, cum potius agebatur de iure nativo ipsius ecclesiae Matricis et ***mdlius.*** Accedit quod quum ecclesia Barulensis se uniret Tranensi, conventio inita est, qua Archiepiscopus sese obstringebat ad observandas omnes consuetudines, immunitates et privilegia ecclesiae Barulensis; quam conventionem firmavit Leo X motu proprio, ut dictum est, et deinceps romana tribunalia. Quod si in decreto Urbis et Orbis s. Rituum O. anno 1703 dictum fuit Episcoporum esse indicere processiones, cautum pariter fuit servandas esse « conventiones, pacta et concordias a s. Sede approbatas et consuetudines immemorabiles vel saltem centenarias. »

Ad illud vero quod nulla aderat rationabilis causa hoc privilegium ecclesiae s. Mariae maioris concedendi, respon-

det orator, posito etiam, quod de privilegio ageretur, iustam ac rationabilem causam eam esse, quod ecclesia s. Mariae sit antiquior terrae Baruli, consecrata ab ipso romano Pontifice s. Gelasio I, ac deinde innumeris praerogativis ab Innocentio II ditata, et insuper antiquior et unica paroecia.

Quod demum hoc privilegium, saltem ex non usu vel abusu amissum fuerit, dici nullo pacto posse, contendit orator, post ea quae in superioribus exposuit. Quod si ultimis hisce annis aliquid contra iura matricis gestum fuit, semper tamen capitulum reclamavit.

DEFENSIO ECCLESIAE S. IACOBI. EX altera parte, patronus s. Iacobi primum agit de iure, quod sibi vindicant actores circa processionum indictionem, inhibitionem et interventum, deinde vero pertractat de praecedentia in funeribus.

Ad primum articulum quod spectat explorati iuris esse, edicit, nemini, praeter Episcopum, fas esse publicas supplicationes indicere, earumque ordinem, locum, rationem, definire; Monacell. ***formul, legal, pract. to. 1, tit. 5, num. 22;*** Barbosa ***De off. Episc. all. 78, n. 3 seqq.;*** S. Rituum Congr. in ***Elboren, apud Gardell. voc. Processiones, num. 528.*** Idque quia quod publice interest privato cuiusquam arbitrio subiici non debet. Et ideo in hoc contraria consuetudo vel immemorabilis non suffragatur ; s. Rituum Cong. in ***Hispalen. ap. Gardel. voc. Processiones, n. 3585,*** et S. C. C. in ***Fulginaten. Processionis 20 Decembris 1856.***

Quod a fortiori valere debet in themate, quum Ordinarius in perpetua huius iuris possessione versari videatur, curia in sua sententia testante : constare, saltem ab anno 1836, cleros inferiores Baruli, et praesertim Capitulum s. Iacobi semper adi visse Ordinarium pro inditi one processionum. Et archiepiscopo fatente; statum facti esse omnino contrarium desideriis Capituli s. Mariae, quoniam Cleri Baruli peragerunt atque peragunt processiones cum sola Ordinarii licentia.

Quapropter concedere capitulo s. Mariae ius ***exchisivum*** indicendi processiones, iuxta patronum, contrarium esset longaevo usui, generali Ecclesiae disciplinae ac ordinariae iurisdictioni Episcopi. Sed nec potest hoc ius capitulo concedi ***cumulative*** cum Episcopo. Nam huiusmodi cumulativum potestatis exercitium, praeterquam quod excludatur a citatis iuribus, in quibus Ordinario adscribitur ***privativa*** iurisdictio, absonum praeterea esset, et ad praxim deductum, causa litium ac malorum. Hac enim in hypothesi capitulum posset impune obtrectare Episcopi auctoritati ; ac ideo si cleri inferiores obediant primo, inutilis fit venia secundi ; et si obediunt secundo, tunc enormiter laeditur auctoritas primi.

Ad obiectionem adversariorum, qua dicunt ex constitutione Clementis XII capitulum s. Mariae hoc privilegio ditatum fuisse, respondit orator, per allatam constitutionem, hoc privilegium non modo non fuisse firmatum, sed potius abrogatum.

Nam ibi Pontifex privilegium Mariani capituli non meminit, nisi delendi causa ; siquidem inter lites quas ad se Pontifex avocatas vult et penitus extinctas commemorat, sententiam magistri Guicciardini ***quoad ius indicendi processiones privative ad capitulum primo dictae collegiatae ecclesiae spectans.*** Et deinceps « ne in dies nova semper litium dissidiorumque in grave divini servitii praeiudicium oritura sit occasio » novum rerum statum accommodat, quia vetera dissidia non pariat ; et decernit capitulum s. Mariae seiunciim ac separatim «procediere; et singularum aliarum ecclesiarum praefatarum... sub eorum respectiva cruce minus elevata, in processionibus aliisque quibuscumque incedere debere. » Et haec una ac potissima fuit positiva dispositio Clementinae constitutionis, dum ceterae omnes abrogativum sensum habent. Quapropter incassum ad hanc constitutionem appellare capitulum s. Mariae, contendit adversus orator.

Quod et firmatur ex subsequentibus factis. Nam undeviginti annis post apostolicas litteras regium decretum prohibuit fieri in civitate Baruli quamlibet processionem.

Quod Tranenses Ordinarii, sive tune, sive in posterum sua quoque auctoritate sanxerunt, veluti contigit die 11 Augusti 1792; quo tempore Tranensis Vicarius mandavit « notificari omnibus de clero tam saeculari quam regulari civitatis Baruli, ut non audeant ullam peragere publicam et extraordinariam processionem absque licentia huius archiepiscopalis curiae prius in scriptis obtenta. »

Et haec quoad primum quaestionis punctum, circa nempe supplicationum inductionem. Relate vero ad ius, quod sibi deinceps vindicant actores, interdicendi ne processiones ullae ordinariae Baruli fiant, absque venia, dependentia et interventu Capituli mariani, observat patronus, hanc praesumptionem cum Ordinarii auctoritate implicare : quandoquidem auctoritas Episcopi extenditur ad omnes res agendas in Dioecesi. Trident. ***Cap. 6, sess. 25 De ref.*** eique est definire privatae ne, an publicae supplicationes, iuxta rerum adiuncta, haberi debeant. De Luca ***De iurisd. disc. 100, num. 9.*** Ideoque capitulum marianum cum contendit in privatis supplicationibus omnia geri, irrequisito Episcopo, et ecclesiam s. Iacobi nihil agere posse absque sua venia et interventu, potestatem episcopali maiorem sibi adscribere.

Quod est eo vel magis reprobanduni cum et ad lucrum captandum tendat. Recolit enim orator, Marianum capitulum supplicationis veniam non concedere, nisi sibi canon 85 libellarum solvatur.

Nec, prosequitur, ad tantam privilegii potestatem ecclesiae s. Mariae vindicandam valere posse ***matricitatem.*** Haec enim matricitas in primis ***propria*** non est, sed tantummodo ***impropria;*** veluti aperte comprobatur ex citata Clementis XII constitutione, ubi ecclesia s. Mariae « ***insignis*** collegiata ac____***minus proprie matrix*** » vocatur : quod et repetitur in ***Tranen. Iuris sep. 13 Ianuarii 1673 cor. Rondinino decis. 7, par. 18 Recent.*** Porro matricitas impropria est honoris vocabulum, quod ecclesiae maiori, ipsique cathedrali solet plerumque concedi ; sed nullum prae-

cisum tribuit iurisdictionis aut praeeminentiae signum ; De Luca ***De praeem. disc. 42, num. 12*** et s. Rota ***loc. cit. num. 9.***

Accedit quod olim promiscue utraque ecclesia curam animarum gerebat ; et nonnisi ad meliorem sacramentorum administrationem fines constitutos esse « inter ecclesias parochiales s. Mariae maioris et s. Iacobi. » Unde par utriusque conditio videtur fuisse, nullaque relativa subiectio.

Idque confirmatur ex auctoritate Card. De Luca, qui in ***cit. dis. 43, De praeemin.*** tradit « de hac matricitate, ecclesiae s. Mariae, non constare, exclusa per Rotam ex insinuatis in ***disc. 27*** ob formalem separationem finium particularium cum omnimoda independentia. »

Nec opponi posse ecclesiam s. Iacobi ante suam erectionem in parochiam fuisse in adiutorium matricis ecclesiae s. Mariae adscitam. Rotali enim iudicato ***cor. Priolo decis. 365 num. 365 num. 4 seqq.*** sancitum fuit, saltem ex quo certi cuique fines, suusque populus dati sunt, eo ipso ecclesiam s. Iacobi pari iurisdictione ac libertate potitam fuisse.

Idipsum confirmavit altera Rotalis definitio in ***cit. Tranen, iuris sepeliendi 13 Ianuarii 1672 cor. Rondinino num. 6 seqq.*** - ibi - « Nullatenus probatur ut opus esset ipsam, ecclesiam s. Mariae, fuisse matricem respectu huius ecclesiae s. Iacobi; quinimo contrarium potius desumitur ex dicta divisione limitum, in qua supponitur utramque ecclesiam... , quo casu nulla matrix dici potest, cum unaquaeque aequaliter sit parochialis. »

Sed si ad praetensa iura nihil marianum capitulum iuvat matricitatis titulus ; non magis cathedralis honor. Primum enim nunc honorem ecclesia s. Mariae non assequetur, nisi vita functo hodierno Tranensi Ordinario, uti expresse sancitum fuit in apostolicis litteris 20 Aprilis 1860, quibus Barulensis ecclesia Episcopalis fieri statuebatur.

At, hoc etiam praetermisso, scitissimi iuris esse, contendit orator, cathedralitatis privilegium importare quidem

primatum honoris ac praeeminentiae decus; sed non valere ad aliis ecclesiis servitutis iugum imponendum ; De Luca ***loc. cit. num. 40 seqq.*** - ibi -« Etiam ecclesia cathedralis non potest cogere clericos ecclesiarum inferiorum, quae de iure sunt illius subditae ad huiusmodi voluntarias processiones, aliasque solemnitates ; ergo multo minus ecclesia matrix vel parochialis ; quamvis aliae ecclesiae dici possint eius subditae in ratione territoriali. » Hinc ut servitus praefata ex collata cathedralis dignitate sequi posset, oporteret illam in concessione ipsa, peculiari privilegio sancitam reperiri, quod Pontifex non fecit. Aut, sin minus, probare deberet, marianum capitulum, se in legitima possessione non precario versatum fuisse, privatas supplicationes inhibendi ecclesiae s. Iacobi absque sua ***venia, dependentia et interventu;*** quod pariter adstrui non potest; cum iuxta Tranensem sententiam favore ecclesiae s. Iacobi militet quadragenaria possessio peragendi processiones, mediante solius Episcopi Venia.

Quoad aliam vero partem, scilicet praecedentiam parochi s. Mariae supra capitulum s. Iacobi, contendit, eam anticanonicam esse, docente Ursaya ***tom.*** i, ***part. 1, discep. 6, num. 72: «*** canonicos Ecclesiae collegiatae in omnibus functionibus, praecedentiam habere in concursu parochorum. » Idque valere etiamsi parochus ad digniorem ecclesiam vel matricem pertineat; Ferraris ***Voc. Praecedentia num. 69*** ubi et plures S. Rituum C. decisiones affert.

Nec moveret, ait, quod parochus- s. Mariae alter sit ex. canonicis ecclesiae cathedralis ; nam eadem S. Rituum C. definiit in ***Vicentina 47 Iulii 1640*** « Canonici cathedralis, si in funeribus incedunt uti singuli et sine cruce capituli, non ut supra parochum praecedunt. »

Nec pariter movere quod animarum cura sit habitu et actu penes capitulum s. Mariae : adeo ut qui eam exercent oeconomi curati perpetui nuncupentur; nam quoties capitulum ad funus vocatum expresse non fuerit, alter ex hisce

oeconomis suo nomine ac iure funus ducit, minime vero capitulum ; Rota in ***Ruben, iuris tumulandi 27 Aprilis 1734 coram Rezzonico num. 1 seqq.***

Nec quidquam referre, quod cura radicitus inhaereat capitulo ; quia funera non ad generalem iurisdictionem, sed ad merum exercitium pertinent; Rot. ***loc. cit.,*** Card. De Luca ***De praeeminen. disc. 21* num. 2.***

Quibus animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sententia curiae Tranensis sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re discussa sub die 28 Aprilis 1888 censuit respondere: ***In posterum servandum esse ius commune; imposito perpetuo silentio, facto verbo cum SSmo.***

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Cum Episcopo omnium rerum agendarum in Dioecesi praecipua sit auctoritas, ideo nemini, praeter Episcopum, fas erit publicas supplicationes indicere, earumque ordinem, locum et rationem definire.

II. In hoc non suffragaretur neque contraria consuetudo immemorabilis ; quia committi nequit arbitrio cuiusquam privato quod publice interest.

III. Matricitas, ex Cardinali De Luca, quae plerumque concedi solet Ecclesiae maiori, et ipsi Cathedrali, est impropria et tantum honoris vocabulum, sed nullum praecisum tribuit iurisdictionis aut praeeminentiae signum.

IV. Privilegium cathedralitatis importat equidem primatum honoris, ac praeeminentiae decus, sed non valet ad imponendum servitutis iugum aliis ecclesiis.

V. Neque Ecclesia Cathedralis potest cogere clericos ecclesiarum inferiorum, quae de iure sunt illius subditae, ad processiones aliasque solemnitates; et multo minus id poterit ecclesia matrix vel parochialis, quamvis ratione territorii, aliae ecclesiae dici possint eius subditae.

VI. Proinde rite declaratum fuit a S. Congregatione redeundum esse ad commune ius, ut omnia praetensa privilegia et praeeminentiae reiicerentur, et concordia iterum floreret.

FIRMANA.

HYPOTHECARIAE CAUTIONIS

Die 24 Martii 1888.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Die 20 Augusti 1887 de hac quaestione actum est (1). Comes Caietanus cum mutuum sex millium libellarum ob rei familiaris angustias contrahere indigeret, neque id posset nisi hypotecaria oblata cautione, petiit ut huic pignoris nexui subiiceret bona collegiatae s. Michaelis Archangeli Firmi, quae civiliter suppressa est, cuius tamen bona familia comitis Caietani, utpote patrona, a fìsci manibus redemerat eaque, in compensationem expensarum, in administratione tenebat.

Bona ad collegiatam pertinentia ad 100,000 libellarum valoris conscendere : eius patronum pro duabus partibus esse paroeciae populum, pro altera familiam dicti comitis Caietani; ius autem familiae istius inter duos fratres Caietanum oratorem et sacerdotem Aloysium esse divisum : comitem Caietanum pro mutuo 4000 libellarum alias similem gratiam petiisse, atque obtinuisse: hac vero vice Ordinarium rem commendare, et archipresbyterum parochum eidem non adversari, « dummodo portio universo parochianorum coetui competens detrimentum non patiatur **n.** Attamen Sacra Congregatio respondit sub die 20 Augusti 1887: ***Non exspedirz.***

Sed re cognita, comes Caietanus eifusis precibus SSmum adiit, postulans ne gratia prorsus necessaria sibi negetur, ut consulere valeret tum educationi proprii filii, tum honestae collocationi filiarum, quae matre orbatae sunt. Re-

ti) **Confer Vo\ XX, 378.**

colit Comes necessitates, quibus nunc eius familia urgetur, et quidquid istius maiores egerint favore Ecclesiae : ut petitio benigne ab Apostolica Sede exciperetur.

Rogatus Archiepiscopus de novis precibus retulit eas veritate niti. Constat enim oratorem, gravibus rei familiaris angustiis pressum, in profundum moeroris statum adductum fuisse ; nullumque aliud medium ad collocandas filias et ad explendam institutionem filii eidem praesto esse, nisi expetitam facultatem contrahendi aes alienum super bonis beneficialibus.

Quae de obliganda etiam portione fratris et de promissione restituendi summam, quatenus ad ditiorem statum perveniat orator, talia sunt, ut consideratione digna esse videantur, Ceterum ad ea me referens quae occasione priorum oratoris precum EE. VV. exposui, optimi patrisfamilias inopiam miseratus, illius vota commendare haud dubito, conclusit Antistes.

Disceptatio Synoptica

Porro si ex una parte tuitio patrimonii sacri, quod sartum tectumque servari canonica lex et ecclesiae utilitas iubent, contra preces dimicat; ex altera parte serio pensanda est arcta comitis eiusque familiae conditio, et in quem statum ex reiectione precum pauperes et orphani filii essent forte prolapsuri. Attendenda quoque est comitis promissio ac religio, qua periculum dispersionis patrimonii sacri minuitur, et spes redintegrationis seu liberationis eius fovetur.

Accedit demum et alia circumstantia, quae alia vice ob oculos, saltem sic plene, posita non fuit; quod nempe familia Comitis Caietani large ecclesiam dotavit, eamque invicte semel ac iterum defendit. Porro si in quolibet casu patrono egenti subsidia concedi ius canonicum tradit, a fortiori in praesenti casu, in quo patronus non modo religione praefulget, sed et ecclesiae speciali benemerentiae titulo devincitur.

Magisque etiam ne, augustus pressus, id faciat quod civilis lex permittit, solaque conscientia prohibet. Mala suada est enim necessitas.

Quibus animadversis, quaesitum fuit, quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re cognita sub die 24 Martii 1888 censuit respondere: « ***Vigore etc. Pro gratia contrahendi aes alienum et subiiciendi hipotecariae cautioni, sub dependentia Archiepiscopi, bona, de quibus in precibus, emissa tum ab oratore, tum ab eius fratre Aloysio obligatione dimittendi aes alienum annuis ratis, ab Archiepiscopo determinandis, et reddita quotannis eidem Archiepiscopo ratione de annua ratae dimissione.*** »

TOLENTINATEN.

COMMUTATIONIS VOLUNTATIS

Die 21 Martii 1888.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Parochus prior Collegiatae s. Francisci civitatis Tolentini retulit: duo legata relicta fuisse Ecclesiae Collegiatae; unum ex libellis 1000. alterum ex lib. 1600: cum onere celebrandi in diebus ad libitum, in hac Collegiata, tot missas, quot patiantur reditus duorum legatorum, tributa eleemosyna dioecesana.

Qua de re orator postulat, ut reditus hi applicentur manutentioni Missarum pro diebus festis, tum SSmi Rosarii, tum missae conventualis; pro numero, ut diximus, quem redituum vis portat, cum eleemosyna ab Episcopo pro tempore determinanda, iuxta adiunctorum varietatem.

Episcopus preces et zelum Parochi commendavit.

Disceptatio Synoptica.

Porro difficultatis punctum, si quid est, ibi invenitur, quod cum testator iusserit missas celebrari pro viribus reddituum iuxta ordinariam Dioecesis taxam, diebus et horis ad

libitum, parochus e contra optet diem et horam celebrationis praefiniri, ex. quo etiam eleemosynae auctio necessaria fiet, simulque restrictio? applicationum numerus.

Hinc duplex voluntatis moderatio, altera remissior, altera gravior. Levius enim iudicari potest, quod temporis et horae libertas praefiniatur. Sed gravius videtur, nec facile admittendum id, ex quo imminutio applicationum contra taxativam fundatorum voluntatem maneret. In re enim maximi momenti sumus, quae scilicet animae suffragium respicit. Porro si in omnibus ex *Clement. Quia contingit 2 De relig, domib,* et *ex L. 1. Cod. De SS. eccles,* supremae hominum voluntates sancte sunt observandae, in hisce vel religiosiori cura sunt adimplendae.

Nihilominus cum ecclesiae auctoritas, iuxta rerum ac temporum exigentias in bonum animarum suprema polleat potestate, et supplendo de ecclesiae thesauro consulere iis valeat, qui, ex imminutione missarum damnum forte pati possent, simulque populorum necessitatibus providere, remissum Emis Iudicibus fuit definire, utrum ea habeatur in casu necessitas, quae suadeat supremae huius potestatis dispensationem et usum; ideoque rogati fuere EE. PP. ea considerare quae in supplici suo libello parochus edocuit, nec non et ea, quae Episcopus in suis litteris adiecit.

De cetero, data iusta causa, ad augendam eleemosynam, reductionem missarum saepius induisisse S. C. C. constat ex *Bonon. Reductionis missarum 29 Maii 1824, Ost unen. Commutationis voluntatis et reductionis 20 Novembris 1824,* aliisque.

Quibus praemissis, quaesitum fuit quid precibus esset respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re visa, sub die 24 Martii 1888, censuit respondere: *Vigore etc. Pro gratia ad quinquennium, si tandiu etc.*

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

BELLUNEN.

CONSUETUDINUM

Die 28 Aprilis 1888.

Sess. 22 decret. De observ. et evit. in celeb. miss.
Sess. 24 Cap. 14 de reform.

COMPENDIUM FACTI. Bellunensis Episcopus S. C. Concilii adivit enarrans, quod in Cathedrali feltrien.;et in nonnullis aliis ecclesiis parochialibus illius Dioecesis a tempore, quod dicunt immemorabile, mos est, ut stipendium quod datur concionatori quadragesimali perficiatur, praelevando determinatam summam ab eleemosynis et oblationibus, quae in dominica quarta quadragesimae in defunctorum suffragium colliguntur.

Quod expensae pro acquirendo oleo, quod in Coena Domini benedicitur, pro Cathedrali feltrien. a mensa episcopali, pro Cathedrali vero bellunen. in vim antiquissimae consuetudinis, a duobus parochis urbanis sustinentur.

Verumtamen in vim consuetudinis pariter antiquissimae, in utraque Dioecesi paroeciae et curatiae foraneae, actu quo olea benedicta recipiunt, libellam unam solvunt: quae summa in Dioecesi feltrien. cathedralis custodi tribuitur, qui olea distribuit; in Dioecesi vero bellunen. praedictis parochis urbanis datur, qui, solutis expensis pro procurando oleo occurrentibus, et data compensatione cathedralis custodi, qui pariter olea distribuit, id quod superest sibi retinent.

Hisce expositis, Episcopus imploravit, ut quatenus opus esset, S. C. C. declararet utramque consuetudinem manuteneri posse.

Huiusmodi precibus acceptis rescriptum fuit, ut Episcopus ***rem ageret cum Rmo Patriarcha Venetiarum.***

Quod statim effecit Episcopus, sed absque effectu: siquidem Emus. Patriarcha respondit, consuetudinem circa modum complendi stipendium praedicatoris tolerari non posse, nisi constet de offerentium consensu; alteram vero, circa oblationes factas cum distribuuntur olea benedicta, retineri quidem posse respectu custodum, cum pro eis adsit aliquis labor, minime vero respectu duorum parochorum, cum ipsi nullum perferant laborem, et quoad expensas quas subeunt, pro emendis oleis, praesumendum sit, quod olim eorum beneficiis aliquid in compensationem annexum fuerit.

Habito mox citato Patriarchae responso, Ordinarius Bellunensis iterum ad S. C. C. confugit summatim repetens, quae in primo libello exposuerat et simul declarans quoad primum quaesitum, quod pro libellis 33, quae praelevantur favore praedicatoris, huic onus incumbit duas missas celebrandi : quo vero ad secundum quaesitum, parochorum urbanorum Bellunensibus beneficiis nihil unquam annexum fuerat pro onere, quod ipsis incumbit, emendi et distribuendi oleum benedicendum.

Hisce praehabitis Episcopus iterum petiit, ut S. O. O. huiusmodi consuetudines ratas haberet, vel sin minus sanatoriam quoad praeteritum indulgerei.

Disceptatio Synoptica.

QUAE CONTRA PRECES FACIUNT. Praeprimis animadversum fuit oblationes, generaliter loquendo, in eos usus esse convertendas, ad quos, fidelium offerentium intentione, destinatae sunt. ***Clementina Quia contingit 2 Be relig, domib.*** Ratio est, quia, cum oblationes generatim voluntariae ac liberae sint haud dubie iuxta intentionem dantis applicari debent; quivis enim libere donans et offerens rerum suarum moderator et arbiter existit ***I. in re mandata C. Mandati;*** Reiffenst. ***De decimis num. 191.***

Mox dicta a fortiori valere, ubi agatur de missarum eleemosynis, cum ea, quae sanctiora sunt, sanctius tractari debeant. Hinc in decreto ab Urbano VIII die 21 Iunii 1625

edito legitur, quod « ubi pro pluribus missis celebrandis stipendia quantuncumque incongrua et exigua... collata fuerunt, aut conferentur... Sacra Congregatio sub obtestatione divini iudicii mandat ac praecipit, ut absolute tot missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suae obligationi non satisfaciant, quin imo graviter peccent et ad restitutionem teneantur. »

Nec refert quod offerentes eleemosynas missarum, numerum non praescripserint, quia tunc norma desumenda est a more provinciae vel a statutis synodalibus, uti S. C C. declaravit die 23 Decembris 1697, respondendo ad secundum ex septemdecim dubiis, quae circa praefatum decretum ipsi proposita fuerunt.

Uno tantum casu ex eleemosynis portio necessaria auferri potest, cum scilicet ecclesiae reditus ita tenues sunt, ut perferre non valeant expensas, quas secumfert celebratio missarum. Verum hoc etiam in casu « curandum est, ut absolute tot missae celebrentur, quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynas. » ***Beeret. Be celebrat, missar. in resp. ad septimum.***

Quin contra huiusmodi dispositionem adducere valeat consuetudinem etsi antiquissimam ; quia, ut ait ***Greg. IX c. ult. De consuet.*** « licet longevae consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen est usque adeo valitura, ut vel iuri positivo debeat praeiudicium generare, nisi fuerit rationabilis. » Iamvero consuetudinem satisfaciendi pluribus eleemosynis per imparem missarum celebrationem, rationabilem minime retinendam esse, cum adversetur iuri naturali, reprobetur a positivo, eamque pessimi comitentur effectus.

Neque ad consuetudinem cohonestandam dicere valeret, valorem sacrificii esse infinitum ; quia licet incertum sit, utrum aeque valeat una missa, si pro uno ac si pro mille offeratur, certissimum tamen est non aeque prodesse (vi sacrificii) unam missam ac mille. Siquidem, etsi sacrificium altaris sit infinitum ex se, cum, quoad substantiam, idem

sit ac sacrificium Coenae et Crucis, est tamen, Deo sic volente, finitum quoad effectum. Alioquin erraret Ecclesia,, cum plura sacrificia offerre curat pro specialibus hominum necessitatibus. Hinc Alex. VII sequentem propositionem ***ut minimum tamquam scandalosam*** damnavit : ***Non est contra iustitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere et sacrificium unum offerre.***

Quoad alteram vero consuetudinem perpensum fuit, quod, etsi oleum, ut est materia remota sacramenti, sit quid mere temporale et pretio aestimabile, ac proinde nil repugnet, quominus, ita consideratum, et vendatur et ematur; illud nihilominus vendi aut emi Ecclesia omnino prohibuit ***C. Ea quae 16 de Simonia;*** Pirhing ***ibi p, IV ;*** Schmalzg. ***ib. n. 164;*** Silvestern. ***Simonia;*** Richard ***Analysis Concil, ib.;*** Ferraris ***ib. art. 1 n. 6 etc.*** et ob reverentiam sacramento servandam, Ecclesia talem venditionem aut emptionem posuit in vitio simoniae iuris positivi humani; ita ut quicumque hanc attentaret, non solum reatum inobedientiae incurreret, sed etiam illud simoniae iuris. Soto ***de Iust. et Iure I. 9, q. V, a. 11,*** Pirhing ***De Simonia n. 6.*** Et hoc, licet tali prohibitione, praedicta materia spiritualis haud efficiatur ; quia Ecclesia potest actum quempiam indifferentem, ita in certo vitio ponere, ut qui illum exerceat, in tale vitium revera incidat.

Hinc damnandam esse contrariam consuetudinem, quae Feltriae et Bellum inolevit : primo quia, id quod gratuito a Deo collatum est, non quidem in peculiare commodum illius, cui confertur, sed in bonum publicum totius ecclesiae, nemo potest iuste venundare, quia non est suum, sed illorum quibus vendit; talia autem sunt dona Dei. Ac propter hoc Christus admonitos esse curavit Apostolos, Matth. X ubi ait : ***Oratis accepistis, gratis date.*** Soto ***De Simonia I. 9, q. V, a 11.*** Unde aliquid accipere pro oleis benedictis duplicem continet malitiam, silicet distributor oleorum se gerit veluti dominum rei, quae sua non est, et parochi debent aliquid solvere pro habenda re, quae iam ad eos pertinet.

Deinde cum quantitas olei, quae unicuique parocho contingit, ita exigua sit, ut vix pretio aliquo sit aestimabilis, pecunia quae accipitur, iuxta Pirhing ***De Simon. num. 35,*** ratione consecrationis, potius quam pro ipsa quantitate olei accipi videtur, quod est omnino vitandum.

Praeterea cum sacramenti dignitas sit motivum propter quod prohibitum est aliquid accipere, etiam sub praetextu materiae, sequitur quod consuetudo, quae hanc prohibitionem violat, sacramenti dignitatem eo ipso violet.

Tandem relate ad absolutionem pro praeterito, observatum fuit, quod cum per utramque consuetudinem iustitia ab immemorabili fuerit laesa, iam inde gravissimum exurgit restitutionis onus, a qua absolutio dare non convenit, nisi impossibilitas aliqua id suadeat. At in casu si non totalis, saltem restitutio aliqua partialis perfici valet, praesertim relate ad suffragia pro defunctis.

QUAE PRECIBUS FAVERE VIDENTUR. Vicissim favore primae -consuetudinis notatum fuit, quod ex eo quia immemorabilis est, efficaciam induit privilegii Apostolici, ac proinde non solum partem quamdam eleemosynarum pro defunctis converti posse in stipendium praedicatoris, sed tiam eleemosynas totas. Ex eo enim quod, ut ait Fagnanus ***C. Conquestus de For. comp., res quae a laicis donantur Ecclesiis, adiecto onere celebrationis Missarum, desinunt esse laicales et transeunt in dominium et potestatem Ecclesiae;*** Summus Pontifex ***habet supr'emam generalem et liberam rerum ad finem ecclesiasticum destinatarum dispensationem.*** Schmalzgr. ***de decimis n. 96 cum sint eius ut principalis dispensatoris S. Th.*** II. II. ***q. Î00, a. i ad 7.***

Praeterea observantiam illius consuetudinis suadere bonum, quod ex ipsa obtinetur. Siquidem permultae parochiae beneficio praedicationis quadragesimalis ditantur, quae licet omni tempore utilis sit, illis tamen diebus perutilis censenda est, quia sublimissimo misericordiae divinae sacramento contigui sunt. Quod si huiusmodi consuetudo de medio tollatur, obsistente ecclesiarum paupertate, non amplius conflabitur

honestum quoddam stipendium, quo praedicator haberi possit: et sic corruet non modo remedium illud, quod salubriter institutum est pro fidelibus, a vanitate saeculi ad caelestium rerum meditationem revocandis, sed etiam medium, quo suffragia pro defunctis habeantur. Atque ita pro maiori bono consequendo, bonum ipsum evanesceret.

Neque de defectu consensus ex parte offerentium satagendum plurimum videtur. Nam rationabiliter supponi potest, consensum hunc non deesse, tum quia ex partiali conversione eleemosynarum, ut dictum est, maius bonum obtinetur, tum praecipue quia hoc maius bonum ^ordinatum est ad propriam offerentium spiritualem utilitatem, non excluso lucro animarum purgantium.

Imo huiusmodi consensum non esse necessarium ad hoc, ut consuetudo, de qua agitur, legitima habeatur; siquidem, postquam datae sunt, eleemosynae transeunt in potestatem Ecclesiae, quae de ipsis disponere potest, prout sibi magis in Domino videtur expedire.

At admissa quidem huiusce consensus necessitate, si de ipso non constaret, non ideo reiicienda esset consuetudo : huic siquidem difficultati occurri potest per tabellae appositionem, monendo fideles de modo, quo eorum oblationes impenduntur, ceu fieri iussit S. C. C. in una ***Boffen. Super eleemosynis missarum 27 Ianuarii 1877.***

Item favore secundae consuetudinis notatum fuit, quod si iura omnia quidquam ***exigi*** prohibeant pro spiritualium administratione ; nullibi tamen vetant, quominus, quod sponte omnino offertur , accipiatur. Imo ***C. Ad Apostolicam 42 De Simonia*** has « pias consuetudines praecipit observari et statuit, ut libere conferantur ecclesiastica sacramenta, et per Episcopum loci, veritate cognita, compescan tur, qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem mutare ».

Porro cum consuetudo, iuxta quam libella una a singulis parochis in casu offertur , nullum pravae exactionis , sed potius laudandae liberalitatis signum secumferat; iam per se patet eam observandam esse. Praesertim vero quia, etsi

praesumatur duos parochos urbanos ac custodes, ex sibi collatis beneficiis aut stipendiis, habere unde honeste vivere queant, hoc tamen certum non est.

Posito autem quod huiusmodi oblationes, ut stipendium sustentationis considerentur, non solum possunt accipi, sed etiam exigi. ***Quilibet enim*** (Reiff. ***De Sim. n. 188) illud potest praetendere, quod sibi alias iure naturae debetur. Atqui temporale, per modum stipendii pro spirituali, iure naturae iam debetur ministranti spiritualia, ut fatentur omnes.***

Adde, quod accipere aliquid pro ipsa re sacra, nullo modo potest, quia id est divino iure prohibitum. At accipere aliquid pro eo, quod res sacra non est, sed ad ipsam solum est ordinatum, aut cum eo aliquo modo coniunctum, sola lege ecclesiastica vetitum est. Atqui, exceptis excipiendis, tritum in iure est, legem quampiam ecclesiasticam consuetudine aboleri posse. Idque firmari ab ***Annecien diei 20 Dec. 1879,*** ubi S. C. O. respondit ***tolerari posse*** consuetudinem, iuxta quam unius libellae canon a quolibet parocho, pro oleis sacris, exigebatur (1).

Tandem supposito quidem, quod allatae rationes non sufficiant ad effectum sustinendae utriusque consuetudinis, ad hoc saltem valere retinendum esse, ut concedatur absolutio pro praeterito. Nemini siquidem dubium est, iniustitiam incerte commissam, parere non posse obligationem restituendi certam. Hinc vulgatissima illa prodisse adagia: ***Lex dubia non obligat: In dubiis melior est conditio possidentis.***

Porro, ex usque dum disputatis, hoc procul dubio deduci, certum scilicet non consistere, utrum per utramque consuetudinem verae iniustitiae commissae fuerint.

Quibus ex utraque parte animadversis, proposita fuerunt enodanda sequentia

Dubia

I. ***An sustineri possit consuetudo assignandi, favore sacri concionatoris, partem eleemosynarum in suffragium defunctorum collectarum in casu.***

(1) **Confer Vol. XIII, 180.**

II. ***An consuetudo exigendi unius libellae oblationem, pro sacris oleis tribuendis, sustineri possit in casu.*** Et quatenus negative ad utrumque vel ad alterutrum.

III. ***An et quando concedenda sit absolutio pro praeterito in casu.***

RESOLUTIO. S. C. Concilii re discussa sub die 28 Aprilis 1888 respondere censuit: ***Ad*** 1^m ***et*** 2^M ***tolerari posse. Ad*** 3^M ***provisum.***

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Fidelium oblationes, ***generatim loquendo*** in eos usus convertendos esse, ad quos offerentium intentione destinatae sunt, cum quivis libere donans et offerens rerum suarum moderator et arbiter sit.

II. Et hoc valere praesertim, ubi agatur de eleemosynis Missarum, circa quas Decretum Urbani VIII, die 21 Iunii 1625 editum, praescribit, ***ut absolute tot celebrentur, quot, ad rationem attributae eleemosynae, praescriptae fuerint.***

III. Ideoque eos, qui aliter agunt, obligationi suae non satisfacere, quinimo graviter peccare et ad restitutionem teneri.

IV. Nihilominus in vim immemorabilis consuetudinis, quippe quae privilegii Apostolici efficaciam inducit, huiusmodi oblationes posse in alios usus pios erogari, ex eo quod res quae a laicis donantur Ecclesiae, adiecto onere celebrationis missarum, desinunt esse laicales et transeunt in dominium et potestatem Ecclesiae, quae habet supremam, generalem et liberam rerum, ad finem ecclesiasticum destinatarum, dispensationem.

V. Sacrificium altaris esse quidem ***infinitum ex se,*** quia, quoad substantiam, idem est ac sacrificium Coenae et Crucis; illud tamen esse, Deo sic volente, ***finitum quoad effectum.***

VI. A iure vetitum esse, pro spiritualium administratione, aliquid exigere, sed nullibi prohibitum esse, quominus accipiatur, quod omnino sponte ac libere offertur. Imo hanc secundam consuetudinem a iure laudabilem appellari, et expressis verbis praecipi, ut observetur et manuteneatur.

VII. Aliquid accipere pro ipsa re sacra, prohibitum esse iure diviuo, quod nullo modo irritum fieri potest. At .aliquid accipere pro eo, quod ad rem sacram est ordinatum, aut cum eo aliquo modo coniunctum, ut ex. gr. est materia remota alicuius sacramenti, vel labor accidentalis pro ipsius administratione , vetitum esse lege tantum ecclesiastica, quae per legitimam consuetudinem aboleri potest.

PAMPILONEN.

IURIUM PAROCHIALIUM

Die 28 Aprilis 1888.

Sess. 24 Cap. 13 de Ref.

COMPENDIUM FACTI. Causa haec inter Capitulum Ecclesiae Cathedralis Pampilonen. et Parochum exorta, et die 23 Ianuarii 1886 sub quatuor dubiis primum proposita, favore parochi dirempta fuit. Huiusmodi resolutione Capitulum se gravatum existimans, novae auditionis beneficium imploravit, et causam disceptari obtinuit tantum quoad ius administrandi paroeciae reditus. Reproposita itaque causa sub die 29 Ianuarii 1887 sequenti responso dimissa fuit: ***In decius, firmo tamen remanente Parochi onere contribuendi pro impensis sacrarii et fabricae eiusdem Cappellae, et amplius.*** (1)

Sed neque huic resolutioni Capitulum acquievit; hinc secundo novae audientiae beneficium imploravit, quod ei concessum fuit sequenti rescripto : ***Reproponatur, exquisita informatione a novo Episcopo.***

Episcopus S. C. C. morem gerens, postquam partium iura retulerit, sententiam suam sequentibus verbis pandidit: « Meo quidem iudicio, circa administrationem inter Capitulum et parochum, lites non habebunt finem (quamvis de ceteris omnino sileant) nisi paroecia erigatur extra muros ecclesiae cathedralis, fontem baptismalem in hac relinquendo,

(1) **Conf. Vol.** XIX **pag. 468.**

parva adsignata contributione cathedrali a paroecia solvenda. Pro hac convenienti reparatione laboro, tamquam solutione vere pacificatrice. Tunc absque ulla difficultate ex parte capituli administratio redituum paroeciae cederetur ».

Interea, si sanctae Congregationi placuerit, omnia provisorie in statu quo relinqui possent, vel Episcopi prudentiae commendare praelaudatam administrationem ecclesiae parochialis s. Ioannis Baptistae.

Disceptatio synoptica

PAROCHI IURA. Parochi patronus expeditionem sententiae a S. C. C. die 20 Ianuarii 1887 editae postulat, utpote iuri communi undequaque conformis. Quandoquidem cappellae s. Ioannis Baptistae optime convenire ait omnia ab Engel ***lib. 3 tit. 29, n. 6*** pro vera paroecia constituenda requisita: scilicet potestatem fori poenitentialis, loci ac populi circumscriptionem, exercitium curae nomine proprio et singulari, distinctionem insuper ab ecclesia cathedrali, iuxta doctrinam De Luca. ***De D arodi. disc. 40 num. 9.***

Hinc parochum independentem esse debere subdit in administratione omnium paroeciae redituum, idque erui ex ***C. De his quae fiunt a Prael. 9*** cum Barbosa ***De offic, et potest, parochi pag. 3 Cap. 21 num. 5 et 24,*** et Ioan. Car. Antonelli ***lib. 2, pars. 6 c. 9 num. 7.***

Idipsum evinci ex doctrina communiter recepta, quae tenet beneficiatum habere dominium ac proinde administrationem fructuum sui beneficii. Engel ***in Man. parodi, par. 4 cap. 4 num. 6;*** Antonelli ***loc. cit. num. 6 in fine.***

Idque fortius in casu tenendum esse subdit ; ex eo quod ab ipsis constitutionibus capitularibus praescribatur : capitulo in actis parochialibus, ad animarum curam spectantibus nullum ius competere, eamque ad normam iuris communis exclusive a parocho exercendam esse.

Quod autem in ecclesia Pampilonen. nunc etiam ius commune vigeat, deducit ex conventione gubernium Hispanicum inter et S. Sedem anno 1851 inita, in cuius art. 25

statuitur : « Nullum capitulum aut collegium ecclesiasticum annexam habere poterit curam animarum, ideoque beneficia curata, quae antea pleno iure alicui collegio coniuncta erant, deinceps iuri communi omnimodo subiicientur. »

Conventioni conforme esse urget regium diploma anni 1854 in cuius ***bas. 25*** Episcopi monebantur : « Si quid contra ius commune et articulos concordati, praesertim quoad paroeciarum ordinationem, fieri expediret, attentis peculiaribus alicuius loci circumstantiis, hoc Ordinarii exprimerent in ordinationibus vulgo ***piano*** paroeciarum gubernio proponenda ».

Praeter haec, animadvertit alio regio decreto et Apostolica Bulla ***Ineffabili*** diei 29 Martii 1859 statum capituli substantialiter fuisse immutatum, per extinctionem capituli regularis (quod usque tunc fuerat in ea ecclesia) ***cum suis legibus, constitutionibus ceterisque inibi existentibus etiam speciali mentione dignis,*** et novi saecularis ad normam iuris communis et concordati erectionem.

Animadvertit insuper Episcopum Vriz et Labayru, in erigendo novo capitulo, edixisse paroeciam fore ordinandam iuxta ea, quae determinanda essent in regula ***(regolamento)*** parochiali. In hac vero regula ab eius successore perfecta, omnibus numeris absoluta, gubernio exhibita et ab anno 1880 approbata, praescriptum reperitur, quod ***in qualibet paroecia unum tantum fabricae consilium erit, cuius officia et attributiones,*** ad normam art. 22 r. Decreti diei 3 Ianuarii 1854, haec erunt, idest ***colligere et administrare fundos cultui assignatos, et alios fundos ac emolumenta, quae quolibet titulo ad paroeciam eiusque fabricam pertinent.***

Cum autem nullibi fiat exceptio in praeiudicium paroeciae s. Ioannis, evidens esse inquit, eidem ius a capitulo independens concedendum esse, iuxta articulum citatum et secundum etiam praxim, quae viget in pluribus aliis ecclesiis Hispaniae in iisdem conditionibus positis.

Quin capitulo suffragare valeat consuetudinem immemo-

rabiiem, quia in confesso est, vetus capitululum, pro quo ad summum consuetudo invaluerat, extinctum esse et aliud in eius locum, recentissime constitutum.

Nullius pariter valoris esse argumentum ex constitutionibus petitum, ex eo quod explorati facti est statuta capitularia transitoria fuisse.

CAPITULI IURA. EX altera vero parte capituli patronus contendit, hodiernum parochum adversus constitutiones capitulares, fabricae cathedralis decernentes ius colligendi, administrandi et erogandi oblationes, proventus et eleemosynas, quae parochiae dantur, ratione fabricae, insurgere non posse: I° quia obstat solemnis conventio inter capitulum et parochum antecessorem inita : 2° quia obstat immemorabilis praescriptio : 3° quia nullius sunt valoris argumenta ex adverso allata.

Et ad primum quod attinet, observat quod publicatis statutis capitularibus post concordatum, et regulas ad ordinationem parochiarum ab Episcopo conditas, parochus eisdem se subiecit, atque omnia ad huius legis normam perficiebat. Neque aliter se gessisse parochum successorem, qui imo conventionem circa quasdam regulas, minores partes spectantes, una cum capitulo perpetuam ac nomine ecclesiae iniit, quae deinde ab Episcopo approbata et confirmata fuit. Porro, quod parochus eiusque successores, in vim enunciatae conventionis, adversus capitularia statuta insurgere haud valeat, dubitari nequit. Non valet quidem parochus contrahens, quia impedimento est tritum adagium : ***quod semel placuit, amplius displicere non potest, arg. leg. 5 Cod. De obligat, et action.*** Non possunt vero eius successores, quia, ut habet Reifienst. ***Cap. 2 de reg. iuris in 6; reg. 14*** et clarius in ***reg. 46 num. 5*** successor in beneficio successoribus comparatur.

Idque eo vel magis, quia Episcopi approbatione conventio roborata fuit. Quin opus fuerit beneplacito Apostolico : beneplacitum siquidem in rerum ecclesiae alienationibus, non in huiusmodi conventionibus requiritur.

Huiusmodi yero conventionem in perpetuum et nomine ecclesiae initam fuisse, deduci ex eo quod constitutionum capitularium partem efformat.

Verum, et hoc praetermisso, hodiernum parochum ad praefatam conventionem teneri, quia eam agnovit ac facto suo confirmavit, iuxta ea quae tradit ***L. 25 ff. de adopt. et emancip.*** Neque opponi posse, Episcopum praefatam conventionem approbasse cum hac reservatione, scilicet : ***absque praeiudicio ordinationis parochialis futurae et eius praescriptum.*** Huiusmodi enim reservationem non citatam conventionem, sed funerum taxationem respicere ex pluribus constare dicit; ac primo ex ipso facto, quod, vix promulgata fuit ordinatio parochialis, statim cessavit funerum taxatio, et ea servata fuit, quae in parochiali ordinatione constituta fuit. Conventio e contra in viridi observantia adhuc remansit, quod indicat illam ulli reservationi subiectam haud fuisse.

Conventionis perpetuitatem erui insuper edicit ex ipsius conventionis ***art.*** 7, iuxta quem, capitulum se obligavit ad solvendum aes alienum domus parochialis, quae censu gravata erat, usuris interim satisfaciendo. Quod profecto capitulum non fecisset, si conventio cum parocho inita in perpetuum contrahentes non obligasset.

Verum, praeterquam quod ex conventione inter hodierni parochi antecessorem et capitulum inita, praefatum ius capitulo insuper competere urget in vim consuetudinis. Quam consuetudinem , cum sit immemorabilis , nedum vim legis habere, sed et titulum meliorem de mundo praebere ait, allegando iura et DD. auctoritates.

In themate autem agi de consuetudine immemorabili, evincere nititur nedum ex testibus, qui sub fidei iuramento deponunt quod « viderunt et audiverunt a suis praedecessoribus... capitulo competere collectionem, administrationem et erogationem proventuum et oblationum, quae fabricae et parochiae adveniebant ; » verum etiam ex auctoritate publici tabellionis, qui, praeter instrumentum anno 1460 exaratum, in quo agitur ***de administratione et collectione per***

capitulum Cathedralis ecclesiae omnium reddituum et proventuum qui... persolvebantur fabricae parochiae s. Ioanni», exhibet quoque quosdam libros anni 1724 usque ad nuperrimis hos dies, in ***quibus libris proventus sumptusque fabricae cathedralis adscribuntur, semper constanterque... proventus sumptusque similiter fabricae eiusdem parochiae continentur, utpote a capitulo collecti et administrati et per soluti.***

Et huiusmodi consuetudinem post initum concordatum minime evanuisse; ex eo quod concordatum voluit tantum novam paroeciarum circumscriptionem, et hanc non absolute voluit, sed praeviis omnibus, quae iura sacrorum Canonum expostulant, idest capitulis Cathedralium, parochis respectivis et fìscalibus curiarum ecclesiasticarum auditis.

Patronus haud inficiatur concordatum parochorum independentiam a capitulis et collegiis voluisse, sed subdit parochorum independentiam a concordato praescriptam respicere tantummodo spirituale curae animarum exercitium, non vero temporalem redituum et proventuum parochiae administrationem.

Neque dicendum huiusmodi consuetudini immemorabili derogatum fuisse per consensum a Pontifice concordato praestitum. Quandoquidem ex ***Cap. i De Const. in VI*** pontifex non censetur abrogare vel derogare consuetudini immemorabili, nisi de ea mentionem specialem fecerit. Cum igitur in casu de hac immemorabili ne verbum quidem a Pontifice factum fuerit, hinc concludendum esse, ait, consuetudinem abrogatam haud censendam esse.

Ulterius observat, quod regio diplomate anni 1854 libera facultas facta fuerit Episcopis decernendi quidquid ad bonum ecclesiae expedire iudieassent, ut ex hoc concludat, concordatum noluisse absolute immemorabilem praescriptionem in auras amandare.

Quod de regio diplomate, idem de uteris regiis anni 1854 et 1865 dicendum esse urget, siquidem, praeterquamquod eae latae fuerunt, non ad modum legis, sed dumtaxat consi-

Iii, ceu ex ipsarum tenore evincitur, praeterea ex ***bas. 25*** constat, in ipsis eamdem libertatem Episcopis relictam fuisse. Et huiusmodi conclusionem ex iis, quae leguntur in Uteris anni 1867, magis roborari.

Quin urgere valeat parochiam s. Ioannis, quoad temporalem etiam administrationem redituum parocho subiici debere, ex eo quod in ordinatione parochiali exceptio, quoad ipsam, apposita non fuit : quandoquidem observat quod, ordinatio a successore Episcopi Vriz perfecta , est lex generalis totam Dioecesim adstringens. Constitutiones vero capitulares ante ordinationem publicatae, sunt lex specialis solam Cathedralem obligans. Porro scitissimi iuris esse quod ***lex generalis posterior non tollit legem specialiter loquentem priorem,*** Reitfenst. ***De Const. n. 496 ;*** Suarez ***De legibus lib. 6 cap. 5.***

Perpendit insuper quod, cum huiusmodi constitutiones capitulares exhibitae fuerint, multis antea annis tum gubernio, tum Nuntio Apostolico, quin aliquid in iis reformandum invenerint, prout, ad tramitem diplomatis regii 1852, debuissent, inferendum esse inquit, ipsas approbatas fuisse; et ideo exceptionem respicientem administrationem proventuum fabricae parochiae s. Ioannis, quae in iis continetur, eiusdem valoris esse, ac si apposita fuisset in ordinatione parochiali.

Demum quoad alteram offensionem, per suppressionem nempe capituli regularis anno 1859 obventam, immutatum fuisse statum, et omnia antiqua iura et privilegia ecclesiae cathedralis evanuisse, animadvertit nihil ex illa suppressione perdidisse ecclesiam, licet ipsius status immutatus fuerit. Nam iura ecclesiae non adhaerent qualitati personarum, qua immutata, deperduntur, ceu tradit S. Rota ***decis. 547 n. 5 cor. Merlino,*** et ***decis. 338 part. 5 recent.*** S. C. C. in ***Ravennaten. Funerum 17 Martii 1781,*** in ***Tiburtina 17 Martii 1827,*** et in ***Pergulana 29 Ianuarii 1825.***

Post haec concludit cum auctore praelectionum iuris canonici quae traduntur in seminario s. Sulpitii ***tom. 2****

part. S n. 649 circa finem, abnorme esse duplicem fabricam in una Ecclesia haberi. « Si Parochia uniatur Ecclesiae cathedrali, non idcirco duae fabricae formantur, una est, quae bona redditusque cathedralis et parochiae administrat, idest fabrica Cathedralis ».

Quibus perpensis propositum fuit diluendum

Dubium

An sit standum vel recedendum a decisis in casu

RESOLUTIO. S. Congr. Concilii, re ad trutinam revocata sub die 28 Aprilis respondere censuit. ***In decisis et amplius.***

MONTISALTI

RESIDENTIAE ET ONERUM CANONICALIUM

Die 24 Martii 1888.

Sess. 22 cap. 3 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Tullius Galli, canonicus ecclesiae collegiatae Rotellae, Dioecesis Montisalti, S. C. C. exposuit, quod ab anno 1876 a residentiae loco discessit, et Montisalti prius commoratus est, deinde in pago Force eiusdem Dioecesis, ubi in praesens organum pulsat, et coadiuvat etiam parochum in excipiendis confessionibus.

Oneribus missarum, quae canonicatui sunt adnexae, semper satisfecit, exceptis missis conventualibus dierum ferialium, quas ab anno supradicto nunquam celebravit. Cuius irregularis agendi rationis hanc ipse allegabat excusationem , quia scilicet capitulum Rotellae suppressum civiliter fuerat, et nunc pene extinctum.

Nihilominus cum undequaque securus in conscientia se non sentiret, ad sui animi quietem, petebat, ut absolveretur ah obligatione missarum conventualium, quas non celebraverat, sanaretur quilibet defectus in perceptione redituum canonicalium admissus, et ah obligatione residentiae ipse in posterum liberaretur.

Rogatur super hisce precibus Episcopus coadiutor, factaque ei lege ut Rotellae capitulum audiret, haec respondit: « Vix ac transmissa fuit ad hanc Curiam instantia, qua sacerdos Tullius Galli, canonicus ecclesiae collegiatae Rotellae, poscebat, ut posset facere suos reditus canonicatus ab anno 1876 indebite perceptos, ob non impletam residentiae legem, utque in posterum extra locum beneficii posset commorari, illam statim patefeci tum Priori capituli, tum alteri canonico superstiti. Hi in unum congregati autumarunt, oratorem oneri residentiae satisfacere debere: I° quia, eo absente, nequit ofiicium in choro recitari ; 2° quia si olim reditus benificii satis erant eius substentationi, multo magis sufficere nunc debent ob obtentam reductionem missarum 52, quae onus peculiare eius beneficii constituebant, ad 12 tantum singulis annis applicandas; 3° quia populus eius loci de ipsius absentia conqueritur; 4° tandem quia prior-parochus aliquo eget sacerdote, qui eum adiuvet in confessionibus excipiendis, praesertim cum vita excesserint quatuor canonici coadiutores. »

« Contra, orator ait, se non posse propriae substentationi prospicere reditibus praebendae canonicalis, qui exigui valde sunt. »

« Et reapse si prae oculis habeatur, annuos reditus non excedere libellas circiter 260 et ab his detrahatur onus missarum conventualium 37 circiter et aliarum duodecim, quas celebrare debet ratione alterius oneris, canonicatui adnexi; et insuper si advertatur ipsum in diebus suis iam processisse, esse scilicet quasi septuagenarium, adeoque non posse Rotellae residere quin famulum sibi adiungat; facili negotio despicitur, reditus eiusmodi vel necessariis impensis impares esse. E contra pulsando organa in ecclesia collegiata Fortii annuatim habet libell, circiter 290 et alias triginta pro quolibet mense recipit uti confessarius ; quas tamen paucis aliis mensibus ipsum percepturum puto, nam brevi novus renunciabitur parochus, qui eius ministerio in excipiendis confessionibus non indigebit. »

« Ad haec, quamvis Rotellae resideret, haud facile esset muneribus chori satisfacere, tum quia prior parochus ratione officii sui, saepe saepius non posset choro interesse, tum quia canonicorum alteruter, aliis de causis, ab hoc munere obeundo posset excusari. »

« Quod attinet ad satisfactionem onerum missarum, orator ex quo Rotellam reliquit, celebravit quotannis missas duodecim ad satisfaciendum oneri peculiari canonicatui adnexo, missas vero conventuales celebravit vel celebrare fecit tantum diebus Dominicis singularum hebdomandarum sibi in turno contingentium, reliquas omnes omisit; putavit enim capitulum, quippe quod ad tres tantum canonicos reductum erat, ex tunc dissolutum fuisse, ac proinde onus quoque missarum conventualium cessasse, una cum onere residentiae. »

« Quod ad me spectat, submisse putarem Oratori, inspecta eius gravi aetate, nec non tum canonicatus, tum aliorum proventuum exiguitate, indulgeri posse, ut fructus omnes illegitime perceptos sibi retineat ; pro missis vero conventualibus neglectis, aliquem missarum parvum numerum, intra determinatum tempus, pro una vice, celebrandarum, posse iniungi. Relate vero ad legem residentiae in posterum, id istius sacri Consessus sapientissimo iudicio plenissime submitto. Tantum animadvertam quod, inspecto parvo sacerdotum numero in singulis Dioeceseos paroeciis, oratori difficile esset, ni dicam impossibile, alium invenire sacerdotem, quem sibi substituat in officiis choralibus, vel ipsis tantum diebus festis, implendis, praesertim cum Rotellae, praeter duos dictos canonicos, nullus alius adsit sacerdos. »

Disceptatio Synoptica.

QUAE VIDENTUR OPPONI PETITIONI. Iamvero canonicum choro interesse et onera beneficio adnexa solerter implere debere, idque sub gravi, doctrina est certissima, quam Tridentina Synodus sanxit ***cap. 3 Sess. 22 cap. 12 Sess. 24*** et alibi, et S. C. C. sollicite tuetur.

Neque excusat redituum tenuitas. Nam « attenta tenuitate redituum » servitii onus imminuere quidem S. C. C. aliquando censuit ; minime vero tollere, veluti in ***Bituntin.*** 15 Septembris 1770, ***Eugubina servitii chori 23 Ianuarii 1795,*** et ***Conversana 20 Decembris 4834,*** ubi tertiariam, seu servitium singulis tertia quaque hebdomada per vices fieri concessit; aut veluti in ***Eucerin. 22 Decembris 1838,*** et ***Cathacen. 5 Septembris 1699*** relata in ***Recanaten. servitii chori 8 Iulii 1796*** § ***Tantumque,*** ubi alternativam servitii permisit.

Eo minus autem excusat civilis capituli suppressio: praeterquamquod enim suppressae collegiatae canonici, qui pensione fruuntur, nec coram civili magistratu censentur a choralibus obligationibus immunes;-quin imo cautum expresse fuit ***art. 3*** dispositionis 15 Augusti 1867 quod ordines investiti annuum recipient reditum, dummodo onera adnexa impleant; insuper in canonica iurisprudentia haec iustissima retinetur regula, quod civilis suppressio non aliud sit, quam vera ecclesiae spoliatio, nec ullo modo consideratur veluti titulorum seu collegiatae extinctio. Sub hoc igitur respectu nulla et irrita est suppressio; et ideo qua talis inutiliter imo iniuriose invocatur ad servitii exemptionem sibi adstruendam.

Nec magis videtur concinna provocatio quae fit ad defectum sodalium. Etenim, praeter Tullium Galli, alii duo hodie adsunt in ea ecclesia canonici, et paucos ante annos probabiliter vel plures numero erant; sed si placeat, tres retineamus, nec plures in eo capitulo post suppressionem superfuisse. At nihil tamen iuvaret. Etenim communis doctrina est innixa 1. ***Neratius ff. De verb. signif. et cap. 1 De elect.*** firmata a Rota ***cor. Crispo decis. 277*** atque alias passim, quod ad erigendam constituendamque collegialem ecclesiam tres canonici requiruntur et sufficiunt; quia tribus societas formatur, et chori servitio satisfit. Unde haec exceptio falsa, et ideo omni effectu vacua videtur.

QUAE FAVERE VIDENTUR PETITIONI. Nihilominus ex alia

parte pendere S. C. C. non dedignabitur quae Ordinarius exscribit. Etenim licet male argumentatus fuerit orator, et licet ignorantia iuris non debeat admitti; nihilominus et haec ignorantia et haec praepostera ratiocinandi ratio potest in mentem alicuius venire et esse; quod si plene non excusat, titulum tamen commiserationis et indulgentiae offerre forte potest.

Accedit quod orator senex sit, et pauper; unde certe de praeteritis omissionibus et de indebita fructuum perceptione excuti nequit, nisi ad summum in tenuissima quota, ipsum scilicet, iuxta Episcopi votum, ad aliquas missas celebrandas damnando.

Pariter eum ad redeundum compellere, propter eius aetatem ac paupertatem, suas nec leves paritur difficultates, sicut rite Episcopus innuit.

EE. PP. iudicio remissum fuit perpendere, qua ratione iustitia cum aetatis et conditionis exigentiis componi posset; et quomodonam, hisce attentis, valeat lex moderari quae susceptas obligationes implendas esse proclamat.

Quibus praenotatis, propositum fuit enodandum

Dubium

An et quomodo preces canonici Tullii Galli admitti possint in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re cognita, sub die 24 Martii 1888, censuit respondere: ***Celebrato aliquo numero missarum, prudenti arbitrio Episcopi determinando, pro gratia absolutionis et condonationis quoad praeteritum; et quoad futurum pro gratia dispensationis a residentia et chori servitio ad quinquennium.***

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Canonicum teneri sub gravi adesse choro, aliaque canonicalia implere onera, non obstante redituum tenuitate; quae tantum esse potest causa cur servitium chori, ex indulto pontificio, imminuatur, minime vero tollatur.

II. Civilem suppressionem ecclesiasticorum entium non -excusare canonicos a propriis implendis oneribus; quia in canonica iurisprudentia civilis suppressio habetur tamquam vera ecclesiae spoliatio, minime vero ceu titulorum seu Collegiatae extinctio.

III. Adiuncta paupertatis, gravisque aetatis oratoris causam dedisse benignae condonationis et absolutionis indulgendae, nec non temporaneae dispensationis a residentia.

AP AMIE N. ET VICTORIEN.

MISSAE PRO POPULO

Die 28 Aprilis 1887.

Sess. 23 c. 1 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Apamiensis Ordinarius sequens dubium solvi humiliter postulavit : « In rubrica Breviarii legitur: ***Si subsequenti die, 24 Iunii, occurrerit solemnitas SS. Corporis Christi,*** agendum erit de praedicta solemnitate : ***festum s. Ioannis Baptistae tunc reponatur in diem 25, tamquam in sedem propriam.*** Quaeritur an in casu dictae translationis parochi ad applicationem missae pro populo teneantur die XXV Iunii. »

Simile quoque dubium Victoriensis Praesul movebat, referens quaestiones enatas, eo quod anno 1886 directorium dioecesanum in hoc festorum concursu haec iusserat, nimirum : « Applicentur pro populo duae missae, una pro die 24 seu feria V, in qua duo festa occurrerant, et altera pro die 25 seu feria VI in quam b. I. Baptistae non festum, sed tantum officium translatum fuit. »

Disceptatio Synoptica.

PAROCHI TENERI VIDENTUR AD APPLICATIONEM MISSAE ETC Iamvero omnibus diebus festis, etiam suppressis, ab animarum curatoribus missam pro populo esse applicandam, doctrina est undequaque explorata ac certa, quam post Triden-

tinuni ***sess. 23 cap. 1 Be reform.*** S. C. C. in ***Pistorien, et P raten. 24 Februarii 1699,*** Innocentius II apostolicis litteris ***Nuper,*** Benedictus XIV ***const. Cum semper oblatas,*** ac tandem Pius IX encyclica ***Amantissimi*** firmatam ac sartam voluerunt.

Porro cum aliquod festum, et in themate festum s. L Baptistae, ob concursum alterius maioris ritus transfertur in sequentem diem veluti in ***sedem propriam,*** viderentur, omnia etiam transferri quae erant pro eo festo die praescripta, ideoque officium, missae ritum, et etiam applicationem pro populo. Siquidem si sedes propria festi s. Ioannis esset in die 25 Iunii, profecto cum officio et ritu etiam applicatio missae pro populo observari deberet.

Nec refert quod dies 25, in quem s. Ioannis B. memoria transfertur, non sit festus de praecepto ; ideoque populus ad auditionem missae et ad cessationem a servilibus non sit obligatus. Etenim inter haec omnia non est absoluta relatio ; sed potest ultro consistere solemnitas ritus et obligatio applicationis pro populo, quin, saltem in praesenti ecclesiae disciplina, sint obligati fideles ad diei festi observantiam. Exemplo sit quod obtinet in diebus Apostolorum, aliisque festis olim de praecepto, nunc suppressis.

PAROCHI NON VIDENTUR TENERI AD APPLICATIONEM MISSAE ETC. At vicissim cum rubrica praescribit ut « festum s. I. Baptistae, reponatur in diem 25, tamquam in sedem propriam » agere videtur de ritu, officio et missa diei propria; minime vero afficere, saltem directe et per se, obligationes quae dies festos comitantur, idest observantiam diei festi et onus applicationis pro populo.

Et re sane vera rubricae de ritualibus solemnitatibus et de modo missam et officium celebrandi tantummodo agunt; minime vero saltem per se, respiciunt, aut definiunt, quae sint festa de praecepto vel quoties animarum rectores missam pro populo litare teneantur. Ad haec enim - habita utique solemnitatum ac rubricarum ratione - canones ordinandi, quales sunt pro universa Ecclesia ***const. Universa*** Urbani VIII 13 Se-

ptembris 1642, *const. Commissi nobis* Clementis XI, 7 Decembris 1708, *brev. Nuper* Innocentii XII, *const. Cum semper oblatas* Benedicti XIV, ac demum *const. Amantissimi* Pii IX; quibus accedunt speciales leges, quae in unaquaque civitate aut regione vigere possunt, prout in Gallia potissimum accidit.

Porro nulla adest in hisce legibus mentio, nullaque specialis dispositio, qua translato festo s. Ioannis in diem 25 Iunii detineantur fideles ad observantiam diei festi et sacerdotes ad applicationem pro populo.

Imo haec obligatio videtur exclusa ex morali illo « principio quod satisfieri potest per unum actum duplici praecepto, si in illo unico actu totum ponatur, quod per diversas leges praescribitur » Scavini *theol. mor. tract. 2 disp. unie. c. 7* ***q.*** *4.*

Et talis est communis DD. sententia apud Scavini *loc. cit.,* D'Annibale *tom. 3 § 420* aliosque passim.

Imo haec doctrina, analogice saltem quasi definita invenitur in *const. Amantissimi,* ubi Pius IX decernit quod « quando una cum solemnitate divinum officium translatum fuerit in dominicum diem, una tantum missa pro populo est applicanda. »

Et clarius etiam in resolutione a S. C. C. data in *T reviren. Missae pro populo 24 Aprilis 1875,* cui concinit decretum datum a S. C. Rituum in *Oritana diei 23 Maii 1846',* cum resolutionibus datis die 18 Octobris 1818, 23 Maii 1835, et in una *Ensilden. 23 Iulii 1730.*

Accedit in themate quod nullimode dubitetur, quin ferialis sit dies 25 Iunii, et omnino liberi fideles ab observantia : hoc enim ipsi instantes videntur admittere, Romae observatur, et ubique receptum videtur. Porro si ferialis habetur hic dies pro fidelibus, non intelligitur cur festivus et onere missae gravatus debeat esse pro sacerdotibus. Etenim haec duo, nempe obligatio audiendi sacrum et necessitas litandi pro populo correlativa valde sunt ; imo olim in sua origine erant simultanea. Quod si hodie contingat observantiam diei festi

non semper concurrere cum obligatione sacrificandi pro populo, hoc est in exceptionibus ab apostolicis constitutionibus apprime definitis. Ideoque praeter hos casus taxative exceptos, qualis non est qui proponitur, semper subsistit quod obligatio offerendi pro populo cum obligatione audiendi sacrum concurrat.

Sed praestat referre speciem citatae ***Trevirensis diei 24 Aprilis 1875*** (.1) in qua casus noster adamussim definitus habetur. Exponebat enim Episcopus quod « in civitate Trevirensi singulis annis in feria quarta tertiae hebdomadae post Pascha solemniter celebratur, et quidem de praecepto, commemoratio ss. Tunicae D. N. I. C., quae in eiusdem Cathedrali ecclesia in magnam populi aedificationem asservatur. Hoc festum anno 1871 occurrit die 3 Maii; hinc festum inventionis s. Crucis D. N. I. C. in diem 11 eiusdem mensis translatum est, et in directorio illius Dioecesis statutum fuit : ***11 Maii fer. 5 fiat applicat, pro parodi. Inventio s. Crucis dupl. 2 das. fuit 3 huí.*** » Episcopus ad parochorum instantiam quaesivit a S. C. C. an tenerentur parochi Missam celebrare pro populo dicta die 11 Maii. Et responsum fuit: « ***In casu de quo agitur parochum non teneri; idque notificetur Episcopo. »***

Quibus omnibus perpensis EE. PP. rogati fuerunt enucleare

Dubium

An animarum rectores teneantur applicare missam pro populo die 25 Iunii, si in hanc diem occurrat transferri tamquam in sedem propriam festum s. I. Baptistae in casu.

RESOLUTIO. Sacra Cong. Concilii, re cognita, sub die 28 Aprilis 1888 censuit respondere: ***Negative.***

Ex QUIBUS COLLIGES I. EX translatione festi s. Ioannis in diem 25 Iunii per rubricam acta, haud sequi quod fideles teneantur ad observantiam diei festi et rectores animarum ad applicationem pro populo.

(1) Citata Trevirensis prostat; Vol. VIII, 602.

II. Rubricae enim de modo missam et officium celebrandi agunt, ast non definiunt quae sint festa de praecepto vel quoties animarum rectores Missam pro populo litare obligentur : quod faciunt ss. Canones aut Constitutiones Romanorum Pontificum.

III. Obligationem applicandi Missam, die qua transfertur festum s. Ioannis, exclusam videri ex principio morali, quod per unum actum duplici satisfit praecepto, si in illo actu ponatur quidquid per diversas leges praescribitur.

IV. Nec absonum est si dicatur, quod quaestio haec analogice definita sit per Constit. Pii IX *Amantissimi,* qua decernitur « quando una cum solemnitate divinum officium translatum fuerit in dominicum diem, una tantum Missa pro populo est applicanda. »

MONTISPOLITIANI

PUNCTATURARUM

Die 24 Martii i 888.

Sess. 21 Cap. 3; Sess. 22 cap. 3; Sess. 24 Cap. 12. de Ref.

COMPENDIUM FACTI. Episcopus coadiutor Montispolitiani, postquam retulerit de statu ecclesiae cathedralis, de modo lucrandi distributiones quotidianas et de consuetudine dividendi fallentias, quae in illo capitulo viget, votum S. C. C. exquisivit super nonnullis dispositionibus, quas ipse in Domino proposuerat.

En eius verba : « Constitutiones Capituli ecclesiae Cathe-
» dralis Montispolitiani concinnatae a b. m. Card. Bellar-
» mino *Cap. 26 De distributionibus quotidianis* statuunt:
» *Quilibet Canonicus, qui singulis horis... praesens inter-*
» *fuerit, quolibet mense starla tria grani lucrentur. Quod si,*
» *post impletam mensuram distributionum quotidianarum,*
» *adhuc supersit aliquid ex fructibus Ecclesiae, idest uvis,*
» *bladis, legumi n ib u a etc. illud non distribuatur Canonicis*
» *sub nomine munusculorum, sed emantur necessaria vel*

» ***utilia ad agros colendos, et alia Ecclesiae bona conser-***
» ***vanda vel augenda.***

» Quum autem Canonici... omnes habeant suam prae- » bendam, et praedia ruralia eiusdem capituli occupata et » vendita a Gubernio, sint in praesentiarum conversa in red- » ditum debiti publici, vulgo ***consolidato,*** ideoque redditus, » qui supersunt, in culturam et conservationem agrorum non » sint amplius impendendi; ideo iidem canonici, detractis piis » oneribus et legatis missarum, dividunt inter se et Capel- » lanos totam summam reddituum; quae divisio ascendit ad » libellas quingentas pro unoquoque canonicorum et ad li- » bellas biscentum et quinquaginta pro unoquoque capella- » norum, et non fit ***pro rata servitii choralis, sed partibus*** » ***aequalibus:*** ita ut negligentes lucrentur ferme ac diligen- » tes, quoniam etiam punctaturae, quae sunt satis tenues, » dividuntur pariter aequalibus partibus indiscriminatim inter » omnes. Quae ratio dividendi distributiones obest et dili- » genti servitio chori, et adversatur legibus canonicis, quae » statuunt punctaturas dividendas esse solum inter praesentes.

» Insuper iidem Capitulares, qui serviunt Choro alterna- » tim per hebdomadam, non faciunt servitium per novem » integros menses, quum contra ipsas Constitutiones, ne in » Quadragesima quidem aliisque exceptis diebus interveniunt » semper choro. In Quadragesima enim una pars tantum » intervenit ad Matutinum, qui recitatur in sero post Com- » pletorium. »

Qua de re, ad obtinendum diligentius servitium chori, ad abolendum abusum absentiae a choro diebus exceptis, et ad dividendas punctaturas inter solos praesentes, Episcopus iuxta votum etiam sanioris partis capituli, ab S. C. C. petiit:

1. Ut tota summa lib. 500, quae unicuique ex canonicis et lib. 250, quae unicuique ex capellanis ex massa communi obvenit in distributiones quotidianas divideretur; aut in praebendarum augmentum ad summum 50 libellae assigna- rentur, reliquae vero libellae 450 ratione servitii choralis distribuerentur.

2. Ut inolitus abusus aboleretur punctaturas absentium indiscriminatim, et aequalibus portionibus inter omnes canonicos tam praesentes quam absentes dividendi.

Disceptatio Synoptica

QUAE EPISCOPI PETITIONI FAVENT. Tridentina Synodus in *Cap.* ***3,*** *Sess.* ***21*** *de reform,* praescribit « in ecclesiis tam » cathedralibus, quam collegiatis, in quibus nullae sunt dis- » tributiones quotidianae, vel ita tenues, ut verisimiliter ne- » gligantur, *tertiam partem fructuum, et quorumcumque* » *proventuum et* ***obventionum*** tam dignitatum, quam cano- » nicatuum etc. separari debere et in distributiones quoti- » dianas converti, quae inter dignitates obtinentes et ceteros » divinis interessentes, proportionaliter... dividantur : salvis » tamen consuetudinibus earum ecclesiarum, in quibus non » residentes, seu non servientes, nihil vel minus tertia parte » percipiunt. »

Idemque repetit in *Cap.* ***3,*** *Sess.* ***22*** et praecipit, ut distributio quotidiana eorum, qui servitium personaliter sibi competens non impleverunt, *fabricae ecclesiae* etc. *arbitrio Ordinarii applicetur.*

Idipsum tandem iubet in *Cap.* ***12*** *Sess.* ***24,*** ubi in usum revocat decretum Bonifacii VIII, iuxta quod, qui statis horis non interfuerint, distributionibus, *quavis collusione aut remissione exclusa, careant.*

Ex quibus patet portionem praebendae in distributiones convertendam aequare sin minus debere *tertiam partem fructuum, et quorumcumque proventuum et obventionum* uniuscuiusque beneficii.

Cum itaque in themate beneficia ex duplici redditu coalescant, altero scilicet ex massa communi omnibus aequali, et lib. 500 pro canonicis, 250 pro mansonariis attingente; altero vero ex peculiari praebenda, quae diversa nec semper tenuis est; sponte sequitur de iure communi, pro unoquoque beneficio, diversam esse debere quotam in distributiones convertendam, iuxta uniuscuiusque beneficii redditus.

Qua de re animadversum fuit, quod si praefìxio 168 libellarum, utpote tertiae parti totius canonicalis proventus ferme aequivalens, admitti posset pro iis canonicatibus, qui praebendam 25 libellas non excedentem obtinent; tolerari nullo modo deberet pro aliis, qui praebenda centum, biscentum, tercentarum vel quingentarum libellarum ditantur.

Nec quidquam officere contrariam consuetudinem; quia, prout legitur in ***Cephal. Distribui. 31 Martii 1770 §. Ad tramites*** « S. C. C. semper decrevit distributiones quoti-
» dianas, ***non obstante contraria consuetudine,*** ex tertia parte
» fructuum cuiusque canonicatus singulis horis canonicis ab
» Episcopo esse assignandis, quae inter praesentes et divinis
» officiis interessentes tantum essent dividendae, ut in ***Ale-***
» coandrina lib. 3 Decret, pag. 22; Albanen. 6 Decem-
» bris 1690 ; Carpenct. 21 Iulii 1731 ; Nullius Terrae Pon-
» tiani 26 Martii 1735. »

Quam praescriptionem praecipue observandam esse, quando, ceu in casu, distributiones ita tenues sunt, ut prorsus negligant ur, tradidit S. C. C. in ***Aretina 5 Aprilis 1695.***

Res cum ita se habeant, nullum adesse videretur dubium, quin Episcopus quotam pro distributionibus quotidianis, saltem pro pluribus canonicatibus suae cathedralis, augere valeat.

Quo vero ad specialem quaestionem, num scilicet universus massae communis redditus in distributiones quotidianas erogari possit ; affirmativam sententiam tenendam esse suadet factum, quod hodiernus massae census iis praedialibus bonis successit, quae ven. m. Card. Bellarminus a praebendis distincta voluerat, ad massam communem constituendam separaverat, et principaliter pro quotidiano ecclesiae servitio reservaverat.

Perperam vero opponeretur, iniquum videri canonicales proventus ferme ex integro, aut saltem principaliter, ex distributionibus constitui. Siquidem plures adsunt ecclesiae collegiatae, in quibus distributiones in singulas horas singulorum dierum stant loco praebendae. Quem statum non improbavit, sed potius admisit S. C. Concilii in ***Bierden. Absen-***

tiae etc. 3 Martii 1792, in ***Vahen. Servitii chori 24 Novembris 1838.***

Imo ipse cohaeret citato ***Cap. 3, Sess. 21*** Tridentinae dispositionis, quae salvas vult consuetudines earum ecclesiarum, ***in quibus non residentes nihil, vel minus tertia parte percipiunt.***

Quam dispositionem rectae rationi congruam esse, et ad divinum cultum obtinendum magis conferre, apparet ex eo, quod nihil damni paterentur legitime absentes. His enim duas partes distributionum, quasi loco praebendae reservandas esse, S. O. C. ***loc. sup. cit.*** constituit; e contra maiori poena negligentes illegitimeque absentes multarentur, qui ne universum reditum amitterent, in praestando servitio diligentiores fierent.

Quod maxime opportunum videretur in themate, cum hac illave de causa contingat, capitulares esse secordes, et in ipsis solemnioribus anni temporibus ac diebus a choro abesse.

Relate vero ad alteram quaestionem, quae respicit praxim in suo capitulo vigentem, dividendi punctaturas inter omnes pro virili, sive praesentes, sive absentes fuerint, seu nulla habita ratione servitii, hoc nullo pacto tolerari posse perpensum fuit.

Et ad rem confirmandam allata fuit sententia Lucidi ***t. 1, pag. 296 n. edit. De Vis. SS. Limin.*** ubi haec leguntur: « S. O. C. constanti disciplina retinuit esse abusum » omnino eliminandum, ut eaedem (distributiones) indiscri- » minatim inter chorales, sive actu adsint in choro, sive non, » dispertiatur, ut in ***Carpenctoraten. 2 Iunii 1731 per sum. » p rec.*** nec non ***Asculana 5 Iunii 1706 ad dub. 5.*** Qua » quidem in re, licet consuetudo adversa invaluerit, et con- » stitutio capitularis accesserit, utpote a praescriptione C. Trid. » utraque abhorrens, nullatenus est attendenda, quin imo » radicitus evellenda, prout nuperrime confirmatum est in ***» Aesina Fallentiarum 22 Decembris 1860 per sum. prec.***

QUAE CONTRA EPISCOPI PETITIONEM FACERE VIDENTUR.

Verum ex altera parte notatum fuit in praefato Capitulo consuetudinem haberi, quae statutis a ven. m. Card. Bellarmino derogasse videretur^ Constat enim in facto, idque a pluribus annis obtinet, ceu capitulum animadvertit, quod ex massae communis redditibus, portio quidem detrahatur, sed residuum, quod est pars maior, reservetur singulisque assignetur, quasi titulo praebendae extra omnem servitii considerationem.

Hanc vero consuetudinem in ea parte, in qua Tridentinae legi et S. C. C. sanctionibus adversatur, ac distributiones quotidianas ad quotam debito inferiorem reducit, utique damnandam ac reformandam esse. Sed in ea parte in qua fructus praebendales auget, eosque tenuissimos, ad convenientem quotam restituit atque elevat, tolerari forte posse.

Hisce utrinque perpensis, proposita fuerunt dirimenda sequentia

Dubia

I. *An et ad quam summam sit elevanda quota pro distributionibus quotidianis in casu.*

II. *An sit sustinenda consuetudo dividendi fallentias aeque inter diligentes et negligentes in casu.*

RESOLUTIO. S. C. Concilii, re examini supposita, sub die 24 Martii 1888 respondere censuit: *Ad* **1.** *affirmative ad integram summam massae communi subrogatam, eamque singulis horis prudenti Episcopi iudicio assignandam, restituta interim chorali servitio ad formam Concilii Tridentini et capitularium constitutionum. Ad* **2.** *negative et amplius.*

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Iuxta C. Tridentinum *cap.* **3** *Sess.* **21** *de ref.* in ecclesiis tam cathedralibus, quam collegiatis, in quibus nullae sunt distributiones quotidianae, vel ita tenues, ut verisimiliter negiigantur, tertiam partem fructuum et quorumcumque proventuum et obventionum, tam. dignitatum quam canonicatuum etc. separari debere et in distributiones quotidianas converti.

II. Huiusmodi distributiones inter dignitates obtinentes et

ceteros divinis interessentes, proportionaliter iuxta divisionem ab Episcopo, etiam tamquam S. Sedis delegato in ipsa prima fructuum deductione faciendam, dividi oportere.

III. Eos vero, qui personaliter competens sibi servitium non impleverint, quavis collusione aut remissione exclusa, illius diei distributionem amittere, nec eius quoquo modo dominium acquirere posse, sed eam fabricae ecclesiae arbitrio Ordinarii applicandam esse, ex cit. O. Trid. ***cap. 3,*** *Sess.* ***22,*** et *Cap.* ***12,*** *Sess.* ***24*** *de ref.*

IV. Distributiones quotidianas in quota maiori tertia parte proventuum consistere posse ; imo plures ecclesias collegiatas adesse, in quibus nulla est omnino praebenda, et distributiones quotidianae stant loco praebendae.

V. Hanc agendi rationem esse conformem Tridentinae dispositioni, quae ***cit.*** *cap.* ***3,*** *Sess.* ***21.*** salvas voluit consuetudines earum ecclesiarum, in quibus non residentes, seu non servientes, nihil, vel minus tertia parte percipiunt.

VI. S. C. C. constanti disciplina retinuisse, esse abusum omnino eliminandum, ut distributiones indiscriminatim inter chorales, sive actu adsint in choro, sive non, dispertiatur.

VII. Ideoque nullatenus esse attendendas sive consuetudines contrarias, sive ipsas constitutiones capitulares huiusmodi divisionem statuentes ; imo utpote a O. Tridentini praescriptione abhorrentes, radicitus esse evellendas.

NIVERNEN.

BINATIONIS

Die 24 Martii 1888.

COMPENDIUM FACTI. Episcopus Nivernensis haec exposuit :- « Cum per annum decurrentem, ab ipso Oratore, S. C. C. preces oblatae fuerint, ut varia dubia solutionem acciperent et facultates speciales concederentur pro celebratione secundae missae in pluribus dioecesis suae paroeciis, ab Emis Patribus ipsi rescriptum fuit: - *Ut quatenus non verificentur*

conditiones in Benedictina Constitutione, sed tantum aequipollentes, pro facultate recurrat. »

« Ad has igitur obtinendas facultates denuo ad Sanctam Sedem hodie recurritur. Nunc in Dioecesi Nivernensi plures sunt parochi, qui missam secundam celebrant tantum in quibusdam festis solemnioribus, ut maior facilitas detur fidelibus, sive sacro assistendi, sive sacram communionem maiore cum devotione accipiendi : et affirmant parochi hanc secundam missam in hoc utroque casu maximi esse momenti ad conservandam et augendam pietatem in suis paroeciis. Quibus rationibus permotus Orator facultatem implorat, ut deinceps in nomine Sanctae Sedis, eidem parocho sive sacerdoti, secundae missae celebrandi licentiam concedere possit in supra memoratis festis solemnioribus. »

Disceptatio Synoptica

QUAE FAVENT BINATIONI. Iamvero ex constitutione Benedicti XIV ***Declarasti nobis*** et ex Glossa ad cap. ***Consuluisti v. Necessitatis De celebrat, missarum*** desumitur, quod inter causas quae requiruntur, ut sacerdos bis in die celebrare possit, praeter illas, quae in necessitate fundantur, etiam eae quae ex utilitate eruuntur adnumerari debent. Tamen notandum est hic agi, non de utilitate celebrantis, sed missam audientis, ut docet Card. Zabarellus in dicto ***cap. n. 3,*** et Abutrio ***n. 4,*** et Vericellus ***De Apostolicis miss. tit. IV quaest. 48, dub. 18, n. 201.*** Ac proinde quoties constitit de vera ac notabili utilitate missam audientis, toties S. C. C. binandi facultatem concessit. Ita in ***Argentina per Sum. precum*** diei 17 Septembris 1850, quamvis Episcopus peteret binationem in die Circumcisionis, quae dies ex indulto Cardinalis Caprara ex albo festorum expuncta fuerat, tamen ad populi pietatem quodammodo remunerandam, cum diem illam adhuc festivam haberet, S. C. C. precibus indulsit. Item in ***Lingonen. et Turonen.*** diei 14 Augusti 1878 (1) Episcoporum petitio exaudita fuit, quamvis facultatem binandi in aliqui-

(1) Relata fuit Vol. XII, 232.

bus festis suppressis exposcerent. Ita in ***Mexicana*** diei 20 Decembris 1879, (1) in alia ***De Tulancingo*** et in ***Gratianopolitana,*** utraque diei 10 Maii 1884, aliisque, in quibus omnibus, concurrente necessitate aut utilitate spirituali populi, gratiam binationis S. C. concessit.

In casu autem an existat haec utilitas, ex ipsis verbis petitionis eruitur, ubi dicitur, facultatem binandi maximi momenti esse ad conservandam et augendam pietatem fidelium.

QUAE ADVERSANTUR BINATIONI. At ex altera parte, Innocentius III, in ***cap. Consuluisti de celebrat, missae,*** et Honorius III in ***cap. Referente eod. tit.*** statuerunt, quod nisi causa necessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam missam solummodo celebrare. Quaenam censeatur necessitatis, vel, ut in Glossa, utilitatis causa, post Const. Benedicti XIV ***Declarasti nobis*** communis theologorum et canonistarum sententia in hisce tribus casibus enumerandi s concurrit, nempe quoties unus sacerdos duas paroecias habeat, et in alterutram paroeciam populus convenire nequeat; vel duos populos ita seiunctos habeat, ut alter ipsorum parocho celebranti diebus festis adesse nullo modo possit; vel cum tantus sit populus, qui in ecclesiam parochialem nimis angustam confluere totus non possit; et in omnibus his casibus alius praesto non sit sacerdos, qui aliam missam celebret. Ex quibus colligitur, gratiam binationis concedi, quando agitur de tali necessitate aut utilitate, quae connexa sit cum aliqua saltem morali impossibilitate audiendi missam.

Et ideo S. C. C. in causa ***De Tulancingo*** per summaria precum, circa facultatem binandi, die 10 Maii 1884 responsum dedit: « Dummodo non commodum, sed necessitas id exigat, pro gratia ad decennium, facto verbo cum Sanctissimo. »

At in casu haec impossibilitas audiendi missam diebus solemnioribus non apparet, sed tantum agitur de facilitate seu commodo sacrum audiendi et sacram communionem ma-

(1) Recole Vol. XIII, **340, et Vol.** XVII, **157.**

iori cum devotione accipiendi, ut ex, ipsa petitione Episcopi eruitur. Quod videtur posse verificari in illis omnibus paroeciis, in quibus unus tantum presbyter adest.

Quibus praenotatis, quaesitum fuit quomodo preces essent dimittendae.

RESOLUTIO Sacra *C.* Concilii, re cognita sub die 24 Martii 1888 censuit respondere: ***Non expedire.***

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Binandi indultum concedi parocho, qui aut duas habeat paroecias, aut duos populos ita seiunctos, ut alter ipsorum parocho celebranti diebus festis nullo modo adesse possit, vel quum tantus sit populus, qui in ecclesiam paroecialem, totus confluere nequeat,

II. In themate omnino non verificari neque conditiones volitas a Constitutione Bened. XIV, ***Declarasti nobis,*** neque aequipollentes; quum ex binatione in quibusdam solemnioribus festis praeberetur tantum fidelibus maior facilitas sive sacro assistendi, sive maiore devotione sacram communionem accipiendi.

VENTIMILIEN.

MATRIMONII

•Dii 13 Iunii 1885 et die 19 Maii 1888.

Sess. 24, Cap. 1 de ref. matrim.

COMPENDIUM FACTI. In oppido Carpasii Dioecesis ventimiliensis die 18 Septembris anni 1871, inter Catharinam Saccheri et Antonium Scarella matrimonium in faciem Ecclesiae celebratum fuit.

Verum ratione tenerae aetatis sponsae, nondum enim annum tertium supra decimum ipsa expleverat, parochus huiusmodi nuptias benedicere renuebat.

Nihilominus insistente puellae matre, quae nimio, et forsan impuro, amore afficiebatur erga Antonium, habitaque sententia, Vicarii Generalis, apud quem puella ducta fuerat, parochus ad matrimonii celebrationem devenit.

Laetas inter epulas, expletis nuptialibus conviviis, in eadem uxoris domo coniuges per duos menses cohabitar unt, et rei uxoriae frequenter operam dederunt.

Interim vir omni studio curabat, ut socrus quaedam temporalia bona ei donaret; tandem post octo menses partim in domò uxoris, partim in domo mariti exactos, cognita absoluta eius repugnantia et impossibilitate consequendi ea bona, quae a socru exigebat, vir longe abivit, et mulier ad domum paternam redi vit.

Ab hoc tempore tanta fuit eorum animorum dissociatio, ut non amplius familiariter se habuerint. Imo mulier civile contraxit matrimonium cum alio viro, cum quo continuo maritaliter vivit. Tandem conscientiae stimulis forsan exagitata, supplici exhibito libello, SSmum D. N. adivit, petens ut matrimonium cum Antonio initum nullum irritumque declararetur ex capite vis et metus a matre illati, vel sin minus rogabat pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato, iureiurando affirmans, penem mariti nunquam in eius claustrum virginale penetrare potuisse.

Sanctissimus, praescripta confectione processus super utraque petitione et super causis dispensationis, benigne indulsit, ut, attenta oratricis paupertate, causa oeconomice tractaretur, cum voto Theologi et Canonistae et cum Animadversionibus Defensoris matrimonii ex officio.

Disceptatio Synoptica.

VOTUM CANONISTAE. Canonista contendit matrimonium in themate duplici ex causa fuisse nullum; quia scilicet defuit consensus, et quia interfuit impedimentum affinitatis ex illicita copula.

Relate ad consensus deficientiam, iuxta doctrinam Pontii ***De matrim. I. 4 c. 14 num. 16,*** ait in matrimonii contractu , talem , propter vinculi indissolubilitatem, consensum, requiri, qui uberior sit illo, quo alia facta aliique contractus firmantur.

In matrimonio autem, de quo agitur, liberum consensum

ex parte mulieris non inveniri, praeprimis ex defectu plenae evolutionis criterii eius.

Hunc evolutionis defectum arguit ex ipsius Catharinae aetate « quae decimum tertium annum nondum expleverat. Animadvertit enim, quod etsi quidam adsint, qui credant evolutionem intellectivam ex physica ac sensitiva individui, post aliquod spatium aetatis, puta post 12 annos, incipere generaliter vim intellectivam perfectam ; attentis tamen tarditate intelligendi derivata a temperamento speciali corporis, vel a carentia instructionis, aliisque similibus circumstantiis, potest quidem deduci atque credi, expectandum fore aliud spatium aetatis, ut moralis pubertas habeatur.

Id quod rei natura dictat, confirmari inquit nedum ab agendi ratione parochi, qui nuptias benedicere renuebat; nedum ex confessione ipsius Catharinae eiusque patris et matris: verum etiam ex concordi depositione plurium testium, qui ad rem percontati, unanimiter retulerunt Catharinam non habuisse discretionem tempore, quo matrimonium contraxit, nec proinde verum exercitium libertatis; imo aliqui deposuerunt, ipsam esse ***pene fatuam.***

Quod si Vicarius generalis censuit rite ad matrimonium procedi posse, ideo egisse subdit, quia investigationi aetatis, non autem actualis intelligentiae mulieris attendebat.

Verum, praeter defectum plenae evolutionis criterii, consensum Catharinae abfuisse contendit, quia morali vi extortus fuit. Quod ut evincat, perpendit testes omnes deposuisse matrem incredibili studio filiae matrimonium desiderasse, et omnibus artibus omnimode usam fuisse, ut filia talibus nuptiis assentiretur; ac proinde moralem coactionem filiae dedisse.

Quod a testibus deponitur, ab ipsamet puella confirmari, quae de se fatetur, quod flebat dum ante altare sistebat, ut matrimonium celebraret, et si possibile ipsi foret, a tali actu se subtrahere voluisset.

Hisce in vado positis, unanimem canonistarum sententiam esse asserit, quod lacrymae, aversio, lamentatio mulierum circa matrimonium vel contrahendum vel contractum, signa

esse negativa consensus; Rota ***decis.- 23 n. 17 part. 12 Recent.***

Nec opponi posse ipsam habitasse per octo menses cum sponso; nam non apparet in processu veram copulam habuisse cum eo, sed e contra apparet vexatam fuisse cum damno sanitatis.

Et dato quod copulam habuisset, ex hoc non inferri ipsam ratificasse consensum; quia ei videbatur matrimonium, quocumque modo factum, verum ac legitimum fuisse, ipsamque Antonii vere sponsam, quamvis reluctantem, esse.

Hinc nec consensum renovabat, neque negabat, si scivisset, ut ipsa deponit, impedimentum aliquod irritum fecisse matrimonium contractum, illico ipsius solutionem impetrare sategisset.

Verumtamen admissa etiam hypothesi, quod Catharina consensum per copulam ratificaverit, nihilominus matrimonium nullum fuisse urget propter impedimentum affinitatis ex illicita copula antecedens.

Huiusmodi copulam argui subdit, ex depositione plurium testium, qui referunt matrem Catharinae nimio ardore dilexisse Antonium, hanc fuisse publicam famam, quod ipsa carnaliter cum Antonio conversantur, et huiusmodi suspicionem graviorem evasisse ex eo quod sponsus, dum tractabatis de futuro matrimonio, habitabat in domo Saccheri.

Idipsum confirmari addit ex depositione iurata tam Antonii, quam praecipue Catharinae matris, qui pluries confessi sunt, ante Catharinae matrimonium commercium carrnale et copulam perfectam invicem habuisse.

Ex illicita copula antecedenti impedimentum dirimens oriri, statutum fuisse a Conc. Trid. in ***Cap. 4 Sess. 24 de Reform, matrim,*** ubi haec leguntur. « Concilium Tridentinum hac de re ita definivit: sancta Synodus gravissimis » de causis adducta, impedimentum, quod propter affinitatem » ex fornicatione contractum inducitur et matrimonium postea » factum dirimit, ad eos tantum, qui in primo et secundo » gradu coniunguntur, restringit. »

Quin subsumere navaret, iudicem neque posse, neque debere matrimonium in faciem Ecclesiae contractum dissolvere, nisi plene atque perfecte demonstratum sit, matrimonium cum impedimento dirimente celebratum fuisse.

Huic siquidem offensioni consultor respondet, hoc utique in genere dicendum esse, ad probationes autem quod spectat, non semper a testibus exquiri posse existentiam antecedentem impedimenti; ex eo quod adsunt aliqua impedimenta, quorum causa pudoris velamine occulta existit. Ideoque plenam demonstrationem per testes impedimenti affinitatis ex illicita copula difficilem evadere, cum non oscula* non tactus affinitatem gignant, sed ex copula perfecta carnali affinitas consurgat: *arg. can. Lex. divina* ***18*** *can.* ***27*** *q.* ***2.*** Verum cum spontanea confessio reorum indiciis maxime concordat, tunc moralem certitudinem de ea haberi; maxime si, prout in casu, iureiurando reitatem confirmant.

Cum itaque in casu de existentia impedimenti affinitatis ex illicita copula antecedente dubitari nequeat; cum pariter constet super hoc impedimento neque sponsum, neque sponsam, neque huius matrem dispensationem petiisse; canonista concludit, matrimonium de quo agitur tam ob consensus defectum, quam ob impedimentum affinitatis, nullum fuisse.

VOTUM THEOLOGI. Theologus, antequam causae meritum aggrediatur, nonnulla praemittit circa processus imperfectionem, ac praeprimis notat, quod in actis non apparet an Defensor vinculi ex officio tradiderit interrogatoria clausa et obsignata Cancellario seu Notario aperienda, illo postulante,, ex iudicis decreto in actu examinis.

Notat insuper ex actis argui, fuisse omissum iuramentum, quo actrix et testes confirmare debebant, se vera dixisse. Neque ex eisdem colligi, an defensor matrimonii citaverit coniuges, ut indicarent septem sibi ipsis sanguine vel affinitate coniunctos, et in defectu istorum, septem vicinos : sed potius videri, quod Iudex proprio marte testes ad examen citaverit.

Prae ceteris animadvertendum esse putat, interrogatoria sponsis et testibus facta, praesertim super inconsummatione

matrimonii, fuisse adeo limitata, ut permulta alia desiderentur: sic nec testes interrogatus fuisse, an crederent actricem in examine vera dixisse; nec patrem ipsius actricis quoad matrimonii inconsummationem. Notat tandem processum penitus silere super dispensationis causis.

Hisce praeiactis, haec duo ostendere studuit; scilicet in themate non constare sive de vi et metu sufficienti ad dirimendum matrimonium, sive de huius matrimonii inconsummatione.

Ad primum quod attinet, animadvertit cum D. Thoma ***1 2 q. 6 ad 1 ei art. 7 ad 2*** vim et metum praesupponere in voluntate motum eiusdem voluntatis omnino oppositum actui externo, qui dicitur imperatus et quem ob vim et metum voluntas ipsa emittit; hi motus seu actus, quibus voluntas obiectum fugit, vel respuit iuxta ***Pßreyram Elucidât. S. Tkeolog. mor. elucid. 2 sect. 3 num. 56 dicuntur nolitiones*** et sunt ***abominatio, aversio, odium, tristitia*** et similia.

Quamobrem haud dici posse, quod agens in sua operatione passus sit vim et metum, si ipse seu eius voluntas prius non habebat abominationem, sive repugnantiam, sive aversionem, sive odium ad emittendum illum actum.

Ergo ut in Catharina admitti possit vis et metus, quando nuptias contraxit cum Antonio, debet prius in ea admitti aversio, odium vel repugnantia in ipsum Antonium vel saltem in statum coniugalem. At hoc concludenter haud probari in dicta Catharina.

Revera Catharinae confessionem potius revelare animum indifferentem ante consilium et promissiones matris; et post hoc consilium, instructionem et promissiones, revelare animum puellae voluisse, non quod prius renuebat, sed quod prius non cognoscebat.

Qua de re excludendum esse affirmat, Catharinam a matre fuisse coactam, alioquin dici deberet, quod omnes, qui sunt indifferentes circa aliquod obiectum, eo quod illud non bene noverint, et postquam ope instructionis et consilii habiti,

illud volunt, fuerint coacti, ideoque non liberi ad illud **ven**iendum.

Sed hoc sensui communi repugnare, quia consilium et instructio faciunt voluntarium, D. Thoma ***1 2 qu. 6 ar. 3 ad 3;*** promissiones autem et blanditiae augent ipsum voluntarium, D. Bonaventura ***4. d. 29 qu. 1 n. 8;*** Scotus ***q. u. ad fin.*** Durandus ***q. 2 ad 1.*** D. Thomas ***1 2 q. 6 ar. 7;*** Henriquez ***I. 11 de matrimonio c. 9 n. 5.***

Neque regerendum promissiones et blanditias tacitis minis aequiparari; hoc siquidem verificari, quando a Principe vel superiore factae sunt subdito, qui resistit, Sánchez ***lib. 4, d. 7 n. 3.*** At in casu nullibi reperiri, quod Catharina resistentiam fecerit matri aliisque parentibus in ordine ad contrahendum matrimonium cum Antonio ; imo ex eius responsis contrarium evinci.

Insuper neque signum aliquod praebuisse post contractum matrimonium, nam haec repugnantia praecipue manifestari debuisset, quando vir erat separatus et ibat ad visendam uxorem: at his in casibus actricem potius contrarium ostendisse.

Verum utique esse, quod Catharina una vice interrogata, num aversionem erga matrimonium habuerit, respondit affirmative, sed subdit hanc responsionem non esse attendendam, tum quia directe pugnat cum aliis duabus responsionibus; tum quia etiam non sufficit repugnantiam asserere, sed ea necessario cum testibus probanda est, quibus actrix suam repugnantiam manifestavit ; Cosci ***lib. de Sep. tori Coniug. Cap. 8 n. 59.***

Porro nullum adesse ex iuratis testibus, qui deposuerit audivisse a Catharina verbum contra hoc suum matrimonium, vel actum vidisse, qui exprimeret dictam aversionem.

Neque posse admitti, quod ipsa ad matrimonium apta haud esset defectu sufficientis discretionis. Nam iudicium super hac eius idoneitate delatum et remissum fuit Curiae Episcopali, quae vidit et interrogavit puellam quoad ea, quae ad statum coniugalem spectant; et existimavit ad matrimonium procedi posse.

Contendit tandem ad evincendum Catharinam haud coactam fuisse, prae ceteris conferre parentum testimonium, ex eo quod tam pater, quam mater maxime optant matrimonii dissolutione filiae, ut ipsa valeat legitime contrahere ritu ecclesiastico alias nuptias cum alio viro, cum quo iam civiliter vivit. Nihilominus ambo negant, filiam ad dictum matrimonium fuisse coactam. Et mater, cui praecipue tribuitur in filiam suam coactio, asserit se consilium tantummodo ipsi tribuisse.

At consilium et suasionem non officere liberae voluntati contrahentium, docet Rota ***decis. 336 n. 11 p. 2 recent.*** Cosci ***lib. 1 De Separat. Tori Coniug. Cap. S n. 76*** ait: ***Sola persuasio parentum non irritat filiorum connubium.***

Testes autem, qui insinuare videntur, matrimonium opera matris locum habuisse, generice tantum id affirmare. At communem esse DD. doctrinam cum Cosci ***lib. 1 De separat. Tori Coniug. Cap. 8 n. 77 quod testes generice deponentes iussu patris per filium nuptias fuisse contractas, metum minime probant.*** Ideoque theologus concludit non satis constare de vi et metu in themate.

Quoad matrimonii consummationem asserit, ex actis processus concludenter haud probari, mulierem non potuisse virilem congressum pati. Et mulieri affirmanti matrimonium consummatum haud fuisse, non esse praestandam fidem, ex eo quod contra ipsam tres praesumptiones concurrunt.

Prima, quia nunquam, durante connubio, alteri id manifestavit, et solum nunc, ad effectum, ut solvatur suum matrimonium cum Antonio. Secunda, quia si fuisset mulier timoratae conscientiae, non se copulavisset civiliter cum alio viro. Tertia, quia in processu non legitur, quod aliquis testis affirmaverit, eam verum deposuisse coram Iudice.

Imo veracitatem Actricis destructam remanere iurata depositione suae matris, quae affirmât, filiam non fuisse a se coactam; filia vero iuraverat se fuisse a matre coactam ad illud matrimonium.

Neque validam coniecturam de hac inconsummatione esse

posse, eius responsionem iudici interroganti circa tempus, quo menstruum incoepit. Quia, uti, post alios doctores, docet Sánchez ***lib. 7 disp. 104 n. 31 et 34.*** « Menstruum in foe-
» mina sufficit ad probandam aptitudinem eius ad generatio-
» nem. At si sit multo maior septennio, tunc praesumitur
» matrimonio apta ex sola claustri aperitione. » Ergo virum potuisse in themate reserare claustrum virginale, et matrimonium consummare, licet ea menstruum nondum habuisset.

Hisce perpensis, concludit, ex actis processualibus, nullo modo probari posse, inconsummationem matrimonii: consequenter de ea non constare.

Tandem quoad impedimentum affinitatis ex copula illicita habita a sponso cum matre sponsae antecedenter ad matrimonium, theologus citatus ***Cap. 3 t. de eo qui agn. consang.*** et ***Cap, 5 eod. tit.,*** nec non Reiffenstuel ***lib. 4 tit. 19 de divori.*** §. ***1 n. 16,*** et Sánchez ***lib. 2 disp. 45 n. 33,*** urget explorati iuris esse, ad dirimendum matrimonium ob impedimentum affinitatis, ex copula illicita ortum, non sufficere utriusque coniugis confessionem.

1. Quia ***cum quandoque nominili inter se contra matrimonium velint colludere, et ad confessionem incestus*** (aut alterius impedimenti) ***facile prosilirent, si suo iudicio crederent per iudicium Ecclesiae concurrendum. 2.*** Quia confitenti suam turpitudinem in sui favorem non est fides praestanda; ***Digest, lib. 48 tit. 18 §. 7;*** cum qui se accusat, agi videatur ab errore vel a dolo; sed necessario requiritur vel quod fuerit publicum ac notorium, vel quod illud comprobent idonei testes, qui ***rationabiles et pie dignas probationes*** faciant. Ratio est, ait Reiffenst. ***lib. 2 tit. 19 de divortiis,*** « quia causa dissolvendi matrimonium quoad vinculum, est
» una ex gravioribus, et in praeiudicium magnum tum tertii,
» tum sacramenti redundantibus, consequenter exigit plenam
» et perfectam probationem. »

At in casu impedimentum non esse publicum et notorium, cum ex sola confessione matris Actricis et viri apud Curiam episcopalem manifestum factum fuerit.

Verum viri .confessionem, iuxta praemissa principia, per se nihil probare et multo magis in casu, quia ipse voluit confirmare subscriptione, id quod coram Iudice deposuerat.

Neque aliquid probare confessionem matris sponsae ob recensitas rationes, et ob dispositionem Alexandri III, in ***Cap. Super ea 22 de test, et attesi,*** ubi haec rubrica legitur: ***Testimonium .matris est suspectum], ubi filia petit in virum aliquem se maiorem. Et ad dictum solius matris de impedimento deponentis, impeditur matrimonium, sed contractum non dissolvitur.***

Quamobrem alios requiri testes, secundum illud citati capitis: ***si vero matrimonium est firmatum, non debet sine plurium iuramento dissolvi.***

Cum autem, iuxta Be Luca ***De matrim, disc. 13 n, 3,*** Scaccia ***de sentent, et re iudic,*** Cosci ***lib. 2 de sep. tor. Coniug. cap. 14 n. 3, 4, 6,*** copula carnalis et venerea maris et feminae coniunctio sit actus, qui non cadit immediate sub sensu testis, sed mediate, nimirum mediantibus aliquibus actibus ad i'.lum finem, copulaeque effectum ordinatis, huiusmodi proinde tantum, media sive actus a teste sunt probandi, ut ex illis copulae probatio formata dicatur. Qui actus nihil aliud sunt, quam indicia, praesumptiones et coniecturae.

Sed cum nullum ex hisce indiciis, praesumptionibus et coniecturis testes in themate deposuerint, sponte fluere huiusmodi testes haud esse tales, qui iuridicam ac plenam probationem faciant.

Circa vero tres testes, qui deposuerunt quoad famam et vocem, quae in oppido ferebatur; plura animadvertenda esse subdit: 1. Quod hi testes de dicto alieno et de rumore vulgi, et indeterminate, non vero de scientia propria testati sunt. 2. Quod hae voces nullo modo adminiculantur aliquibus ex praesumptionibus et coniecturis a iure praescriptis. Vel ad summum indicant matrem sponsae non habuisse, sed potius habituram commercium cum Antonio.

Quin imo ex testimonio Archipresbyteri colligi non ad-

fuisse huiusmodi impedimentum. Nam si ipse novisset obiectum commercium, vel saltem praedictam famam et minorem fundamentum habere, absque dubio Episcopum admonuisset. Vel saltem praesumendum esset quod ipsemet, consulendi causa conscientiae coniugum, petierit a S. Poenitentiaria dispensationem, ad tradita a Benedicto XIV ***Instit. 87 n. 9,*** eiusque dispensationis nullum in archiviis documentum extare posset, quia in hisce casibus gratiae apponi solet, clausula: ***combustis post executionem litteris;*** ideoque nullo modo affirmari posse matrimonium actricis cum Antonio fuisse nullum.

Neque diversam fuisse praxim S. C. C. ceu videre est in ***una Ravennaten,*** relata a Prospero Lambertini, cum esset a secretis S. C. in sua collectione n. 226, licet impedimentum ex copula illicita fuerit denunciatum Curiae Episcopali. Item in ***una Verulana 5 Iulii 1836,*** et in ***una Risauren. 22 Maii 1875*** licet utriusque sponsi adesset confessio. Item in ***una Taurinen. 12 Augusti 1882.***

Hisce perpensis, theologus concludit ex actis non satis constare 1. de vi metuque sufficienti ad dirimendum matrimonium: 2. Nec de praesumpto impedimento affinitatis: consequenter firmum stare matrimonium in themate.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII. Vinculi defensor nedum ex officii ratione, verum etiam ex intima animi persuasione theologo adhaerere ait: hinc nec consensus defectum, nec impedimentum affinitatis in probatis existere, nec de matrimonii inconsummatione constare contendit.

Et a consensus defectu incipiens, in facto esse ait 1. Connubium publice in facie ecclesiae fuisse celebratum, quin quispiam ex astantibus ullum coactionis signum aspexerit. 2. Paucis ante nuptias diebus, sponsam ad Vicarium in spiritualibus generalem una cum sponso perrexisse, eique consensum suum nitide manifestasse. 3. Tandem sacramentalis confessionis peragendae causa ideo adiisse parochum Montisalti, quia tam proprius parochus, quam confessarius suus huic matrimonio aversabantur. 4. Quadam die sacerdoti Sacco

interroganti respondisse, se hoc matrimonium libere inire. 5. Post expletas nuptias, intra biennium iugales per septem menses, interpolatis vicibus, cohabitasse, rei uxoriae incerto licet exitu, operam navasse, et cum vir ab uxoris domo fugam arripuisset, sponsam bina vice eum secutam esse. 6. Demum, labente supradicto biennio, Mariam de coactis nuptiis nunquam conquestam esse, nec ipsam viro suo valedixisse, sed potius ab eo expulsam fuisse.

Quapropter Mariam audiendam haud esse, cum asserit aversionem erga hoc matrimonium semper habuisse; ex eo quod ista confessio, cum factis matrimonium praecedentibus, concomitantibus et subsequentibus e diametro pugnat.

Praeterea notissimum esse confessionem in favorem confitentis minime attendi, nisi testibus fulciatur. Huiusmodi autem testes in casu omnino deficere.

Inter fabellas vero amandandum esse ipsius assertum, quod nempe matrimonium contraxerit ob importunas matris preces et promissa. Neque satis esse quod testis Ietrico deponat huiusmodi matris persuasiones pluries audivisse, ex eo quod probandum insuper esset, Mariam aegre tulisse huiusmodi hortationes, adeo ut ipsa matrimonium elegerit, tamquam remedium necessarium contra maternas molestias. Barbosa ***vot. decis. 127 n. IO.*** Verum usque modo in probatis tantum esse puellam aegre tulisse parochum et confessarium, qui ipsam a matrimonio dehortabantur.

In nullo pretio habendas esse testium depositiones utpote per verba generica emissas, cum in ***specie*** probanda sint facta, quibus mater filiam ad matrimonium urgebat, et quibus filia repugnantiam monstrabat.

Neque dicas impossibile esse probare per testes puellae repugnantiam, quoniam ipsa fraudibus circumventa ex ***nolente*** facta est ***volens.*** Quandoquidem assertus dolus, dato etiam quod intercesserit, non revelat, nisi per testes adamussim examinatos probetur, Mariam ignorasse ipsam matrimonii substantiam quoniam esset dolus non circa substantiam, sed circa qualitatem matrimonii, qui propterea illud non irritat, etiamsi

praebeat eausam matrimonio alias non ineundo, Sánchez ***De matrim. lib. 7 disputi 18 n. 19.***

Nec in maiori pretio habendum esse aliud assertum, quod nempe sponsae mater, ante matrimonii celebrationem, cum Antonio carnale commercium habuerit, ac proinde, òb dirimens affinitatis impedimentum, hoc matrimonium irritum renuntiandum sit.

Siquidem inverosimile videri, ut femina quinquagenaria adulteriis flagris exarserit; atque iuvenis annorum quinque supra viginti tanto amore erga vetustam captus sit. At vero ***inverosimile imaginem falsitatis praesefert,*** Rot. ***decis. 335 n. 31 part. 14.***

Addit quod, dempta amasiorum serotina èt suspectissima confessione, remanent solummodo ambiguae vulgi suspiciones, quas optimus parochus apprime callebat. Hinc urget: aut suspiciones eae sunt, ut sperni debeant, aut prudens parochus, qui eas noverat, providit casui apostolica dispensatione.

Tandem quoad assertam matrimonii inconsummationem supervacaneum putat multa verba effundere. Namque, ait, certa est coniugum cohabitatio ad biennium intersectis vicibus protracta: non modo in probatis haud existit, sed impossibile est evincere ambos coniuges aut alterutrum interea temporis impotentia laborasse. Porro uxor, in quam suspiciones unice congeruntur ratione aetatis, ultra duodecim annos numerabat quando nupsit, et quindecim quando a marito discessit. Postremo virginitatis signa explorata haud sunt, nec explorari modo possunt, quoniam bis mater iam effecta est.

Rebus sic se habentibus, petitionem Mariae repulsam passum iri confidit, vel sin minus responsum praestolatur: ***Dilata et coadiuventur probationes.***

Hisce praehabitis proposita fuerunt dirimenda sequentia

Dubia

I. ***An constet de nullitate matrimonii in casu.***

Et quatenus ***negative.***

II. ***An consulendum sit SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.***

RESOLUTIO. Sacra G. Concilii, sub die 13 Iunii 1885, rem comperindinare censuit sequenti responso. ***Dilata et coadiuventur probationes, iuxta instructionem dandam a defensore matrimonii ex officio.***

Accepto Sacrae O. C. rescripto, Episcopus, datis luteris, edixit innumeris obstringi difficultatibus ad rite acta complenda, quia pagus ***Carpasio*** ferme inaccessus est et cleri defectu laborat ; unde petebat sibi facultas fieret probationes extraiudiciales assumendi.

Audito defensore matrimonii ex officio apud S. C. C. ex audientia SSmi rescriptum fuit: ***pro facultate, dummodo in substantialibus servetur ordo a regulis praescriptus.***

Post haec, iuxta interrogatoria a vinculi defensore (absente) conscripta, novem testes examini subiecti sunt, qui omnes substantialiter in iisdem affirmandis convenerunt.

NOVUM THEOLOGI VOTUM. Theologus, praemissis quibusdam considerationibus, super absentia defensoris Vinculi tempore examinis testium, cuius praesentiam iuxta Benedictinam ***Dei miseratione*** et Instructionem S. C. C. diei 22 Augusti 1840 necessariam esse affirmat, et ad substantiam procedurae pertinere; quoad causae meritum, duo haec propugnat; scilicet 1. matrimonium in casu fuisse nullum ex defectu in actrice sufficientis discretionis; 2. matrimonium inconsummatum remansisse, quia ex diminuta corporis dispositione tempore, quo actrix cohabitavit cum sponso, non potuit viri congressum pati.

Quoad 1. ait quod, iuxta unanimem doctorum sententiam, in contractibus matrimonii duo necessario requiruntur Pirhing ***lib. IV tit. 1 sect. 1 n. 85,*** nempe ***scientia, sive iudicium discretionis, quo quis intelligat, quid agat. Deinde requiritur aetas legitima nempe pubertatis, quae in masculo incipit post 14 annum, et foemina post 12, nisi malitia seu sagacitas naturae suppleat aetatem.*** Cui concinunt Barbosa in ***Cap. Puberes III De desp. Impuber, n. 3;*** Cuvarruvias ***De matrim, par. 2 cap. 5 n. 5;*** Gonzalez in ***Cap. Tibi non est consensus II de Desponsat. Impuber, n. 7 ;*** S. Tho-

mas ***lib. IV dist. XXXVI quaest. 1 art. 5;*** Sánchez post Glossam ***lib. VII de matrim, disp. IV n. 21 et 22,*** ubi dicit non sufficere parvam, sed ***maximam*** discretionem requiri.

At puellam in casu, licet esset duodecim annos et novem menses nata, et consequenter pubertatem a iure praescriptam iam esset consecuta, nihilominus ad discretionem sufficientem, ut se vinculo maritali obligaret, nondum pervenisse ex unanimi testium noviter adductorum iurata depositione dubio procul deduci.

Re sane vera omnes testes in id conspirare inquit, ut evincant actricem tempore celebrationis matrimonii cum Antonio fuisse puellam de rebus mundanis omnino ignaram, sine ulla malitia, puerilibus iocis unice intentam, nondum praeditam capacitate discernendi quid ageret, adeo ut fundatum praeberet dubium, quod in matrimonii celebratione nesciret sententiam ***affirmativam*** a ***negativa*** distinguere.

Hanc igitur puellam esse veluti manu ductam solo arbitrio suae matris, quae donis et promissis, uti neri solet cum parvulis, nondum discretione praeditis, curabat ut ipsa diceret ***utique*** vel ***minime,*** prout eidem matri placebat. Merito igitur iuratos testes unanimiter affirmasse, illud matrimonium non filiae, sed matris voluntatem contraxisse. Hinc totius Carpasii iram et detestationem contra matrem; hinc communem in illis oppidanis persuasionem, quod matrimonium fuerit nullum.

Neque obesse quod ius praesumat sufficientem discretionem in illa, quae ad pubertatem pervenit, et qucd in ea aetate validum noscatur ab Ecclesia matrimonium, respondet enim cum Gonzalez ***lib. IV decr. tit. 11 cap. Ubi non est consensus de Desp. Impub. n. 5,*** quod « licet aetas duode-
» cim et quatuordecim annorum communi et assiduo usu ad-
> missa sit ; tamen si in illa aetate inhabiles reperiantur ad
» contrahendum, non sustinetur matrimonium inter eos ce-
» lebratum; quia ea iii re semper veritas attenta fuit, non
» iuris praesumptio aut praescriptio. »

Quoad ***2.*** sustinet matrimonium nullo modo a sponso

consummatum fuisse ex defectu habilitatis ipsius actricis. Idque evinci non modo ex depositionibus actricis eiusque matris, sed etiam ex depositionibus in novo processu ab aliis testibus septimae manus prolatis, qui referunt se audivisse continuo et in diversis circumstantiis horum coniugum quaerelas, et spectatores fuisse irae et conviciorum viri in mulierem, quia non poterant consummare matrimonium, ex defectu puellae adhuc inhabilis ad virilem congressum, et pro certo tenent revera non fuisse consummatum matrimonium.

Quamobrem ad rem facere quod, post alios, tradit Cosci, *lib. III de sep. Tor. cap. 2 n. 254,* nempe « violentam » quoque praesumptionem praebet publica et communis vox » super non secuta consummatione, tam statim post matri- » monium apud omnes domesticos, quam successive per totum » oppidum seu civitatem; *cap. Illud quoque 11 de praesumpt.* » *Cap. Praeterea 27 de testib. Praesumptionem violentam* » *fama consentiens subministra t.* »

Cum igitur, ex testibus noviter adductis, coniunctis cum testibus primi processus, satis constet actricem tempore celebrationis sufficienti discretione, ad sese obligandam vinculo maritali, non fuisse praeditam; ideoque inhabilem ad praestandum consensum ad matrimonium ineundum necessarium, nam sine sufficienti discretione dari nequit consensus in matrimonium, Sánchez *loc. cit. n. 12:* concludit matrimonium cum Antonio initum nullum fuisse.

Cum autem actrix a sponso discesserit et ad civiles nuptias iam volaverit, ideoque nullum nunc adesse revalidationis matrimonii remedium, consultor autumat posse hanc nullitatem per oraculum SSmi D. N. publice declarari, et eo magis quia in probatis est matrimonium non fuisse consummatum.

NOVAE DEFENSORIS VINCULI ANIMADVERSIONES. Vinculi defensor praeprimis animadvertit, in novi processus tabulis nihil contineri quoad impedimenta *affinitatis ac vis et metus,,* et sacramenti vindicem neque iuramentum praestitisse, neque testium examini interfuisse, ideoque nova acta vitio nulli-

tatis contabescere, etsi a SSmo dispensatum sit super solemnitatibus *non substantialibus.*

Post haec ad Catharinae discretionem gradum faciens, in confessis esse perpendit, Catharinam, cum matrimonium celebravit, pubertatem iamdudum attigisse. Iamvero esse Sanchesii doctrinam *de matrim, lib.* ***7*** *disput.* ***103*** *n.* ***27*** quod « propinquitas pubertatis facit praesumere discretionem » sufficientem ad gravissimum ac perpetuum matrimonii vin- » culum ».

Neque audiendos esse testes, qui simplicitatem puellae amplificando, eam tardam ac hebetem conclamant. Quandoquidem in facto esse, Catharinam devitasse parochum suum quia matrimonio ineundo adversabatur; nunquam de matrimonio celebrando loquutam esse cum confessario, et quodam die tam Confessario, quam praesertim Stephano Scorella de matrimonio verba facientibus, tale responsum dedisse, quod nedum discretionem ad matrimonium rite celebrandum necessariam, verum etiam superabundantem malitiam in Catharina ostendit.

Nec omine meliori testes defectum discretionis in ipsa arguere ex membrorum dispositione, ex eo quod, ceu docet Sánchez *De matrim, lib.* ***7*** *disput.* ***104*** *n:* ***15,*** matrimonium consistere potest, etsi pubes necdum potentiam coeundi nactus sit, et a defectu huiusce potentiae ad defectum discretionis, seu vicissim, non tenet illatio, idem Sánchez *loc. cit. n.* ***27.***

Quo vero ad matrimonii inconsummationem, fidem haud praestandam esse Catharinae asserenti, potentia coeundi destitutam fuisse; veri enim haud simile est Antonium, iuvenem, ex unanimi testium confessione, in venerem more ferino praecipitem, *per biennium* cum trunco et inutili ligno condormiisse. Praesertim si perpendatur, quod Catharina, absente marito, in alterius viri, a quo prolem plus semel suscepit, amplexus venit.

Depositiones testium Catharinae inhabilitatem affirmantium, esse commenta ideo excogitata, quia Catharina persua-

sum habet, se perperam adversus matrimonium sine huiusmodi fabellis dimicare.

Profecto ipsam Catharinam, tempore non suspecto, vexationes omnes et coniugalis vitae dissociationem, haud impotentiae ad opus maritale, sed quaestionibus pecuniariis constanter adscripsisse.

Revelationes circa uxoris impotentiam a marito quibusdam testibus factas, quatenus in rerum natura existant, nihil ponere in esse, tum quia ***totum*** cohabitationis tempus haud complectuntur, tum quia homo perditissimus omnium -cum sit, haud fidem meretur. Res cum ita se habeant, omissa disputatione super causis ad dispensandum necessariis, responsum negativum ad utrumque dubium praestolatur.

Hisce itaque praehabitis, enodanda reproposita fuerunt

Dubia

I. ***An constet de matrimonii nullitate in casu.***

Et quatenus ***negative.***

II. ***An consulendum sit SSmo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati in casu.***

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re ad trutinam revocata, sub die 19 Maii 1888 censuit respondere: Ad 1. praevia sanatione actorum, ***affirmative.*** Ad 2. ***provisum.***

Ex QUIBUS COLLIGES. 1. Ex Benedictina Constitutione ***Dei Miseratione*** defensorem vinculi in quolibet actu iudiciali litandum esse; adesse oportere examini testium, voce et scriptis matrimonii validitatem tueri, nulla, irrita et cassa esse quaecumque, eo non legitime citato aut intimato, in iudicio peracta fuerint.

II. Et, iuxta instructionem Sacrae Congr. Concilii diei 22 Augusti 1840, absentes ad partis instantiam, vel ea silente, ad partem Defensoris vinculi examinandos esse ab Episcopo illius dioecesis in qua morantur, iuxta interrogatoria ab eodem Defensore conficienda, ac clausa et obsignata transmittenda, deputato ab eodem Episcopo altero idoneo viro, qui praestet requisitis a Bened. XIV praescriptis, quique

expleat munus Defensoris validitatis matrimonii et examini intersit.

III. Defensorem vinculi ex officio tradere interrogatoria clausa et obsignata Cancellario seu Notario aperienda, illo postulante, ex iudicis decreto in acta examinis, super quibus interrogandi sunt tam coniux instans pro nullitate matrimonii, quam alii de iure examinandi.

IV. Expleto examine, actorem et testes se subscribere debere et iuramentum emittere, quo confirmare debent se vera dixisse.

V. Ab ipso Defensore citandos esse coniuges, ut indicent septem sibi ipsis sanguine vel affinitate coniunctos, et in defectu istorum, septem vicinos.

VI. Et, si agatur de dispensatione matrimonii, interrogatoria instituenda esse tam super inconsummatione matrimonii, quam super causis dispensationis.

VII. Interdum a Sacratissimo Principe indultum fuisse, ut, pro inconsummationis probatione, informationes ***extraiudiciales*** admitterentur.

VIII. In contractibus matrimonii duo necessario requiri, scilicet scientiam, sive iudicium discretionis, quo quis intelligat, quid agat; et aetatem legitimam, nempe pubertatis, et hanc in masculo post 14 annum, in femina post 12 incipere, nisi malitia, sive sagacitas naturae suppleat aetatem.

IX. A iure praesumi sufficientem discretionem in illis, qui ad aetatem pubertatis pervenerunt, et validum matrimonium in illa aetate contractum, excepto tamen casu, quo inhabiles ad contrahendum reperiantur, quia ea in re semper veritas attenta est, non iuris praesumptio aut praescriptio.

X. Violentam praesumptionem praebere, publicam et communem vocem, super non secuta consummatione, tam statim post matrimonium apud omnes domesticos, quam successive per totum oppidum seu civitatem.

XI. Matrimonii contractum, propter vinculi indissolubilitatem, talem consensum requiri, qui uberior sit illo, quo alia pacta aliique contractus firmantur.

XII. Liberum consensum deesse , nedum ubi metus vel coactio intercedit, sed etiam ex defectu plenae evolutionis criterii.

XIII. Lacrymas, aversionem, lamentationem mulierum, •circa matrimonium vel contrahendum vel contractum, signa esse negativa consensus.

XIV. Impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractum inducitur, et matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum, qui in primo et secundo gradu coniunguntur, ex ***Sess. 24 de Ref. matrim, cap. 4,*** restringi.

XV. Ad dirimendum matrimonium, ob impedimentum affinitatis ex copula illicita ortum, non sufficere utriusque coniugis confessionem, sed necessario requiri, vel quod fuerit publicum ac notorium, vel quod illud comprobent idonei testes, qui rationabiles et fide dignas probationes faciant.

XVI. Plenam demonstrationem per testes impedimenti affinitatis difficilem evadere, eo quod non oscula, non tactus affinitatem gignunt, sed ea ex copula perfecta carnali exurgit; quae causa pudoris velamine occulta plerumque remanet.

XVII. Solam demonstrationem copulae illicitae per indicia nequaquam suffragari, quia suspicionem excitant, non certitudinem praebent. Verum moralem certitudinem tunc haberi, cum spontanea confessio reorum indiciis maxime concordat, praesertim si iureiurando reitatem confirmant.

XVIII. In themate matrimonium nullum declaratum fuisse videri, praesertim ex defectu sufficientis discretionis in actrice, seu ex defectu consensus ad sese vinculo maritali obligandum.

SQUILLACEN.

ERECTIONIS PAROECIAE

Die 19 Maii 1888.

Sess. 24 cap. 13 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Anno 1886 labente, Episcopus Squillacensis, preces transmittens incolarum et municipum loci Mongiana, referebat, hunc pagum paullatim efformatum fuisse et crevisse iuxta ferrariam fabricam ibi a gubernio pro re militari a saeculo circiter erectam: numerare in praesentiarum 1200 incolas; sed parocho proprio carere. Usque ad ultimos hosce annos capellanus militum, qui a gubernio illuc mittebatur ad spiritualem curam gerendam operariorum officinae, simul ab Episcopo delegabatur ad parochiale ministerium suscipiendum erga circumstantem plebem. Sed suspensa ab actuali gubernio capellani provisione, illuc ab Ordinario mitti consuevisse sacerdotem, qui ecclesiae curam haberet et populo sacramenta ministraret. Populum autem et municipes urgere, ut haec ecclesia erigatur in paroeciam et ipsi de perpetuo proprioque pastore provideantur. Sed obstare defectum congruae.

Episcopus vero autumare posse, ait, populum illum, etsi pauper sit, quotannis aliquid erogare favore sacerdotis, ab Ordinario constituti; quinimo Ecclesiam instauratam et decenter ornatam fuisse communi contributione.

Qua de re subsidia videntur non defutura. Syndicum quoque satagere, religioso studio, ut gubernium civile aliquid constituat favore huius ecclesiae. Ast gubernium respondere nihil se daturum, donec praedicta ecclesia erigatur in paroeciam.

Unde facultatem petebat Antistes paroeciam erigendi, hoc non obstante certae congruae defectu.

Sed visum fuit in incertum rem non debere committi, et ideo rescriptum fuit: ***Relatum.***

At hisce diebus municipii praesides, universumque con-

siliuni, imo et complures incolae ad S. C. O. denuo instantiam pro gratiae concessione fecerunt.

Disceptatio Synoptica

GRATIA DENEGANDA VIDETUR. Porro audiendus certe erat parochus illius territorii in quo pagus Mongiana surrexit, quique ex dismembratione detrimentum aliquod, saltem quoad extensionem iurisdictionis pateretur. Id sane consentaneum aequitati fuisset, et regulae iuris ***29 in VI*** iuncta ***Clem. 1 §. ad haec Be stat. monach,*** cum DD. Reiffenstuel ***ad lib. 8 tit. 12 n. 72*** aliisque et ordinaria S. C. C. praxi.

Sed, praeter hanc difficultatem, contra gratiae concessionem, militat quoque defectus certae congruae. Hac enim deficiente, parochiam non debere constitui, praeter ius positivum ipsa iustitia et aequitas naturalis absolute exigit. Qui enim altari inservit de altari vivere debet, et nemo militat suis stipendiis ; sed quisquis, ex opera quam navat, honestam compensationem, ex qua vivere possit, iustissime exquirit. Unde officia erigere aut ministros ad laborandum mittere absque convenienti certoque stipendio, neque congruum neque expediens est. Sicut etiam positive constituitur in ***cap. Extirpandae 39 De praebenda Conc. Trident, sess. 21 pag. 4*** et in ***const. s. Pii V. Ad exequendum.***

Porro congrua curatis debita, generaliter loquendo, taxatur in scutis 100 non solum ab ipso Tridentino ***sess. 24 cap. 13 De reform,*** sed etiam a s. Pio V. ***cit. const.*** et Rota ***par. 18 tom. 1 decis. 374 n. 1 Recent,*** cum communi. At licet haec taxatio non sit absoluta, neque in hac materia certa regula assignari possit, sed iudicis arbitrium potissimum praevaleat ; attamen id quod lex et naturalis et positiva absolute vult, est, quod haec qualiscumque congrua sufficiens ad honeste vivendum et certa sit.

Porro in themate hoc reperiri non datur. Siquidem subsidium quod in praesentiarum municipium rectori tribuit, et tenue est, nempe 300 circiter libellarum, et incertum, nam

illud facillime suspendere poterit, aut forte etiam debebit eius loco subrogando subsidium, quod ex administratione fundorum cultus obtinere sperat, erecta semel paroecia; nam municipium in arcta versatur conditione oeconomica.

GRATIA INDULGENDA VIDETUR. At ex altera parte sedulam considerationem merentur haec, quae municipes S. C. C. conscribunt-

In hoc municipio unam esse esclesiam, extructam pro militibus et addictis fabricae ferrariae a praeterito gubernio ; a quo deputabatur capellanus, qui vices gerens capellani militaris, cum dependentia a capellano exercituum maiori, quoad vero res religiosas pro fidelibus ibi collectis, sub Ordinarii iurisdictione permanebat.

Anno autem 1865, novum gubernium, divendita fabrica ferraría, suppressit regiam cappellani; ecclesia tamen carens omni dote, et in proprietatem transiens municipii, voluit consulere spiritualibus populi illius necessitatibus, sub Episcopi iurisdictione. Municipium nunc solvit favore huius ecclesiae libellas annuas 390, diribendas in varios titulos ; sed iam petiit a gubernio, ut subingrediatur in hoc onere, ut par est; et gubernium adpromisisse subsidium, si dicta ecclesia ab auctoritate ecclesiastica erigatur in paroeciam. Quod enixis precibus expetierunt municipes, ut bono spirituali 1400 fidelium consuli congrue possit.

Quibus stantibus, non videntur peremptorii valoris esse obiectiones contra gratiae concessionem promotae. Non prima, circa defectum consensus parochi territorii, ubi nova cura erigi postulatur. Etenim nihil detrimenti ex hoc facto sentire poterit territorii parochus : non detrimentum iurisdictionis; nam iurisdictio in eo pago limitrophus parochus non videtur unquam exercuisse ; cum usque in praesens capellanus militum de mandato capellani maioris, regeret animas in officina ferraría degentes, et ex delegatione Episcopi familias circum iacentes ; hodie vero rector ecclesiae illuc ab Episcopo directe mittitur. Non damnum materiale; quia beneficium hoc parochiale nihil unquam contribuii, neque a

principio cum ecclesia Mongiannensis est erecta, ñeque hodie cum in parochialem erigi postulatur.

Porro dismembratio, odiosa potissimum est, si fiat de beneficio seu de bonis beneficiariis ; nam per hoc veteris beneficii status laeditur, et media honestae substentationis antiquo parocho minuuntur; sed divisio solius iurisdictionis seu territorii plerumque et in themate potissimum, nullimode laedit oeconomicum statum veteris beneficii, sed ad summum ambitionem offendere potest illius, cuius iurisdictio coarctatur.

Quod tamen respici non debet in comparatione cum bono animarum ex divisione iurisdictionis manante; neque applicari potest ad praesentem casum; quia iurisdictio iam de facto divisa, iuxta dicta superius, reperiebatur.

Quod autem in dismembratione paroeciae sedulo distinguendi sint duo casus superius recensiti, divisionis nempe beneficii et territorii et prior sit potissimum odiosa, minus vel altera, eruitur ex Torricelli ***De anión, benef, quaest. 882 n. 2; cap. 33 De praebent.*** S. C. C. 23 Aug. 1755 Pallottini ***t. 28 n. 33;*** Garcia ***12, IL 113;*** Leurenius ***3,909,1,*** et apud Acta S. Sedis ***t. 10 p. 269.***

Quapropter ex hisce omnibus omissio auditionis parochi territorii officere non videtur.

Sed neque incerta aut insufficiens oblata congrua absolute est aestimanda. Etenim licet congrua a Tridentino et ***const. Ad exequendam*** taxata dicatur in 100 scutis; haec mensura certa non est. Imo in ***const. Ad exequendam*** verius ac praecisas praescribitur, ut congrua non debeat ordinario taxari maior scutis 100, nec minor scutis 50. Et in Tridentino congrua parochorum proprie non definitur; sed tantummodo vetatur ne pensionibus graventur paroeciales, quae summam ducatorum 100 non excedunt.

Quapropter congrua parochorum quota esse debeat, non est definitum ; sed tantummodo lex vult, ut sit certa ac sufficiens, prout passim tenuit Rota, ceu videre est ***part. O decis. 230 n. 2 Recent,*** et DD. apud Ferraris ***t. Congrua art. 2.***

At in themate quod congrua sit certa probatur ex citata resolutione municipali, ubi dicitur municipium vi regii decreti ad solvendum quotannis subsidium 400 circiter libellarum, partim pro cultu, partim pro ecclesiae Rectore adigi. Et licet municipes hoc onus refundere curent in publicam administrationem fundorum cultus, attamen dubitandum non videtur, quod municipii praestatio cesset, quia alia succédât.

Quod autem congrua sufficiens habeatur hoc altero argumento confici posse videtur. Etenim licet non amplietur subsidium quod hodie tribuitur, nihilominus cum ex eo vixerit et adhuc vivat ecclesiae rector, vivere pariter posse parochum non est dubium. Eo vel magis quod speretur ex erectione paroeciae meliorem fieri posse oeconomicam ecclesiae eiusque curatoris conditionem.

Quibus omnibus praeiactis, propositum fuit enodandum

Dubium

An sit locus canonicae erectioni paroeciae in casu.

RESOLUTIO. Sacra C C . re cognita sub die 19 Maii 1888, censuit respondere : *Affirmative, audito capitulo et de consensu Parochi, constituta stabili congrua, infra triennium.* (1)

AGRIGENTINA

ALIENATIONIS

Die 19 Maii 1888.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Fratres Bona e Caltabellotta Dioecesis agrigentinae facultatem a S. C. C. petierant emendi a quo-

(1) **Recole Vol. I, 520, et 543 ; Vol. III, 398 ; Vol. XII, 287; Vol. XIII, 60, et 293. Pag. vero 299 istius Vol. XIII adest Appendix VI *Be potestate Ordinariorum, deque iurisprudentia quoad paroeciarum dismembrationem.* Recole quoque Vol. XVIII, 315. Citata loca nos excusant ad aliquid addendum in casu praesenti.**

dam eorum debitore, nomine Platania, fundum spectantem ad coenobium monialium s. Mariae de Itria; quem fundum, 31 ectaras extensum, idem Platania a demanio in emphytheusim primum acceperat per annuum canonem 449 libellarum, quemque dein redemerat soluto pretio 8742 libellarum.

Remissis precibus ad Episcopum, ut votum suum hac in re panderet, audiret moniales, et magis praecise referret de reali enunciati fundi valore et oneribus, interim accidit, ut fratres oratores contractum emptionis inire cum Platania debuerint, ne fundum et forte etiam creditum suum amitterent; quippe quia Platania in eo erat ut aliis emptoribus enunciatum fundum cederet. Qua de causa fratres Bona in novis precibus absolutionem quoque ab hac illicita emptione oraverunt.

Respondens autem Episcopus, retulit, realem fundi valorem iuxta Vicarii foranei aestimationem conscendere ad 174Ö0 libellas : fundum nullo onere de vinci : primum emptorem, Platania, qui fìsci officialem agebat, absque ulla venia praedium illud accepisse et retinuisse, nec quidquam unquam monialibus in compensationem solvisse, licet adeo minoris, idest ferme dimidio pretio, fundum emerit: moniales vero non fuisse auditas, nec eas audiri expedire, quoniam et redactae sunt ad parvum numerum, et consensum certe non praestarent, putantes quod alienati fundi, probabiliter ad easdem redirent, quatenus consensum denegarent. Quoad vero fratres Bona, eos Episcopus dicit dispositos, qua bonos catholicos ad excipiendam quamlibet Apostolicae Sedis dispositionem, una excepta; solvendi scilicet quidquid primi acquirentes solvere debuissent. Atque in alia epistola subiungit, eosdem oratores, licet dictum praedium acquisierint pro reali pretio, neque ullum fecerint lucrum, nihilo minus paratos esse ad solvendam, titulo compositionis, favore monasterii, 25 libellas pro quibuslibet centenis a Platania solutis, quando fundum redemit.

Disceptatio Synoptica.

Animadversum fuit quod 25 pars pro centenis in 8700 libellis, quo pretio Platania fundum a fisco redemit, sunt circiter 2200 libellae; quae summa est profecto spectabilis si praesertim attendatur, quod eadem dicitur offerri ***titulo compositionis,*** quoniam absque lucro et ex iusto pretio fundum oratores emerunt.

Quo stante, criminosae spoliationis monialium reum praeprimis erit gubernium, quod bona occupavit, et dein primus ille emptor Platania, qui bona monasterii dimidio pretio emit, et nihil ecclesiae restituit. Oratores autem, licet sub aliquo respectu excusationem mereantur, coarguendi unice erunt, quia, absque praevia licentia, bona illa retinuerunt, et ideo subsequenter et quasi indirecte ad spolium participaverunt. Porro ad hanc culpam purgandam sufficiens videtur, quam faciunt, oblatio.

Vicissim vero considerari oportet, fratres Bona non exposuisse quonam praecise pretio praedium a Platania consequuti sint : et licet dixerint id contigisse absque lucro et ex iusto pretio, attamen huiusmodi expressiones rigorosae non sunt, et possunt lato loquendi modo esse prolatas, et deceptionem celare. Grave etiam est quod moniales non fuerint auditae.

Quibus praenotatis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re cognita sub die 19 Maii 1888, censuit respondere: ***Persoluta proposita stemma, caute et utiliter investiendà favore monialium, pro gratia absolutionis a censuris etc. ad cautelam; nec non sanationis enunciatae venditionis, monito venditore, ut consulat conscientiae suae; facto verbo cum SSñio.***

FODIANA

DISPENSATIONIS A MISSA PRO POPULO

Die 28 Aprilis 1888.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Anno 1883, Episcopo et capitulo consentientibus, sancitum et a S. C. C. probatum fuit, ut summa quaedam, quae a municipio Fodiano quotannis solvebatur pro parocho cathedralis, sub nomine ***supplemento di congrua,*** distraheretur et assignaretur favore novae cuiusdam paroeciae in civitate erigendae; vicissim vero cura paroeciae cathedralis a prima capituli dignitate seiuncta, simplici canonicatui primum vacaturo uniretur, qui curam exercere deberet sola sua praebenda et incertis stolae contentus.

Notandum vero quod huius cathedralis praebendae omnes aequales sunt et attingunt 1020 libellas: paroecia autem cathedralis 10 millia animarum numerat.

Porro eo tempore quo conventio anni 1883 rogata fuit, nullus simplex canonicatus vacans extabat; ideoque, canonicis et Episcopo consentientibus, conventum est, ut cura provisorie cuidam committere tur, qui eam acceptaret; et is fuit canonicus poenitentiarius Altamura, qui ab eo die usque in praesens animarum ministerium obi vit. Capitulum autem et Episcopus ideo etiam in poenitentiarii personam conveverunt, ut ipsi dicunt, ne scilicet plures fierent, qui discedendi a choro ius et officium haberent.

Verumtamen, hisce postremis mensibus, canonicus Altamura recurrit ut a missa ***pro populo*** dispensetur.

Disceptatio Synoptica.

PRECES EXCIPIENDAE VIDENTUR. Rationes, quas ad id allegat canonicus hae sunt, quod scilicet paroeciales proventus, ad sola incerta stolae restricti, ob temporum vices, licet paroecia numerosa sit, tenues sunt; et vicissim is debet duos coadiutores tenere , quorum alter a municipio non percipit nisi septemdecim menstruas libellas.

Accedit quod orator ad turnum missae conventualis tenetur: quapropter ex suscepto curae ministerio laborem et difficultates sibi auxisse, nullumque commondum, sed potius gravamen obtinuisse videtur. Atqui nemini officium suum debet esse damnosum.

Nec dubitare licet quod in peculiaribus casibus pro re ac tempore, aliqua praefatae obligationis remissio parochis tribui possit, veluti recolitur in ***Spiren. diei 18 Februarii 1865 per sum. prec.***

Potissimum si Episcopi et capituli votum, veluti in themate, accedat. Nam Episcopus aequum omnino et iustum iudicat, poenitentiarium onere missae pro populo, omnibus attentis, non gravari: capitulum vero ulterius hanc dispensationem vel in perpetuum concedendam censet: quod tamen Ordinarius non admittit: quia cum canonicatus parochialis constituetur, qui eum, licet hoc onere gravatum, suscipiet, facto suo a querimoniis movendis excludetur.

PRECES RESPUENDAE VIDENTUR. At ex altera parte urget lex applicandi missam pro populo, « cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his ***sacrificium offerre*** etc. » Trid. ***sess. 23 cap. 1 de reform.*** Quae lex a ss. Pontificibus Benedicto XIV in Const. ***Cum semper oblatas*** diei 19 Augusti 1744 et a Pio IX in Const. ***Cum amantissimi Redemptoris*** diei 3 Maii 1858 explicata et firmata, in viridi observantia ubique est; quaeque ideo non potest, nisi ex gravissima causa, vulnerari aut dispensari.

Quibus animadversis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re discussa, sub die 28 Aprilis 1888 censuit respondere: Pro ***gratia dispensationis pro diebus festis suppressis tantum, donec aliter beneficium parochiale provideatur.***

EX S. CONG. INDULGENTIARUM

SEBENICENSIS

De Indulgentiis adnexis recitationi Parvi officii B. Mariae Virginis.

Postquam SSmus Dnus Noster Leo Papa XIII ex Decreto *Urbis* **et** *Orbis,* **per hanc S. Congñem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam edito sub die 17 Novembris 1887, ad ferventiorem in Christiano populo fovendam pietatem ac devotionem erga Emam Virginem, praeter illas iam concessas a S. Pio V. alias impertitus est Indulgentias Christifidelibus recitantibus parvum officium B. M. Virginis, uti illud prostat in Breviario Romano ab eodem S. Pio V recognito et approbato, huic S. Congni sequentia dubia dirimenda proposita fuerunt:**

I. *An Christifideles recitantes officium parvum B. M. Virginis, quod est precatio stricto sensu liturgica, in quodvis vulgare idioma versum, etiam cum approbatione ordinariorum, lucrentur Indulgentias a Summis Pontificibus adnexas recitationi eiusdem parvi Officii, uti innuere videntur plura decreta S. Congnis Indulgentiarum, et illa praesertim edita sub die 30 Aprilis 1852, et sub die 29 Decembris 1864?*

Et quatenus negative:

II. *An expediat, praefatas Indulgentias extendere etiam ad recitationem eiusdem parvi Officii in quodcumque vulgare idioma versi?*

Porro s. Congregatio, re mature perpensa, auditoque unius ex consultoribus voto, rescribendum censuit :

Negative ad utrumque.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congñis die 13 Septembris 1888.

SERAPHINUS CARD. VANNUTELLI *Praefectus*

L. S S.

ALEXANDER **Episcopus Oensis** *Secretarius.*

DUBIORUM

De iniuncta opere orandi ad intentionem Summi Pontificis pro lucrandis Indulgentiis.

Quum inter pia opera, quae ad lucrandas Indulgentias praescribuntur, fere semper iniungatur aliqua oratio ad mentem seu intentionem Summi Pontificis effundenda, bine sequentium dubiorum solutio ab hac Sacra Congregatione Indulgentiarum et SS. Reliquiarum humiliter expostulatur:

I. *Cum ad lucrandas Indulgentias, sive plenarias, sive partiales, praescribitur ad mentem seu intentionem Summi Pontificis orare, sufficitne, ut nonnulli docent, orare mentaliterì*

Et quatenus negative

II. *An sit reiicienda opinio docens recitationem devotissimam etiam unius* **Pater** *et* **Ave** *cum* **Grloria Patri** *sufficere ad explendam conditionem orandi pro summi Pontificis intentione, vel potius admittenda opinio illorum qui requirunt recitationem quinque* **Pater** *et* **Ave,** *aut orationes aequivalentes?*

Quibus dubiis Sacra Congregatio rescripsit:

Ad I. — *Laudabile quidem est mentaliter orare, orationi tamen mentali aliqua semper adiungatur oratio vocalis.*

Ad II. — *Detur Decretum in una Briocensi sub die 29 Maii 1841 ad dubium III,* **(1)**

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 13 Septembris 1881.

SERAPHINUS CARD. VANNUTELLI *Praefectus*

L. * S.

ALEXANDER Episcopus Oensis *Secretarius.*

(1) ***Briocen.*** **29 Maii 1841.**

Dubium III. **An sufficiant quinque Pater et Ave, quae recitari solent ob adimplendam summi Pontificis intentionem, quando praescriptum est ut visitetur Ecclesia vel altare, ibique fundantur preces, quemadmodum ex. gr. pro lucranda Indulgentia plenaria praescriptum est associatio operis Propagationis Fidei?**

*I.iespon. a.d III. Preces requisita**e** in Indulgentiarum concessionibus ad adimplendaiii summi Pontificis intentionem, sunt ad uniuscuiusque fidelis libitum, nisi 'peculiariter assignentur.*

MOTU PROPRIO Sanctissimus D. N. Leo XIII leges constituit novas pro ordinanda Bibliotheca vaticana et officia eorum, qui eidem praesunt vel ministrant.

Augustum sanctissimumque munus, quo romani Pontifices funguntur, maxime postulare ab iis videbatur, ut, quanto plura possent, monumenta litterarum colligerent, in quibus essent varii ingeniorum velut descripti cursus et a quibus praeteritorum temporum sapientia ac multiplicis eruditionis documenta, tamquam e perenni fonte, peti possent. Itaque peropportune providentissimeque decessores Nostri Bibliothecam in ipsis aedibus pontificalibus suo et Apostolicae Sedis paratam usui, exquisitis omnium disciplinarum voluminibus magno studio et ingenti sumptu locupletandam curaverunt. Pari consilio, nimirum ut ex tanta librorum suppellectile maiores usque in Ecclesiae commoda fructus caperentur, Nos quidem vel ab ipsis Pontificatus exordiis cogitationes cürasque Nostras in Bibliothecam vaticanam contulimus. Cumque Nob'is gnarum esset, scite graviterque plura statuta fuisse ad illius tutelam ornatumque a praedecessoribus Nostris inclytae recordationis Xistb V, Clemente XII, Benedicto XIV, Clemente XIII et Pio IX, eorum ingressi vestigia, cavimus ut ea servarentur: et per constitutionem Nostram motu proprio editam quinto Idus Septembres- anno 1878 normas praescripsimus, quibus custodiae decorique eius plenius prospectum fuit, aucto officiorum numero, dataque scientiae cupidis copia commodius eam adeundi celebrandique. Nihilosecius resedit in animo Nostro cupido maius aliquid praestandi, quod honori esset Ecclesiae, sanaeque doctrinae utilitati et incremento, scilicet Nos haud latebat, ferri passim nostra aetate homines studio infiammato ad historicas disquisitiones, ac pervestigandas intimas rerum gestarum causas, eoque studio abuti religionis hostes ut offundant lumini historiae tenebras, eamve mendacio contaminent, ut fallacibus fabulis adiiciant fidem, demum ut calumnias insontibus inferant, virosque omnem promeritos posteritatis laudem in contemptum et invidiam adducant. Sane ad has fraudes evertendas nihil aptius ac validius est, quam in aprico posita factorum veritas, ineluctabilibus testata monumentis litterarum et artium. Quum ingens eorum copia suppetat in Vaticana Bibliotheca, merito censuimus eo clarius lumen firmiusque praesidium ex illa peti posse ad tuendam rem catholicam, ad profligandos errores, quo largius instrueretur

subsidiis omnibus ac ministeriis, quibus efficitur nequid inconditum aut incompositum in ea sit, atque eruditis maximae praebentur opportunitates , quo facilior sit thesaurorum id genus exploratio.

Quum itaque id animo intenderemus, novas statuimus iubere leges de ordinanda Bibliotheca, deque officiis eorum qui ei praesunt vel ministrant, easque complexi Constitutione Nostra Motu proprio edita die 20 Kalendas Aprilis anno 1885 servari ad tempus praecepimus experiendi causa. Iamvero triennium et amplius periculo facto, multa ex iis probavit experientia, nonnulla immutari suasit. Quibus sic uti opus erat emendatis, memoratas leges confirmamus et sancimus Pontificia auctoritate Nostra, vimque legis perpetuae obtinere iubemus ex die ipsa his Litteris Nostris adscripta.

Decernimus autem et expresse declaramus praesentes Litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, quamvis non fuerint exhibitae, vel regestis exceptae in actis Camerae , aliisve Officii Apostolici; non obstante Pii IV Constitutione *de non registrandis,* **aliisque contrariis quibuscumque. Volumus insuper earumdem Litterarum triplex exemplar fieri, quorum alterum custodiri iubemus in Archivio Abbreviato ris Nostri de Curia, alterum in tabulario Praefecturae Pontificalis Domus, tertium in peculiari Grrammatophylacio Bibliothecae vaticanae. Committimus autem Cardinali S. R. E. Bibliothecam, et mandamus omnibus qui in Vaticana Bibliotheca officia gerunt, ut praedictis legibus pro sua quisque parte fideliter pareant, easque sedulo curent servari v Ceterum Nobis tantum et Nostris Successoribus** *pro tempore* **specialiter et directe facultatem reservamus subrogandi derogandique iis legibus si quid eiusmodi varia temporum ratio, rerumve adiuncta postulaverint; nec non facultatem dirimendi dubitationes omnes et difficultates, quas circa earum significationem vel usum, quum factis aptantur, suboriri contigerit.**

Datum Romae apud Sanctum Petrum die 1 Octobris an. 1888, Pontificatus Nostri Undecimo.

LEO PP. XIII.

LITTERAE Sanctissimi D. N. Leonis XIII ad Eminentissimum Cardinalem Lavigerie, Archiepiscopum carthaginensem et algeriensem, quibus eidem assignat argenteos itálicos nummos *ad tenentium millia,* diribendos in comitatus abolendae Afrorum servituti.

LEO PP. XIII

Dilecte Fili noster, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Opus tibi sane magnum et arduum, urgente Nos caritate mandavimus: scilicet ut omnia fidenter experiri, quaecumque in tua essent potestate, velles, ad prohibendam tot miserorum in Africa servitutem. — Quod tamen ita suscepisti libens, ut facile appa-ret, qualem animum, ubi salus hominum agitur, quamque excelsum geras. Nunc vero ex litteris tuis intelleximus, et alacriorem te et ardentiorem ea in re quotidie fieri, ut vel summos pro eadem labores non modo non recusare, sed appetere etiam ac deposcere videaris; propterea que non» possumus, aut etiam non debemus continere Nos, quin his apud te litteris testemur, probari Nobis vehementer coeptus istos tuos, in quibus ipsis pro merito commendandis haud segnes extitisse Episcopos, et scimus et laetamur. Ceterum eum tibi optamus precamurque exitum, quem par est in caussa tam nobili bonaque consequi, — Atque initia quidem satis iubent confidere, si Deo placet, de reliquis. Consentiunt enim summi Europae Principes, quod anno 1878 in conventu Berolinensi spo-ponderant, obviam animosius eundum tam ingenti malo — In privatis autem hominibus videmus plurimorum misericordiam litteris abs te ac sermone commotam: idque, ut epistola tua confirmat, non modo apud magnanimum genus cives tuos, sed etiam apud Belgas in alienarum solatia calamitatum et ipsos natura paratissimos; et apud Britannos de mancipiis Aethiopum diu multumque méritos et apud catholicos e Germania, de quorum pietate, quemadmodum etiam de Lusitanorum, nihil est tam magnum quod non iure expectemus.- Pari autem propensione voluntatis et Italos et Hispanos fautores operis audiutoresque futuros, nullo pacto ambigimus. Si servitutis Afrorum indignissimae teterrimaeque plenior aliquanto cognitio continuo inflammavit animos, et ad quaerenda remedia fecit alacres humanitatis simul caritatisque christianae sensibus magnopere excitatis, non inepte coniicimus, quantum ex Europa approbationis gratiaeque hactenus impetravisti, tantumdem operae ac

liberalitatis te posthac impetraturum — Itaque non hortabimur te, neque enim hortatione indiget tam actuosa virtus, sed potius gratulabimur, quod pergas isto animo constantiaque, Deo auspice, coepta persequi. Certe nuspiam episcopalem caritatem tuam utilius collocaveris, nec ulla propemodum re merueris de christiano nomine melius. Est enim cunctorum aeque hominum, non minus christiano quam naturali iure, sancita libertas : Ecclesiamque si qui criminantur aut ullo tempore fuisse servituti conniventem, aut non satis de eadem tollenda laboravisse, ii nec gratos se, nec gnaros rerum probant, cum luculenter historia loquatur quid hanc ad rem viri apostolici in ipsa Africa, quid ex Urbe Roma, principe catholici orbis, summi Pontifices praestiterint. Tu vero ne dubites quin rebus omnibus, quibus possumus, consilia Nos industriam que tuam simus adiuturi. Cuius voluntatis Nostrae quasi pignus habeto argenteos itálicos nummos *ad ter centum millia:* **quam tibi summam perlibentes destinamus, ut in collegia, seu** *comitatus* **abolendae Afrorum servituti institutos, opportune cures partiendam. Nihil profecto optatius esse Nobis potest, quam ferre opem hominibus tam inhumane vexatis: ipsosque ex omni gente catholicos, quorum eximia erga Nos, hoc nominatim anno, liberalitas extitit, nosse iuverit, munificentiae suae fructus huc etiam adhibitos, nimirum ad propulsandas tam immanes iniurias, tuendam que in tot fratribus nostris humanae personae dignitatem. — Macte animo dilecte Fili Noster, spemque maximam in parente ac servatore cunctorum hominum Deo repone : cuius munerum auspicem paternaeque Nostrae benevolentiae testem tibi et clero populoque tuo universo apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.**

Datum Romae apud Sanctum Petrum die 27 Octobris An. 1888 Pontificatus Nostri Undecimo.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

MELEVITANA

LAOERATIONIS NIHIL TRANSEAT

Die 19 Maii 1888.

Sess. 21 cap. 3 de Reform.

COMPENDIUM FACTI. Rescripto diei 22 Novembris 1886, administrator apostolicus melevitanus, preces excipiens cuiusdam clerici Francisci Galea, ipsum nominavit oeconomum beneficii a Ioanne Carolo Carbum erecti, et ab anno 1835 vacantis, ad effectum inveniendi patrimonium eiusdem beneficii, quod deperditum asserebatur. Verum, ignorans agi de uno eodemque beneficio, idipsum concessit sub die 26 Novembris eiusdem anni sacerdoti Paulo Micaleff, qui in suis precibus omittens nomen fundatoris, nomen posuit beneficii ***ta Cola*** sive ***tas Hemmes,*** qui a clerico Galea reticitus fuerat. Scopus utriusque in oeconomi nominatione petenda erat, ut ita electi possent beneficii dotem investigare, et litteras commendatitias Ordinarii apud S. Sedem, cui collatio devoluta erat, obtinere.

interim Episcopi cancellarius volens litteras pro beneficii collatione ad apostolicam Datari am conscribere animadvertens nomen beneficii aliaque in precibus clerici Galea deficere, ipsum accersivit, ab eoque tunc cognovit agi de eodem beneficio ***ta Cola*** sive ***tas Hemmes.*** Rebus administratori relatis, hic, plura perpendens, litteras commendatitias favore Francisci Galea exarari mandavit. Verum sacerdos Micaleff apud apostolicam Datariam ***nihil transeat*** apposuit contra clerici Galea institutionem. Attamen, audito Episcopo, Emus Prodatarius ***nihil transeat*** lacerali indixit, atque bullas expediri, quibus beneficium praedictum clerico Galea conferebatur. Quod et factum est die 23 Martii 1887.

Haec aegre tulit sacerdos Micaleff, .qui apud S. C. C. institit, quaerens rem iuridica pertractari. Tunc, suspensa interim immissione in beneficii possessionem, et exquisitis partibus ad* iura sua deducenda, causa sub dubio in calce posito discutienda proposita fuit.

Disceptatio Synoptica.

IURA SACERDOTIS MICALEFF. Contendit hic sibi quasi ius inesse ad huiusmodi beneficium obtinendum, vel saltem hoc ab aequitate postulari. Dicit enim se et non alium plurimo labore et suis impendiis invenisse bona beneficii ***ta Cola*** sive ***tas Hemmes,*** quae a pluribus annis deperdita erant. Si autem preces Episcopo prius oblatae sunt a clerico Galea, hoc unice evenit, quia sacerdos Micaleff proditus est a quodam Francisco Xaverio Saré, quem socium ad investigationes faciendas assumpserat, nesciens illum et pro alio eodem tempore idem munus exercere. Ut enim Sarè cognovit sacerdotem Micaleff bona beneficii reperdisse de hoc clericum Galea admonuit, qui illico se in oeconomum eligi ab Episcopo flagitavit. Ad haec probanda afferuntur nonnullae depositiones apud publicum notarium factae. Ex harum prima desumitur, Franciscum Xaverium Sarò coram testibus declarasse, se nihil invenire de bonis beneficialibus potuisse ac omnia a Micaleff fuisse peracta. In reliquis duobus historia inventionis ita narratur, ut videatur possibilitas excludi, quod sacerdotem Micaleff praecesserit alter. Unde sibi, concludit, tribuendum esse, si bona deperdita et beneficium Ecclesiae vindicari potuit. Quare ipse qua novus fundator beneficii habendus est, atque proinde si non de iuris rigore, saltem ex aequitate in ipsius assecutione praeferendus videtur.

Quocirca ille retinet quod si supremus princeps haec omnia agnovisset probabilius favore clerici Galea gratiam non obsignasset. Eo vel magis quod huius preces suffultae Episcopi commendatione, obreptitiae et subreptitiae apparent. Relatum enim est clericum Galea inventorem fuisse deperditae dotis beneficii ***ta Cola*** sive ***tas Hemmes,*** quod nedum

ex dictis veritati haud consonum apparet, verum etiam ex eo quod Galea in precibus Episcopo porrectis beneficii nomen aliaque indicia minime potuerit indigitare.

Neque pariter verum est aliud, quod apostolicae Datariae Episcopus scripsit, nempe sacerdotem Micaleff praeter beneficia *ta Fula* et *ta Gliallis* Melitae possessa et complexive reddentia 294 libellas, obtinuisse in insula Gaudisiensi, vel ibi facile esse obtenturum, tria alia beneficia, nempe, *Ta Canna, lias-et-Bajada* et *B Galen ta Xiara.* Etenim exhibetur ad ada testimonium Vicarii generalis Gaudisiensis, qui expresse fatetur beneficium *Ta C añila* et aliud *Meida-ta Ras-et-B ajada,* nequaquam a sacerdote Micaleff possideri ; pro alio beneficio *II Galen ta Xiara* obtinuisse quidem apostolicas bullas, sed in ipsius possessionem venire haud potuisse, cum in curia civili causa quadam ceciderit. Quoad autem beneficium *Ta Fula,* allata fide coloni, dicit ex redditu huic proprio libell. 54 erui debere onera sex missarum et vectigalium. Beneficium demum *ta Gliallis* nondum possidere cum adhuc dos recuperata minime fuerit ; at praeterea huius redditus consistunt in censu trium scutatorum melitensium, quae libellis septem cum dimidio exaequant, uti videre est in tabulis fundationis, quae prolatae fuerunt.

Cum autem haec omnia rerum statum valde immutent, iam dubium exurgere potest, quod si summus Pontifex haec omnia scivisset, beneficium clerico Galea minime concessisset. Assertio enim quae sacerdoti Micaleff possessionem quinque beneficiorum tribuebat, causa motiva esse potuit ad beneficium *ta Cola* sive *tes Hemmes* ei denegandum. Iamvero DD. docent gratiam ita concessam posse de obreptione et subreptione redargui, uti videre est apud Pitonium *disc. 27 et alibi.* De Luca *De regat. disc. 4 Be regular, disc. 6 Misceli, disc. 4 num. 10.*

Nec plurimum insistendum est in eo quod Dataria apostolica appositum *nihil transeat* laceran mandavit, nam scitissimum est Datariam esse tribunal gratiosum potius quam contentiosum, ut ait De Luca *Relat. Rom. Cur. disc. 9*

n. SI ac proinde eius decisionem qua iuridicam normam haberi non posse.

IURA CLERICI GALEA. Verum ex alia parte petitur ut beneficii possessio clerico Galea ulterius non retardetur; nam quocumque aspectu res observentur, nullum sacerdotis Micaleff ius ad beneficium apparet. Clericus enim Galea primus in curia preces retulit, et, ut scribit Episcopus, hoc factum est die 12 Novembris, quo tempore ipse rusticabatur, uti correctio apposita in dicta gratia clare ostendit. Ea autem omnia quae a Paulo Micaleff ad eius prioritatem evincendam afferuntur, iactum nullimode destruunt. Praeterea habetur depositio iurata Francisci Xaverii h'arè, qui cum dotem beneficii *ta Cola* simul cum Micaleff inquireret, rescivit a colono illorum bonorum detentore, quod ante ipsos quidam clericus eodem scopo illuc advenerat, nec depositio coloni deficit, qui eadem confirmat. Factum autem quod a Micaleff narratur circa Francisci Xaverii Sarò excludi ex eo, quod quidam Paulus Busuttil deponit, se ex mandato patris clerici Galea investigationes de beneficio peregisse ac dotem invenisse. Unde videtur praetensum ius alterius partis minime probari et esse locum principio, *prior in tempore potior in iare,* uti Ordinarius Emo Pro-datario significabat.

Ad quaerelas excludendas sacerdotis Micaleff opportune facit quod Episcopus refert : ait enim dictum Sacerdotem esse beneficiorum venatorem: constat insuper, quod Sacerdos Micaleff, praeter familiae patrimonium duobus investitus sit beneficiis hac in Dioecesi, et in limitrofa Dioecesi Gaudisien, sit renunciatus oeconomus alterius beneficii pro reperiendis bonis, dotem constituentibus, ut tandem in eodem institui valeat.

Quoad alia beneficia dicit Praesul, ob temporis defectum res in claro ponere haud potuisse, putat tamen ea quae retulit sufficere ad sacerdotis Micaleff animum ostendendum.

His positis nec probatione indiget defectus obreptionis et subreptionis in casu, quippe cum sit res odiosa, nonnisi gravi ratione admitti debet; De Luca *Be hcrisd. disc. 8 n. 7, Be Benef. disc. 42, Be Test. disc. 01 ele.*

Ceterum omnibus aliis rebus omissis, ratio ob quam Episcopus clericum Galea praeferendum putavit, non una illa fuit •ex prioritate oblatarum precum desumpta. Namque noscens clericum Galea bonis praeditum moribus, in aetate fere 20 annorum constitutum, et tamen, qua pauperem, sufficienti titulo ad suam ordinationem carere, putavit in concessione beneficii hunc esse praeferendum etiam in ipsius Dioecesis bonum.

His breviter relatis propositum fuit enodandum

Dubium

An tit locus immissioni clerici Galen in 'possessionem beneficii in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re cognita sub die 19 Maii 1888, censuit respondere: *Affirmative et amplius.*

APUANA

FUNERUM

Die 19 Maii 1888.

Sess. 25 cap. 13 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Apuae, in districtu paroeciali s. Nicolai, est hospitale s. Antonio Abbati dicatum, anno 1636 erectum, ubi recipiuntur infirmi ex universo oppido, idest ex omnibus indistincte quinque civitatis paroeciis, illuc concurrentes.

In hospitali autem est oratorium, ubi SSmum Sacramentum asservatur iuxta facultatem datuni ab Ordinario Sarzanensi anno 1741.

Fons quoque baptismalis in oratorio habetur, de consensu parochi s. Nicolai anno 1868 constructus, ut infantibus expositis, aut ibi nascentibus sollicite occurri posset.

Et capellanis, qui Deo ibi deservit, baptismum pueris, et extrema sacramenta infirmis absque controversia ministrat. Sed qui ius habeat funerandi defunctos, sicut etiam qui usque adhuc eos de facto parentaverit, controvertitur inter partes.

Est enim parochus s. Nicolai qui contendit funera decedentium in hospitali, ex quacumque paroecia provenientium, ad se universim spectare. Dum vicissim praepositus parochus cathedralis vult, ut filiam sui in piam domum recepti, ibidem morientes non ab alio quam a se, qua parocho proprio, funerentur. Huius contentionis origo anno 1885 non est anterior, et nata est ex funere cuiusdam Bertocchi, cathedralis filiam, quem e nosocomio efferre voluit sodalitas SSmi Sacramenti, cathedralis propria, reclamante licet parocho s. Nicolai.

Disceptatio Synoptica

PRAEMISSUM FUIT EX OFFICIO : Capellanum Hospitalis in causa hodie non esse, nec esse ullimode posse. Siquidem hospitale non est exemptum, et concessio sacerdotis infirmorum curatoris et capellae cum SSmo Sacramento anno 1747 facta fuit « ea declaratione tamen, quod hoc ministerium intelligatur semper praestitum a dicto Capellano, nomine dicti Rectoris, s. Nicolai, et tamquam ab ipso substituto... ita ut numquam intelligatur inducta praescriptio, cum omnes hi acti perinde habendi sint ac si fuissent facti a praedicto Rectore, per organum et medium eiusdem Capellani. »

Pariter fons baptismalis erectus fuit cum hac expressa clausula i.t, de cetero, iura parochialia salva maneant.

Unde cum capellanus, qua vicarius parochi s. Nicolai, consideretur et taxativam habeat potestatem, eam ultra concessa extendere non potest, et eo minus in contradictionem et exclusionem parochi, cuius vices gerit, urgere.

Facultas enim et iurisdictio taxativa circa aliquod genus causarum, nequit ad aliud extendi; quia taxativa habet vim exclusionis iuxta Menocliium *lib. De pr'aes. prae. 18 n. 13.*

Accedit quod de iure communi- rectores hospitalem non exemptorum a funeribus cum pompa per oppidum ducendis excludantur. In cuius assertionis confirmationem stat praeprimis S. Rota quae in *dec. 348 part. 11 recent,* ita habet: « Rectores dicti hospitalis cum stola et cocta associare

non possint cadavera quae in aliorum ecclesiis tumulantur; quia rectores dicti hospitalis proprie et vere parochi non sunt, nec ius parochiae penes hospitale existit... Nec ex eo quod in hospitali sacramenta administrantur, aut quod in eo ius sepeliendi sit, ius parochiae concluditur ; cum ex praescriptione seu privilegio haec omnia competere possint... Ex quibus associatio dicto hospitali et rectoribus tanquam parochis extra eius ambitum denegata fuit. » Similiter S. C. Visitationis Apostolicae die 16 Decembris 1699 proposito dubio, *an liceat ministris Consolationis Urbis associare cadavera alibi tumulanda cum Cruce et ab hospitali ad locum Catenae, et impedire parochum ne accedat pro illis ad ianuam hospitalis,* respondit: « Negative ». Item que,ceteris omissis, S. C. C. in *Bononien. Iuris ducendi funus* die 26 Ianuarii 1756 et iterum die 24 Ianuarii 1857 proposito dubio, *an capellanis hospitalis s. Mariae de Vita et Morte competat ius ducendi solemniter funera ad publicum coemeterium, seu 'potius spectet ad parochum,* respondit: « Negative ad primam partem affirmative ad secundam, privative quoad parochum domicilii defunctorum. »

Seposita itaque sicut par est, capellani persona, quaestio unice agenda est inter parochos.

IURA PRAEPOSITI CATHEDRALIS. Porro favore praepositi cathedralis militare in primis videtur principium quod scilicet non est in absoluta potestate parochi, intra cuius paroeciae fines est hospitale, levare et associare ad coemeterium commune cadavera alienorum parochianorum in eodem hospitali decedentium. Quod principium prono alveo descendit ex *cap. Is qui* ***3*** *De sepult, in Vi* ubi disponitur, quod « is qui ex civitate vel castro quandoque ad villam ruralem se transfert recreationis causa, vel ut ruralia exerceat, et decedat ibidem, non in ecclesia dictae villae, sed in sua parochiali sepeliri debebit. » Et confirmatur ex innumeris pene auctoritatibus tum DD. tum tribunalium. Sic expresse S. Rota in *decis.* ***348*** *part.* ***11*** *n.* ***2 ;*** Cardinalis De Luca *lib.* ***12*** *De regia, discep.* ***23*** *n.* ***8*** *et* 9, et *De par. disp.* ***23***

n. 14; Pignatelli ***tom. 4 consul. 151 n. 7,*** Reiífenstuel ***tit. 28 Be sepult, n. 16,*** ac demum S. C. C. ***m Bononien.*** superius citata, sicut et in alia ***Bononien.*** 13 Februarii 1694: in qua ad propositum dubium, ***an ius associandi cadavera, fidelium accedentium in dictis hospitalibus,*** s. Mariae vitae et s. Mariae de morte, ***ad alias ecclesias spectet privative ad proprium pjarochum domicilii dictorum defunctorum,*** respondit: « Affirmative. »

Et ratio evidens est; nam qui recipiuntur in hospitali,, ibi perfunctorie veniunt, curandae scilicet valetudinis causa : itaque parochum proprium non amittunt, et ideo si commode ad propriam ecclesiam transferri possunt, hoc prorsus debet servari.

Neque obstat quod parochus, ut efferat et associet suorum defunctorum cadavera debeat ingredi et transire cum cruce elevata per alienam paroeciam. Nam cui licet mortuum efferre, ei licet domum eius adire, etiam irrequisito eius loci parocho, iuxta Benedictum XIV ***not. 105 n. 48-50,*** et sic per alterius paroeciam vel Dicesesim transire cum stola et cruce, iuxta expressum et generale decretum S. C. C. confirmatum ab Innocentio XI die 11 Decembris 1676 apud Ferraris *v.* ***Parochus §3 n. 40.***

Itaque solo iure communi inspecto, nullum videtur esse dubium quominus intentio praepositi parochi cathedralis iuvetur. Hic enim contendit se posse ad hospitale accedere, corpora suorum defunctorum levare et ad propriam paroeciam portare ; quod quum hospitale non sit exemptum, optime fieri posse, inspecto iure communi, indubium videtur.

Et magis si attendatur consuetudo, quam praepositus parochus pro re sua profert et exaltat, quamque per testes probare stielet, et in primis auctoritatem proferendo praesidis eiusdem piae domus, qui annos natus 86 praefuit eidem Hospitali per annos 41.

Cui accedunt testimonia nonnullorum aliorum virorum senium et spectabilium, nempe canonici Caimi, ferme septuagenarii, sacerdotis Pellicia, sexaginta sex annos nati, et sa-

cerclotis Risoli quadragenaria utriusque capellani cathedralis, ac demum Ridotti Risoli, hominis 84 annorum, a 30 et amplius annis servitio eiusdem cathedralis addicti ; qui omnes coram publico notario percontati sunt et consuetudinem confirmarunt.

Episcopus rogatus retulit; sese perlegisse regestra mortuorum in Hospitali ab anno 1636 ad annum 1814, et numquam reperiisse verbum de associatione cadaverum ad sepulchrum, et regestra subsignata esse a Capellano, minime a parocho. Erectis coemeteriis, ne verbum quidem est de associatione ad coemeterium, sed, ***exequiis privatis de more persolutis, humatum fuit,*** scriptum reperitur. Insuper fatendum est mortuos pauperes tunc et nunc quoque noctu deportan ad sepulturam nullo comitante sacerdote, sed per quatuor fossores. Hinc in sententiam, ait, Episcopus, ut quisquis parochus, si velit, ius habeat efferendi proprios paroecianos ab Hospitali, eosque associandi ad sepulturam usque, cum modesto saltem apparatu, iuxta Rituale romanum, quatenus defuncti familia expensas funeris ferre nequeat.

IURA PAROCHI s. NICOLAI. At ex altera parte parochus s. Nicolai plura pro re sua profert, quarum tamen nonnullla apprime seponi possunt. Huiusmodi sane sunt imprimis tum ea quae ipse disputât circa dissidia orta in eo funere ex quo praesens controversia nata est : tum alia quae ipse praedicat circa ius parochi funerandi eos omnes qui intra limites sui territorii defunguntur. Nec maioris ponderis videntur ea quae ipse ratiocinatur circa constitutionem fontis baptismalis in capella hospitalis, asservationem SSmae Eucharistiae, ss. Oleorum et circa recensionem natorum et mortuorum in hospitali ; quae omnia parum concludere videntur.

Sed ubi potissimum valideque intentionem suam fundat parochus s. Nicolai est in documento, quod licet ab ecclesiastica Curia non fuerit legitimatum, verum tamen videtur, quippe quod a publico tabellione ex archiviis desumptum, scriptum et firmatum apparet. In eo autem describitur quaedam concordia a parochis Apuanis inita, nonnullos annos

ante nosocomii erectionem, qua ad vitandas controversias decernebatur, ut defuncti ex morbo in aliquo parochiali districtu parentarentur a parocho loci, licet defuncti non proprio, si defunctus in hoc districtu se contulerit curandae valetudinis ergo, et ibi ex morbo, non vero ex alia violenta causa decesserit. Cedo verba Istrumenti.

« Anno D. I. a nativitate 1632 die 12 Martii. Cum sit quod discordiarum Pater et Sator inter eos praecipue, quos concordia maxime decet et sanctitas, occasione rerum, quae pro tumulandis fidelium corporibus, pie et sancte a Christi fidelibus impenduntur lites et discordias maximo cum animarum detrimento excitare, perpetuoque nutrire nitatur, hinc est infrascripti et admodum RR. Parochiali Oppidi Pontremoli rectores videlicet etc. - huic malo mederi cupientes... constituti personaliter coram me Notario et testibus infrascriptis devenerunt, et devenisse confessi sunt ad infrascripta transactionem, pacta, conventiones et accordia videlicet:

« I. Quod in posterum quandocumque contigerit aliquem parochianum, ex eorum parochiis ab humanis discedere extra propriam suam parochiam, in aliqua, ut supra ex nominatis parochiis, etiam quod eo vel *curandae valetudinis,* vel quavis alia causa, sese contulerit vel asportatilo fuerit, eo ipso funeralium quarta rectori eius paroeciae, in qua ei mori contigerit adiudicanda intelligatur, non autem rectori cui si illuc non trasmeasset, de iure deberetur.

« II. Item quandocumque evenerit, quod Deus numquam permittat, quod aliquis extra parochiam, in qua tunc quomodocumque habitabat, ab inimicis vel casu aliquo occisus remaneat, quarta funeralium tunc debeatur pro medietate rectori eius paroeciae ubi habitabat. »

Porro transactionem inter ecclesiasticas personas celebratam, praesertim si exiguum lucrum decimarum vel funerum afficiat, et si ad lites et scandala tollenda sit inita, valere et ipsos successores in beneficiis ligare, licet solo Episcopi consensu fierit ratihabita, docet cum communi De Luca *De aliénât, disc. 1 n. 141* et *De cred. disc. 138 n. 4.*

Idque praesertim si eadem fuerit supra triginta annos servata; nam in hoc casu beneplacitum apostolicum praesumitur. Idem De Luca ***De caii. et cap. 17 disc. 30.*** Atqui in themate nedum ultra 30 annos, sed ultra duo saecula .eadem transactio servata videtur iuxta parochi s. Nicolai asserta.

Et ad effectum adducit in medium plusquam 26 testes quos praedicat omni exceptione maiores, qui sr'e ex propria scientia sive ex aliorum auditu testantur quae sequuntur.

1. Quoties ageretur de associatione demortui ad Hospitale s. Antonii, ad quamlibet pertineret paroeciam, Parochum s. Nicolai semper extulisse cadaver et associavisse usque ad coemeterium, movendo a propria Ecclesia s. Nicolai cum cruce, et apparatu religioso eiusdem Ecclesiae. 2. Numquam visum aut auditum esse alium parochum associavisse ad coemeterium cadaver personae in Hospitali defunctae. 3. Quoties Sodalitates interfuerint, easdem numquam interfuisse absque Parocho s. Nicolai cum propria cruce.

In affirmandis quae sub 1. et 2. numero continentur unanimes omnino sunt testes tum aetate cum doctrina et probitate conspicui. Nam primo citantur Martius Venturini annorum 81, Archidiaconus Ecclesiae Cathedralis ; Mattheus Pariter Venturini annorum 75, Decanus praefatae Ecclesiae; Ioannes Baptista delle Piane 66, moratus in Apuana civitate ab anno 14 suae aetatis; Dominicus Francesconi annorum 90, Geminianus Albertosi annorum 70, Armonetti Antonius annorum 56 qui facta narrata probe novit ; Salvini Cosimus annorum 82, Dominicus Lemacci annorum 70, Orioli Aloysia quae morata est in Hospitali domo ab eius adolescentia usque ad annum 1873, Angella Antonius annorum 74, Antonius della Zappa annorum 63 addictus piae domui per annos 23.

Ex citatis testibus tres primo recensiti emiseruut declarationes per litteras authenticas in actis asservatas ; postremi vero octo coram publico notario ea facta testati sunt, emisso formiter iuramento, quorum publicum instrumentum

S. C. C. transmissum est; eorum autem testimonia ceu concludentia in alia causa favore parochi S. Nicolai decisa anno... habita sunt.

His addit parochus pluies alios testes, qui inspecta eorumdem qualitate in ordine tum ad veridicitatem cum ad scientiam, in hac speciali causa valde attendendi videntur. Adducit enim Eduardum Bondi qui. anno 1813 natus, moratus est in praefata civitate ab anno 1831 ad annum 1835, studiorum causa, deinde ab anno 1836 ad 1840 uti magister in seminario, ab hoc ad annum 1845 ceu Episcopi secretarius, et demum ab anno 1881 usque ad annum 1884 uti seminarii rector. Gravis hic testis addit praeterea, sese semper audivisse eiusmodi associationem esse exclusivi iuris Parochi s. Nicolai.

Idem confirmat Sacerdos Cas.tellotti annor. 82, saltem quoad tempus quo moratus est in Apuana civitate, scilicet ab anno 1822 ab ann. 1829 : eique accedit testis alius nomine Bagatta qui decem annis incoluit parochiam s. Nicolai. Hi omnes fere iisdem verbis testantur quae sub numeribus *primo* et *secundo* superius relata sunt.

Haec eadem confirmantur a capellanis hospitalis, qui huiusmodi officium exercuerunt ab anno 1865 usque ad hodiernum diem, scilicet a Fr. Augustino a Placentia ab anno 1865 ad 1873, a Iosepho Ballotti ab an. 1878 ad 1880, ab Aloysio Masetti hodierno capellano.

Magis confirmantur eadem quoad primum, secundum et tertium, ab omnibus substitutis Parochis Ecclesiae cathedralis, qui sub nomine curatorum veniunt, scilicet a Dominico Andreoni annor. 68, moratus in civitate Apuana ab anno 1838 ad an. 1844 studiorum causa, qui munus curati exercuit ab anno 1851 ad 1858, quique in quatuor authenticis ejñstolis testatur, solum Parochum s. Nicolai et semper accessisse pro levandis et associandis cadaveribus ad Hospitale s. Antonii; numquam vero accessisse in hunc finem neque Parochum Cathedralis, neque alium.

Huius testis verba citata, notanda esse vult parochus s. Ni-

colai, quia ex depositione eiusdem primum emissa et non bene intellecta, adversa pars argumentum desumit ad impugnandum ius Ecclesiae s. Nicolai.

Eadem testatur Raphael Veruli curatus ab an. 1864 ad 1867; et eius immediatus successor Costantinus Micheli usque ad 1877, nec non Laurentius Maestri curatus ab anno 1877 ad 1879 : et denique Ioseph Fratta.

Quibus omnibus praeiactis , diluendum propositum fuit sequens

Dubium

An praeposito parocho cathedralis competat ius efferendi et funerandi parochianos suos, qui in hospitali s. Antonii decedant in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re discussa sub die 19 Maii 1888, censuit respondere : ***Affirmative et ad mentem : mens est ut Episcopus curet, ut associatio cadaverum fiat iuxta praescripta Ritualis romani.***

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Ius associandi cadavera fidelium decedentium in hospitalibus non exemptis, spectare ad proprium parochum domicilii dictorum defunctorum.

II. Nam qui recipiuntur in hospitali, perfunctorie et curandae valetudinis gratia ibi veniunt; neque amittunt proprium parochum in hospitali non exempto.

III. Hinc parochus potest cum stola et cruce elevata per alterius paroeciam transire, ut efferat et associet cadavera suorum defunctorum.

FIRMANA

ALIENATIONIS

Die 19 Maii 1888.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Anno 1866 vacato, ex morte, beneficio unito s. Michaelis Arcangeli et Spiritus Sancti, quatuor familiae patronae nuncupatae Matteucci, Morrone-Morici,

Vinci et De Nobili bona beneficii a fisco redemerunt, et inter se diviserunt. Et cum universa sors ad libellas 89,183 pertingeret haeredes familiae De Nobili, qui uni in causa sunt, quotam bonorum obtinuerunt valoris 9,909 libellarum et ius decimandi pro annuo reditu libell. 130.

Onera beneficii sunt, tres missae qualibet hebdomada, quarum duae in ecclesia urbana Philippinorum, altera in ecclesia rurali s. Laurentii.

Porro haeredes et descendentes familiae De Nobili in quatuor familias dispescuntur, quae nominibus censentur Brancadoro, Manciforti, Giordani et Bravi. Hi autem anno 1882 cum vellent inter se subdividere quotam bonorum ex beneficii spolio acquisitam duos fundos complexivi valoris lib. 8,245 vendere decreverunt.

Sed ex quatuor hisce familiis una familia Brancadoro ad s. Sedem pro venia recurrit, petens insuper, ut lucrum ex venditione sibi proveniens posset erogari ad constituendam gratuitam sedem in seminario favore clerici a se nominandi, qui fuit Cerquetti.

Audito Archiepiscopo, die IT Septembris 1883 rescriptum est ita : « Attentis etc. firma remanente oratorum obligatione quoad lucrum in praeteritum perceptum et quoad onerum satisfactionem, pro facultate alienandi, amoto scandalo, enunciatus fundos, sub lege tamen deponendi, brevi manu, pretium in curia Archiepiscopali, a qua caute et utiliter investiatur favore beneficiorum, facta Archiepiscopo etiam facultate impertiendi, quatenus opus sit, aequam missarum reductionem, ac erogandi reditus superfuturos, post onerum satisfactionem in ecclesiasticam educationem clerici Cerquetti arb. et consc. Archiepiscopi, contrariis etc. Hoc autem indultum nullatenus relevet reliquos compatronos, qui graviter moneantur, ut consulant conscientiae suae. »

Interim, anno 1886 iam desinente, novus supplex libellus ad S. C. C. pervenit, qui ab omnibus haeredibus De Nobili signatus reperiebatur. Et ibi dicebatur emptorem alterius ex enunciatis fundis esse inventum quemdam Mancini, qui 6,000

libellarum se daturum spondebat. Porro familia Brancadoro se posse ad venditione n procedere ad formam praecedentis rescripti innuebat; sed hac vice duae aliae familiae, Giordani nempe et Bravi dum ab initio fatebantur se paratas esse ad exequendum quidquid Apostolica Sedes praescripserit ; infra tamen indultum petierunt erogandi pretium in levamen suae inopiae. Ex parte autem quartae familiae compatronac e descendentia De Nobili, idest Manciforte, dum urgebatur pro venditione, vicissim afhrmabatur, nihil ecclesiae posse restitui.

Quapropter rescriptum fuit die 27 Martii 1887: *Prout petitur lectum, et Archiepiscopus utatur facultatibus s. Poenitentiariae quoad patronos.*

Sed brevi iterum oratores institerunt haec inter alia enarrantes : Tribunal civile decrevisse venditionem, praesertim favore minorum Manciforte-Sperelli ; ex qua venditione obvenirent libellae 2547,05 cuilibet ex familiis patronorum.

Subinde familia Brancadoro adnotabat, ut prius, quoad se esse provisum ex primo S. C. C. rescripto. Curator autem marchionum Manciforte facultatem petebat vendendi, declarando, se minime posthabere posse civilis Tribunalis praescriptiones, tum ob legum rigorem, tum ob oeconomicam conditionem familiae Manciforti. Compatroni autem Giordani et Bravi affirmabant se quam minimam utilitatem consequutum ex venditione, eamque ideo sibi qua pauperibus relinqui posse. Demum emptor Mancini facultatem emendi requirens se dicebat paratum ad parvam praestationem favore causae piae.

Ordinarius referebat rectores ecclesiarum, ubi erecta sunt duo beneficia unita, gratum acceptumque habituros quidquid a S. C. C. in re decernatur. Insuper familiam Morrone-Morici, alteram ex primariis patronis, compositionem obtinuisse ex rescripto S. C. Episcoporum et Regularium. Demum notabat bona ad descendentes De Nobili spectantia minori pretio stare quam antea, forte ob oeconomicam conditionem, qua hodie respublica premitur: nam Episcopus aiebat:

haec portio a perito viro aestimata est libellis 7,641, praeter redditum annuum libell. 34 provenientium ex iure decimando

Disceptatio Synoptica

Ex OFFICIO ANIMADVERSUM FUIT. In hoc casu vere contigisse, quod et in aliis dolemus; compatronos nempe, qui beneficii defensores esse debebant, hostes factos fuisse, libertate abutentes, fìsci latrocinium perfecisse et ingentem beneficiorum dotem depredatos esse, nihili facientes conscientiam, beneficii onera et ecclesiae leges : fructus usque adhuc voratos esse et nunc insuper sortem dividere et conficere velle. Et licet non sit aequalis omnibus culpa et malitia, imo ii qui recurrunt religione certe sint ducti ; nihilominus effectus non mutantur. Etenim, praeter parvam quotam, quam pro sede gratuita in seminario familia Brancadoro assignat, reliquum rei ad descendentiam De Nobili spectanti» ex gratiae concessione ferme ex integro disperdi vult.

Vicissim vero attendi debet quod patronis egentibus subsidia non denegantur ex reditibus beneficiorum. In themate autem tres familiae Giordani, Bravi et Manciforte dicunt paupertate, saltem relativa, se laborare et Ordinarius id non negat.

Accedit quod agitur de tenui quota. Quod insuper ex ea esset demendum id quod patroni in redemptione bonorum fisco solvere debuerunt, nisi forte ex fructibus hucusque perceptis, sit ipsis satisfactum.

Nec potest differri venditio ; nam haec videtur decreta a tribunali, favore praesertim pupillorum familiae Manciforte. Unde etiam haec familia nihil potest, saltem in praesentiarum, restituere; quia tutor rationem de acceptis et expensis reddere civili magistratui debet.

Demum considerationem meretur promissio emptoris, qui ad aliquid liberaliter et de suo tribuendum, est paratus. Unde quae ipse offert cumulando cum iis quae dat familia Brancadoro aliisque quae saltem poenitentiae ergo aliis duabus vel tribus familiae possent imponi, pia causa videretur -indemnis aliquatenus facta.

Quibus praemissis, quaesitum est quomodonam preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. Sacra C. Congregatio, re cognita, sub die 19 Maii 1888 censuit respondere : ***Arbitrio et conscientiae Archiepiscopi; ita tamen, ut, firma remanente quoad familiam Brancadoro dispositione praecedentis rescripti, curator familiae Manciforte scripto certiores faciat minores de obligatione indemnis reddendae causae piae, cum primum sui iuris evaserint; quoad tandem familias Giordani et Bravi et emptorem fiat compositio, facto verbo cum SSmo.***

MANTUANA

PRIVILEGIORUM SEU IURIUM

Die 16 Maii 1888.

Sess. 23 cap. 1 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Mantuae non longe a cathedrali ecclesia duae aliae celebres habentur basilicae; altera s. Barbarae dicata sub regio patronatu, innumeris adhuc ornata privilegiis et ***nullius,*** altera vero s. Andreae apostolo consecrata, de qua modo agendum est.

Haec enim ab initio abbatia erat Benedictinorum; sed Sixtus IV apostolicis litteris diei 20 Maii 1472 concessit Cardinali Francisco Gonzaga, ut abbatiam supprimeret, monasterium ad statum saecularem redigerei, et Abbatis ac monachorum loco, ad ecclesiae servitium crearet octo canonicatus, octo capellanos, quatuor clericos ac praesertim unam dignitatem primiceriatus, quae ceteris in ea ecclesia praeemineret et imperaret, et iura privilegiaque plura possideret.

Cum tamen decursu temporis de modo atque extensione horum iurium Primicerii saepius disputatum fuisset, rem. diremit particularis congregatio ex S. C. C. Patribus excerpta et a SSmo deputata, quae die 28 Septembris 1736 votum emisit. - Cedo integra resolutionis verba, ut universus

iurium primicerialium status S. C. C. innotescat, licet tamen super universo non disputetur. - Definitum itaque fuit ita[1]:

« Vigore Bullae Sixti IV, aliarumque Constitutionum apostolicarum non competere Primicerio, canonicis, clero, et ecclesiae s. Andreae captionem passivam, neque competere Primicerio iurisdictionem activam contentiosam in dictos canonicos, aliosque addictos servitio eiusdem ecclesiae. »

« Consulendum tamen SSmo pro concessione iurisdictionis activae, etiam contentiosae eidem Primicerio in omnes praedictos, dummodo agatur de delictis et excessibus intra limites dictae ecclesiae commissis, vel de interesse canonicorum, cleri, aliorumque servitio dictae ecclesiae addictorum, intuitu et ratione dictae ecclesiae, reservato iure recursus, et appellationis ad Episcopum, et cum hoc etiam, quod Primicerius teneatur in processibus uti ministris curiae Episcopalis, et carceribus eiusdem curiae, nec non impetrare licentiam expressam ab Episcopo quoties agatur de alicuius carceratione exequenda in civitate, seu Dioecesi mantuana, nulloque modo se ingerere possit in causis immunitatis ecclesiae tam personalis, quam localis, sive tradendo brachio saeculari, aut militari confugientes ad dictam ecclesiam itidemque cum expressa declaratione eiusque determinationibus una cum canonicis, et clero dictae ecclesiae subesse, nec non cum ipsis interesse processionibus solemnibus, aliisque auctoritate Ordinarii pro tempore indicendis, ac addito pariter, quod idem Primicerius nequeat in praedicta ecclesia sancti Andreae concedere licentiam exponendi SSmum Eucharistiae Sacramentum ad elargiendam benedictionem populo nisi de licentia Episcopi. »

« Praeterea consulendum SSmo, ut ultra usum pontificalium a Bulla Sixti IV concessorum Primicerio, more Abbatum, tantum eidem concedatur usus Mitrae pretiosae, Baculi Pastoralis, etiam sine velo appenso, crucis pectoralis, annuii, sandalium et chirothecarum in missis, ac respective in vesperis solemnibus in dicta ecclesia diebus sibi benevisis, non tamen eodem tempore, quo ab Episcopo in cathedrali

peraguntur pontificalia, celebrandis, nec non usus luminis, seu candelabri, vulgo ***Bugia*** tam in dd. missis, et vesperis solemnibus, quam in missis privatis cum facultate dandi trinam benedictionem more episcopali, nec non privatim quoque benedicendi populo intra dictam ecclesiam tantum, et absente Episcopo, in aliis vero ecclesiis, non nisi de licentia eiusdem Episcopi, cui praeterea intelligatur reservatum ius accedendi ad praedictam ecclesiam sancti Andreae quandocumque, et quotiescumque voluerit, tam processionaliter cum suo clero, quam privatim, et ad sui libitum pro exercendis ibidem quibuscumque functionibus ecclesiasticis, et eo casu, quo ad sedem Episcopi, et illam Primiceri^ nec non quo ad ritus, et cerimonias serventur praescripta in decreto circa usum pontificalium, praelatis Episcopo inferioribus concessorum a sacra rituum Congregatione, edito sub Alexandro VII die 27 Septembris 1659, n. 15. »

« Ulterius consulendum SSmo pro concessione facultatis eidem Primicerio benedicendi calices, patenas, imagines, campanas, aliasque sacras suppellectiles pro usu dictae ecclesiae s. Andreae tantum, non tamen approbandi sacras reliquias, easque proprio signo muniendi ; se induendi sacris vestibus ad altare, etiam in missis privatis, non tamen in faldistorio, utendi in iisdem pelvi, et urceolo argenteis pro lotione manuum, non tamen pileolo ab initio missae usque ad canonem sine speciali Indulto s. Sedis; incedendi publice per Civitatem Man tuae cum veste talari, et mantelletta violacei coloris, sed sine rocchetto, et mezzetta et absque cruce pectorali. »

« Consulendum quoque SSmo pro confirmatione facultatis a Bulla Sixti IV Primicerio concessae circa retentionem fontis baptismalis, collationem, provisionem, praesentationem, et electionem canonicatuum, aliorumque beneficiorum in dicta ecclesia erectorum, nec non ecclesiarum s. Ambrosii, et s. Urbani de Formigosa uti de iuribus, et pertinentiis antiqui monasterii ordinis s. Benedicti sub eadem Bulla comprehensis, itidemque facultatis instituendi et destruendi ea-

nonicos, et beneficiatus praedictae ecclesiae s. Andreae tantum, salvo tamen iure episcopali, necdum quo ad visitationem iure ordinario dicti fontis baptismalis, aliorumque omnium in dicta ecclesia existentium, et ad eam quomodolibet spectantium ; verum etiam quoad praelectionem personarum praesentatarum ab ipso faciendam in concursu respectu dictarum parochialium, nec non quo ad auctorizabilem institutionem in iisdem parochialibus ab eo dandam. »

« Et demum consulendum SSmo pro concessione facultatis Primicerio dandi literas testimoniales clericis addictis servitio ecclesiae Sancti Andreae promovendis ab Episcopo Mantuano, tam ad ordines minores, quam maiores, non tamen concedendi litteras dimissoriales. »

De quibus omnibus facta SSmo relatione, ipse omnia probavit et litteras apostolicas desuper expediri mandavit die 3 Octobris .1736.

Exinde res tranquille processerunt usque ad illius iam elapsi saeculi finem; quo tempore ex politicis religiosisque vicissitudinibus factum est, ut capitulum ab auctoritate politica supprimeretur, bona partim confiscarentur, partim in dotem concederentur paroeciis, quae prius a Primicerio conferebantur, quaeque exinde liberae Episcopi collationis evaserunt.

In ecclesia autem s. Andreae, quae iam parochialis erat, licet cura exerceretur per duos sacerdotes a capitulo et primicerio nominatos, duae aliae paroeciae s. Laurentii et ss. Simonis et Iudae coadunatae sunt, et ex his omnibus una nova cura constituta est, cuius rector licet Primiceri! nomen adhuc retinuerit, sub omnimoda tamen Episcopi iurisdictione una cum sua ecclesia positus fuit.

Neque hic status mutatus deinceps, saltem notabiliter, est: solummodo in rerum politicarum ordinatione, quae sub initio huius saeculi contigit, quaedam beneficia in servitium ecclesiae s. Andreae restituta adhuc videntur. Imo mentio fit a partibus de instantia a parocho Primicerio S. P. Gregorio XVI olim directa, qua petitum et obtentum sub die

18 Iulii 1831 fuit, ut duodecim beneficiati huius ecclesiae rochettum cum mozzetta violacea in sacris functionibus ferre possent.

Sed hodie huiusmodi beneficia iterum confiscata sunt, et ex veteribus mansionariis quatuor tantummodo iique senes et infirmi supersunt: unde praevidet Episcopus quod brevi, praeter parochum et unum alterumve parochi coadiutorem, nemo alius in ecclesiae servitium supererit.

Verum quidquid sit de hoc, punctum quaestionis non haec proprie respicit, sed privilegia honoris, quae Primicerius sibi usque modo adscripsit, quasi successor esset primitivorum Primiceriorum, licet tamen vetera iurisdictionis acta sibi non vindicaverit, et licet imo subiectus Episcopo manserit, sicut alii omnes Dioecesis parochi.

Notat enim Episcopus : non agi hic de iurisdictione, sed omnem quaestionem respicere partem citati rescripti diei 3 Octobris 1736, qua concedebatur Primicerio Capituli s. Andreae ***usus mitrae pretiosae, baculi pastoralis etiam sine velo appenso, crucis pectoralis, annuii, sandaliorum et chirothecarum in missis ac respective in vesperis solemnibus in dicta ecclesia, diebus sibi benevisis, non tamen eodem tempore*** - sed etiam eodem die - ***quo ab Episcopo in cathedrali peraguntur Pontificalia, celebrandis, nec non usus luminis, seu candelabri, vulgo*** bugia, ***tam in dictis missis et vesperis solemnibus, quam in missis privatis cum facidtate dandi trinam benedictionem, more episcopali, nec non privatim quoque benedicendi populo intra dictam ecclesiam tantum... »***

At horum tam grandium honorum et privilegiorum usus, praeterquamquod forte illegitimus, offendit insuper ceteros civitatis parochos, nec Episcopo arridet.

Iussus ergo actualis parochus iura sua tueri, illa quidem repetit a praedicta Sixti IV bulla, ac praesertim a citata decisione S. C. C. diei 3 Octobris 1736, et ita prosequitur: eiusmodi decretum habitum fuisse constantem quoad usum et exercitium praedictarum concessionum R. Pontificis.

At praecipuus in eo est, ut demonstret, etiam nunc idem

decretum constare et vigere. Ait enim : suppressionem peractam, exeunte saeculo praeterito, laedere collegium canonicorum, iam per Sistinam bullam erectum, non voluisse; nedum facto, quoniam abusus incompetentis auctoritatis fuit ; sed etiam quia ipsum gubernium haud intellexit vulnerare privilegia primicerii; qui iisdem frui prosecutus est; quinimo anno 1805 oneratus fuit de cura animarum suppressae Paroeciae s. Laurentii in s. Andrea; unde venit hodiernus titulus Primicerii Parochi.

Disceptatio Synoptica

QUAE FAVERE VIDENTUR PRIMICERIO. Sane doctrina est ab omnibus recepta, non ideo quia actu cessavit aliquod collegium, illico illud ut omnino extinctum habendum esse: « sed si contingat collegium deficere ob mortem canonicorum, vel aliam consimilem causam, ex qua... desinat esse collegiata actu, remanet tamen adhuc talis habitu, ut per Felin., Innocent., Maschard., Barbosa, *lib. 2 Tur. eccl. Univ. cap. 6 num. 9* cum aliis quos refert et sequitur Rota in *Cremensi 20 Februarii 1622 coram Ramhaldo.* » Ita Ferraris, *v. Collegiata n. 22 seqq.*

Insuper, instar regulae, semper retentum est in iurisprudentia canonica, civilem suppressionem nihil aliud revera esse quam spoliationem, nec posse ullo modo considerari tamquam collegiatae extinctionem. Satis sit adducere Pito^nium qui in *Disceptationi. Eccl. I. 1 discept. 8* examinans an collegialitas amitti possit per non usum, duos casus distinguit, scilicet « vel collegialitas defecit in ecclesia et extincta remansit auctoritate superioris, causa cognita, et tunc ait, amplius non durat; quia sicut collegium erectum fuit auctoritate superioris, ita et eadem auctoritate potest extingui et removeri : aut vero defecit et cessavit per aliquem casum accidentalem veluti morte canonicorum vel oppressione hostium et similibus ; et tali casu collegialitas semper durare censetur in habitu, etiamsi non fuerit in actu vel usu per quodcumque longissirnum temporis spatium, ut distinguit post

Gloss, in ***cap. Statutum de Election, in VI...*** Barbosa ***De offic, et Potest. Parochi part. 1 cap. 2 ante num. 2.*** »

Ita quoque Baldi in ***Mar g. ad Innocent, v. Civitas,*** ubi haec disserit: «Civitas, collegia, ecclesia, omnia ista possunt destrui auctoritate superioris, causa cognita, et tunc perdunt omnia privilegia civitatis et collegii : si autem de facto opprimatur a praedonibus, latronibus vel tyrannis, capiatur, et destruatur monasterium, Ecclesia vel civitas ; tamen sine ullo corpore materiali vivit quodam intellectu, et extat anima, ut ita dicam, sine corpore, et retinet omnia privilegia... Et est ratio differentiae, quia quando de iure destruitur, titulus cassatur ; sed facti calamitas titulum non aufert nec nomen. »

Quae doctrinae loquuntur de fortioribus terminis, quando scilicet non solum esset destructum totum collegium sed etiam quando ipsa ecclesia materialis funditus destructa fuisset. Unde vel a fortiori urgeri poterunt in casu nostro, in quo non modo ecclesia sarta tecta servata est, sed et Primicerius capituli caput semper superfuit, imo et ipsum capitulum.

Nam licet suppressum fuisset sub Gallica dominatione, brevi tamen saltem sub aliqua forma restitutum videtur, et novis honoribus cumulatimi; nam, ait hodiernus parochus: antecessor meus petiit, etiam respectu dignitatis Primicerii mitrati, ***rochetum*** cum ***mozzelta*** coloris violacei pro duodecim benefìciatis huic Basilicae inservientibus; et romanus Pontifex die 18 Iulii 1851 gratiam indulsit, quae adhuc in hoc Archivio servatur. Hoc autem collegium, licet ex temporum malitia iterum imminutum, adhuc tamen vivit, ceu ipse Episcopus recognoscit.

Sed quidquid sit de hoc, et licet unus Primicerius superstes ex antiquo capitulo habeatur; nihilominus recepta conclusio est quod ius collegii remaneat etiam in uno, et apud ipsum stat nomen ac ius totius universitatis, ***I. Sicut § In decisionibus ff. Quod cuiusque universitatis nomine;*** Pax Iordanus, ***Elucubrai, tom. 2 lib. 7 tit. 5 n. 8,*** Bar-

bosa, in ***Summ. Apóstol. Décision, v. Collegiata n. 3; De off. et Potestate, part. 1 cap. 2 n. 28,*** Pignatelli ***Consult. 150 n. 4 tom. 9.***

Quod si obiiciatur, ecclesiam s. Andreae, post amissum ex violentia civili, sub finem elapsi saeculi, collegium, remansisse in simplici statu parochiali, et ideo eius rectorem Primicerii nomen iura ac privilegia praesumere non valere novosque beneficiatus alios ac diversos esse, a veteribus canonicis et capitulo ; responderi posset cum Pitonio in ***cit. discept. 8*** regulam esse in hac materia quod « quando constat ab initio de statu collegialitatis, de iure praesumatur continuatio, nisi contrarium plene et concludenter probetur. »

Insuper parochialitas non fuit qualitas superveniens post collegialitatem et quasi ipsam substituens; sed simul cum ipso capitulo aderat, licet alio modo tunc exerceretur, ceu in specie dictum est. Quapropter extincto collegio, unoque Primicerio superstite, in ipsum sicut et alia iura, sic et istud transire debuit, iuxta dicta in articulo praecedenti; et nihil difficultatis exinde desumi posse videtur.

Sicut nihil concludi potest ex facto Episcoporum, qui Primicerium parochum libere nominaverunt sibique subiectum habuerunt. Quandoquidem hoc abusive contigisse dici potest. Praeterquamquod in vigenti disciplina Ordinarii collegialitates destruere non possunt, sicut eas erigere absque apostolica venia non valent.

Collegialitatis enim « suppressio, ait Ferraris ***v. Collegiata n. 29,*** non inducitur ex decreto facto ab Episcopo, declarante Ecclesiam non esse collegiatam, sed simplicem parochialem. Cum Episcopus sicut non habet facultatem de non collegiata faciendi collegiatam... tanto minus habet hanc facultatem de collegiata faciendi non collegiatam. » Ita etiam Pitonius ***cit. discep.*** cum aliis communiter.

QUAE ADVERSARI VIDENTUR PRIMICERIO. At ex altera parte non minora occurrunt argumenta. Quod ut facilius ac plenius intelligatur praestat similem casum referre, quem habet Pitonius in citata disceptatione octava, et conclusiones

in quas clarus canonista ibi devenit. Narrat enim ipse quod Cremonae antiquissima erat collegiata et parochialis ecclesia sancto Aegidio dicata, specialibus privilegiis a ss. Pontificibus decorata, et ubi plures habebantur canonici cum praeposito eorum capite. Sed sub initio saeculi XVI in invasione Gallica, quae tunc contigit, canonici expulsi sunt, et collegiata omnino subversa est. Cessato hostium incursu ecclesia « remansit sub titulo parochialis, cuius figura, ait Pitonius, etiam hodie sine canonicis, qui antea fuerunt in illa per spatium fere quinque saeculorum. » Porro optabat tunc temporis Episcopus ad erectionem quorumdam canonicatuum devenire; sed dubitans num facere hoc posset, consuluit Pitonium, qui censuit, « rebus sic stantibus, Episcopum non posse devenire ad erectionem canonicatus. Licet enim in collegiata habeat Episcopus potestatem constituendi novos canonicatus... ; tamen in casu isto ecclesia s. Aegidii dici non potest collegiata, nisi habitu tantum ; quod ad hunc effectum sufficiens non videtur; cum in hominum opinione illa habeatur pro simplici parochialis, et qualitas collegialitatis, tamquam latens, censetur non extare in rerum natura, ex regula quae, paria sunt in iure nostro non esse et non apparere. »

Excluso autem quod Episcopus extemplo et rebus sic stantibus restituere in ea ecclesia posset canonicatus et capitulum, idem doctor punctum examinat quaestionis, utrum collegialitas censenda sit amissa per non usum unius saeculi : et ceu par erat, respondet cum communi DD. sententia quod cum collegiata vi et armis eversa fuerit, et non per legitimam superiorum auctoritatem, iam nonnisi actu et de facta dicenda sit destructa; subsistere vero in potentia.

Quo stante, sustinet, Ordinarium posse rebus omnibus perpensis ferre decretum, quo declaret eam ecclesiam ad antiquum collegialitatis statum se redintegrare. Eoque praevio et transacto in rem iudicatam, non tamen prius, optime posse- canonicatus instituere; sic enim positive rem proponit ***n. S:*** « Ut R. Episcopus habeat tutam facultatem erigendi cano-

nieatus in ecclesia, debet primo loco reducere ad actum collegialitatem latentem in habitu per viam declarationis iuridicae, et sic restituta actuali collegialitate potest quot voluerit canonicatus instituere, » non minus tamen, quam tres, ut morale corpus realiter formetur.

Iamvero haec omnia congruam habere possunt: applicationem ad quaestionem de qua modo agimus. Nam etiam hic hostilibus armis sub finem elapsi saeculi exturbatum et suppressum fuit capitulum ; etiam hic ferme a saeculo canonici et capitulum exulant, etiam hic post aliquod tempus a suppressione capituli, et praecise anno 1805 in capituli ecclesia parochus constitutus fuit; qui quidem nomen ***primicerii*** assumpsit, sicut nomen ***praepositi*** aeque assumpserat parochus de quo loquitur Pitonius.

At sicut in ea specie Pitonius conclusit, hoc non obstante, collegiatam non esse, et nihili fecit nomen quod parochus sibi assumpserat; ita pariter in specie nostra dicendum videtur.

Et merito quidem. Nam per suppressionem collegiatae licet iniustam illud corpus morale, saltem de facto, certe tamen defecit: cessante autem corpore cessare debuit et caput et privilegia corpori et capiti adnexa. Nec quidquam refert quod aliquis rector in collegiata ecclesia constituatur et ipse nomen antiquae dignitatis sibi retineat; nam nisi restituatur capitulum et ipse eius caput efficiatur, talis ipse esse non poterit, nec eius iura sibi vindicare valebit.

Nec ad hunc effectum quidquam refert quod vi et per abusum collegium fuerit suppressum. Nam in hac re, ut notat Baldus in ***L. Non ambigitur ff. De leg. n. 3*** « paria sunt aliquid esse destructum de iure, vel per rerum naturam. » Siquidem collegium de facto amplius non habetur et ideo nec eius iura, nec eius privilegia, nec eius caput. Unde ecclesia in isto casu dici non potest collegiata, nisi habitu tantum, et qualitas collegialitatis, tanquam latens, censetur non extare in rerum natura, ex regula quod paria sunt in iure nostro non esse et non apparere, iuxta ea quae punctim de-

fìniit Pitonius in ***cit.- discep. 8*** innixus DD. sententiis et rotalibus resolutionibus praesertim in ***Leodien, cor. Rondinino*** et ***Caesaraugustana cor. Ememx.***

Obiicienti quod iura collegii etiam in uno servantur, responderi potest, hoc quidem verum absolute existere ; sed in themate probandum praecise illud ipsum esse, quod scilicet actualis s. Andreae parochus sit veterum primiceriorum successor; quod tamen non apparet, imo excludendum videtur ex diversitate eius institutionis, officiorum, iurium ac naturae. Et re quidem vera anno 1805 nova paroeciarum ordinatio facta est in civitate , et ea occasione ecclesiae s. Andreae rector et parochus datus fuit; qui tamen positus ibi fuit qua simplex parochus non qua dignitas; iurisdictio territorialis fuit ipsi assignata, diversa tamen ac olim capitulo s. Andreae competebat; subiectus insuper renunciatus fuit, una simul cum sua ecclesia ordinariae episcopali iurisdictioni, eadem ratione ac ceteri dioecesis parochi ; ac demum nullo capitulo fuit circumseptus. Unde nullo modo considerari potest qua verus atque effectivus veterum primiceriorum successor eorumque iurium ac privilegiorum realis possessor; sed tantummodo qua simplex parochus loco capituli, ne insignis ecclesia deserta maneret, et ut animarum curae provideretur, suffectus.

Congruit et implicita eorumdem parochorum s. Andreae confessio ; nam potiora iura iurisdictionesque veterum primiceriorum numquam ausi sunt sibi vindicare. Quod si nomen primicerii, et cum nomine honoris quoque insignia et officia sibi tribuerunt, hoc sensim sine sensu, ex abusu, vel ex aura populari contigisse potest et facile explicatur. De cetero haec minora quidem sunt : nec destruere valent argumentum quod ex omissione omnium aliorum potiorumque iurium, et ex acquiescientia ad illud, efformatur.

Si autem actuales parochi s. Andreae mero temporis ordine et nomine tenus veteribus dignitatibus succedunt, minime vero iuridice; iam nihil emolumenti exinde desumere valent. Iura autem dignitati concessa, interitu rei, vel amissa

dignitate, cessant, iuxta ***L. 69 et 167 De reg. iur. civ. et 14 De reg. iur. in VI.***

Quae conclusio maiorem vim nanciscitur ex eo quod iii materia sumus privilegiorum et exemptionum; quae non modo episcopalem auctoritatem et dignitatem, sed et socios parochos aliquatenus offendunt, ceu Episcopus commemorat. Etenim in hisce, praesertim si dubium aliquod supersit strictam interpretationem esse adhibendam docet ***L. 7 Cod. De praec. Imper. off', et capp. 1 et 2 De fil. presb, in VI*** cum communi DD.

Pariter licet sub austriaca dominatione duodecim beneficiati ad ecclesiae servitium ibi restituti reperiantur, non exinde capitulum restitutum videtur. Siquidem praeterquam quod decretum restitutionis collegiatae latum non constat, sicut necesse fuisset ex allegata Pitonii doctrina, insuper attendendum est quod sacerdotes in ecclesiae servitium adsciti ***beneficiati*** vocati sunt, sicut adhuc vocantur, minime vero ***canonici.*** Et insuper ipsi, sicut ecclesia et parochus, Episcopo subiecti semper manserunt, et ab eo omnimode dependentes fuerunt, nec vetera iura sibi unquam arrogaverunt; quod certe facere serius ocius non omisissent, si suivissent se in capitulum esse constitutos, et veteribus canonicis esse suffectos.

Relate vero ad concessionem insignium quam ex Gregorii XVI rescripto beneficiati obtinuerunt, eam aut ex benignitate Principis aut forte, sicut Episcopus suspicetur, ex quadam obreptione obtinuisse videntur. In precibus enim ad gratiam obtinendam ratio decoris respectu etiam Abbatis mitrati ad effectum gratiae allegabatur. Quae ratio sin minus dubia erat.

Ex quibus omnibus concludendum esset nihil iuris, nihil prorsus honoris primicerio parocho s. Andreae competere, imo nec proprie nomen primicerii. Unde ex rigore iuris, iuxta haec, ipse adigendus non modo esset ad officia parochialia obeunda et missam parochialem celebrandam sicut omnes alii parochi, iuxta praescriptum ***sess. 27 cap. 1;*** sed etiam ad

insignia honoris expolianda; nisi tamen in memoriam veteris collegiatae S. C. C. censeat aliquid honoris huic parocho esse servandum, aut de novo ex speciali indulto tribuendum.

Quibus animadversis, proposita fuerunt enucleanda sequentia

Dubia

I. ***An parocho s. Andreae iura primicerialia honoris competant in casu.***

Et quatenus negative.

II. ***An et quomodo annuendum sit precibus Episcopi in casu.***

RESOLUTIO. Sacra C. C. re cognita sub die 16 Iunii 1888 censuit respondere : ***Attentis loci ac temporum circumstantiis, nihil esse innovandum, dummodo tamen Primicerias s. Andreae pontificalia non peragat*** *eadem* ***hora, qua Episcopus.***

Ex QUIBUS COLLIGES. I. EX DD. sententia Collegiatam, quae talis actu et usu esse desinat etiam per longissimum tempus, per mortem canonicorum, aut per aliam causam, habitu tamen permanere talem.

II. Suppressionem civilem haberi in canonica iurisprudentia tamquam spoliationem, per quam nullimode extinguuntur iura, et privilegia Collegiatae.

III. Dum collegia et ecclesiae, omnia iura et privilegia amittunt si destruantur a legitima auctoritate, causa cognita; si ex adverso opprimantur a latronibus vel tyrannis, vivunt, et quodam modo extat anima sine corpore ; et omnia privilegia permanent; nam si res de iure destruitur, cassatur etiam titulus; spoliatio autem, iniuria peracta non aufert titulum nec nomen.

IV. In themate nedum Ecclesia materialis servata est, sed ipsum Capitulum, et Primicerius, capituli ipsius caput; et parochialitas non fuit qualitas superveniens, quae ipsam collegialitatem destrueret, dum eadem iam adesset simul cum ipso capitulo.

V. Regulam in hac materia esse: nisi contrarium plene et concludenter probetur, praesumi de iure continuationem collegialitatis, quando ab initio constat de eius statu.

VI. Collegialitas per Episcopi decretum non supprimitur; quia non est in Ordinarii facultatibus posse erigere Collegiatam aut decernere suppressionem iam existentis.

VII. In themate quum Episcopus neque surppresserit per suum decretum collegiatam, neque formiter probatum fuerit aliquo modo collegialitatem tractu temporis defecisse, rite praesumptum est ius, et nomen collegii in uno Primicerio permansisse, in cuius favore Apostolica Sedes censuit esse etiam manutenenda iura primicerialia honoris, olim indulta.

VILNEN.

NULLITATIS MATRIMONII

Die 7 Aprilis 1883 et 16 Iunii 1888.

Sess. 24 cap. 1 De Ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Francisca Kostrov/itzky a teneris annis parentibus orbata sub tutela recepta fuit amitae Annae viduae Sdekowski, quae paulo post eam instituendam tradidit monialibus a Visitatione, penes quas plures transegit annos. Deinde tutrix adulescentulam e monasterio reduxit; et hoc tempore, una cum praedicta nepte, sibi etiam in propria domo adscivit sororem Leucadiam Sianogenska, mulierem, ut asseritur, avidam, crudelem et sororis substantiis inhiantem. Huius igitur instigatione et tutricis minis perterrita Francisca, tunc annos nata 17, nuptias iniit cum nobili iuvene Boleslao Nemorsciansky in privata amitae domo die 5 Aprilis 1866, dispensatis proclamationi bus.

Post matrimonium Francisca quae virum numquam valde dilexerat, eumdem quammaxime aversari coepit; unde saepius relicta maritali domo, ad tutricem redibat, a qua reiecta, identidem ad virum suum reversa est, quocum duos habuit filios.

Aversione tamen in virum in dies augescente, Francisca aliquando sibi vitam auferre constituisse visa est, donec anno 1873 causam nullitatis matrimonii coram episcopali vilnensi curia promovit ex caiite vis et metus.

Confecto processu pluribusque auditis testibus, exceptis tutrice eiusque sorore quae peregre tunc abierant, Consistorium Vilnense die 20 Decembris sententiam pro nullitate matrimonii tulit. Quam sententiam Consistorium metropolitanum Mokiloviense in secundo appellationis gradu, postquam quaedam acta compleri mandavisset atque niatrimonii ex officio defensorem audivisset, omnino confirmavit, reservata tamen Archiepiscopo huius alterius sententiae approbatione antequam ea executioni demandaretur.

Sed Archiepiscopus huic sententiae adhaerere haud censuit, reputans validum atque legitimum eiusmodi matrimonium.

Tutrix eiusque soror, quae veluti saevitiarum actrices traducebantur, auditae adhuc non fuerant; dein examini subiiciuntur. Soror tutricis fassa est sese ex parte caussam, fuisse huius Franciscae infortunii: quoniam nihil praetermisit, ait illa, ut una cum tutrice nuptias Franciscae cum iuvene Boleslao conciliaret. Quoniam vero Francisca renuebat, virgis tutrix usa minitata est eam e domo expellere absque dote; cui interminationi Francisca paruit et matrimonium initum est. Tutrix vero pariter ait, sese causam fuisse huius infortunii Franciscae eam cogendo minis et physicis cruciatibus ut Boleslao nuberet, quem evidenter valde non amabat. Eam, prosequitur tutrix, e domo mea eiicere absque dote minata sum, eamdemque tradere sorori meae Gorvatovae, quam Francisca valde timebat.

Hisce non obstantibus, Archiepiscopus sententiam Consistorii Mohiloviensis confirmare renuit: et S. C. C. cui causa delata fuit, ad dubium, ***An constet de nullitate matrimonii in casu :*** respondere censuit : ***Dilata et coadiuventur probationes., iuxta instructionem dandam a defensore ma-* trimonii ex officio.***

Defensoris instructione Vilnensi curiae transmissa, amussim fuit adimpleta; excepto quod tutrix Sdekowska, quae, iuxta praefatam instructionem, explicare debebat quinam fuissent physici cruciatus, quos praeparasse affirmaverat ad obtinendum Franciscae assensum, percontari non potuit, utpote quia vita iam iuncta. Ceteri testes iam alias excussi plus minusve cum nonnullis variantibus retulerunt quae in anteacto processu deposuerant. Duo tantum novi testes accesserunt inter famulas quae matrimonii tempore familiae Annae Sdekowska inserviebant.

Quarum prima ait, novisse Franciscam, et huius tutricem; quae sibi visa est bonae indolis: ipsam tutricem desiderasse conciliare nuptias inter Franciscani et Boleslaum antequam peregre discederet, nihil fidens in Francisca, quae homines amabat; tutricem minitatam esse Franciscae eam mittere apud sororem Gorvatovam nisi nuberet Boleslao: Franciscani praetulisse inire matrimonium cum Boleslao, quam mitti ad Gorvatovam, quae devote vivebat, neque tolerabat leves puellas. Scire praeterea, ait prima testis, Franciscam tunc temporis gestire de matrimonio ineundo cum Boleslao, qui omni studio et cura Franciscam prosequebatur.

Secunda vero testis ait, se nihil scire de vi et minis illatis Franciscae ad ineundum matrimonium cum Boleslao; sed tantum eidem Franciscae dictum fuisse ut eligeret inter duo; nempe aut nubere Boleslao, vel ire apud Dominam Gorvatovam : Franciscam praetulisse matrimonium : sciebat enim se leviter vivere non posse apud Gorvatovam, quae rigidam atque sanctam ducebat vitam et saepe saepius exorabat Franciscam, ut, levi derelicta vivendi ratione, vitam christianam ageret. Sex, ait eadem testis, perdurasse per menses amores inter Franciscam et Boleslaum qui noverat remisse amari a Francisca; sed hoc modificare sperabat, inito matrimonio.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO MULIERIS. Defensor qui mulieris partes tuetur in primis insistit in exceptione rei iudicatae, cum in hac

causa duae sententiae pro nullitate matrimonii conformes tam in prima instantia a Consistorio Vilnensi, quam in secunda a Metropolitano mokiloviensi prolatae sint, licet Archiepiscopus secundae huic sententiae suo placito haud accesserit. Nam contentiosa iurisdictio potest per delegatum iudicem exerceri, qui postquam sententiam definitive dixerit nefas est deleganti illam infirmare, iuxta utriusque iuris principia. « Iudex sententiam corrigere non potest, semel » enim male vel bene officio suo functus est. » ***L. 55 ff.*** De ***re iudicata et effectu seilt.;*** et Ferrari ***v. sententia n. 5.*** « Sententia definitiva semel a iudice prolata non potest ab » eodem revocari. » Cum itaque una eademque sit delegantis •et delegati auctoritas, iurisdictio revocandi sententias nonnisi ad superius tribunal competere potest. Devoti ***Inst. Canon, tom. 1 tit. 2 § 82, Cap. 6 Decret.***

Eo vel magis Archiepiscopi adnotatio, ***nequeo ratam habere sententiam Consistorii,*** pro nihilo habenda est, quia ipse haec protulit non sedens pro tribunali et iuris ordine servato, sed acta causae perlegens in propria domo, et, ut aiunt forenses, ***in secreto;*** hoc autem modo numquam sententiam edici posse, docent ***leg. 6 Cod. De sent. et interloc, Cap. 5 De sent. et reiud. in VI,*** Devoti ***Inst. Canon, tom. III tit. 14 § 4,*** Ferraris ***verb. Sententia num. 11.***

Post quae defensor, primo ostendere sategit, matrimonium in casu nullum fuisse ex defectu libertatis consensus, secundo huiusmodi nullitatis vitium consanari haud potuisse -ex subsequenti copula et cohabitatione.

Et ad primum quod spectat, adnotato quod matrimonium sine consensu et consensus sine libertate consistere non possunt, ***cap. 25 De spons. et matr.*** ait, ad laedendam huiusmodi libertatem apertam vim magnamque formidinem haud requiri, cum preces violentaeque persuasiones, quae animum deflectere valeant, sufficere videantur : ita S. C. in ***Parisien. Matrimonii 25 Iunii 1864*** ad tradita per Cosci ***De separ. thori lib. I cap. 25 n. 21,*** Panimoll. ***Dec. 62 n. 23,*** Tondut. ***quaest. 117 num. 19.*** Maiorem namque libertatem in matrimonio, quam in aliis contractibus desiderari ; Sánchez ***lib. 4***

disp. 6 n. 2, Pontius ***De imped. matr. caus. 21 quaest. 2 et 3 § 13,*** Consci ***lib. I cap. 8 num. 38;*** aliique plures.

Hoc posito ex circumstantiis quae in themate occurrunt satis superque desumi posse, ait orator, Franciscae consensum, qui ad validitatem matrimonii requiritur, obstrictum fuisse ; inspectis in primis aetate et sexu puellae, quae e monasterio educta et quocumque destituta auxiliatore, sub potestate reperiebatur extraneae tutricis eiusque sororis indolis herilis erga neptem, quae eidem omnino submissa erat, ut refert testis Victoria Bogulansha, et alii, aliis verbis confirmant.

Hisce accedere prosequitur, magnam mulieris aversionem erga virum ante et post matrimonium panditam, ex qua arguitur consensus defectus et metus incussus ad tradita per Rota ***decis. 23 part. 12 recent, n. 7.*** De hac autem aversione satis esse citasse testem Korsan tutricis affinem, qui deposuit quod illum latere nequibant mutuus dissensus, et altercationes inter pupillam et tutricem propositi matrimonii causa ex una parte, et oppositiones ad idem subeundum ex altera. Testis autem Bogulansha, iuxta instructionem defensoris vinculi interrogata in novo examine, utrum odium a Francisca panditum fuisset vix peracto matrimonio, et num originem habuisset a coactionibus ad contrahendum, respondit: ante matrimonium coniuges non novisse; sed post annum ab initis nuptiis , Franciscam eidem pandidisse iram et odium in suum maritum, cum quo nuptias inire minis, coacta fuerat.

Nec refert, notat orator, quod testes de vexationibus et violentus in specie nihil referant, quandoquidem haec, ut plurimum, in secreto peragi solent. Et quod ita in casu factum sit ipsa Francisca exposuit in supplici libello - ibi - « Verum testes me deficiunt, qui viderunt quam crudeliter in me consuluisset tutrix mea. Tutricem necesse erat clam me vexare. Sciebat enim legitimam poenam subituram fuisse, si testes eius crudelitatis extitissent. Ipsa autem (moritura) professa est me saepe numero se crudeliter tractasse, itemque eius soror. »

Tametsi de coactionibus testis Korzak, tutricis cognatus affirmai : inter saevitias accensendum quoque est indesinenter Franciscam minis terreri quod mitteretur apud Gorvatovam, ad cuius nomen contremiscebat, et dote omnique subsidio ad vivendum privaretur. Atqui timor amissionis bonorum dicitur apud DD. timor gravis, cadens nempe in constantem virum; Sánchez ***De matr. lib. 4 disp. 5 num. 20 et seq.*** Pignatellus ***Consult. 77 tom. 7 n. G aliique.***

Depositiones vero duarum famularum nuper auditarum plurimi faciendas haud esse, animadvertit defensor, utpote quia analphabetae et viles ancillae, coram quibus domini numquam de rebus familiaribus et occultis colloqui solent.

Ad alterum quod spectat, scilicet matrimonium in casu ratifican haud potuisse subsequenti copula et cohabitatione, orator recolit, iure decretalium duo requiri ad matrimonium invalidandum, scientiam nempe nullitatis eiusdem, et spontaneitatem cohabitationis; Schmalzgr. ***tom. 4 part. 1 tit. 1 § 421.*** Sánchez ***De matrim, lib. IV disp. 18 n. 3. et seq.***

Imo non probata in coniuge nullitatis scientia, etiamsi accederet spontanea cohabitatio, matrimonium numquam ratifican posse, docet Barbosa ***Vot. decis. lib. 2 vol. 17 n. 48;*** non obstante filiorum supervenientia, quos tamen ecclesia uti legitimos habere voluit, ***cap. 2 tit. Qui filii sint legit.*** In themate neuter ex his duabus conditionibus verificatur; et hoc comprobari, ait orator, ex constanti Franciscae aversione in virum, et ex eo quod inexpers puella cuiuscumque iuris ignara ad suam infelicem conditionem medendam non aliam viam superesse putavit, quam sibi vitam obtruncare, nisi aliorum consilio edocta fuisset, posse pro nullitate iudicium indicere.

Sed haec ad abundantiam exposita voluit orator, cum post Conc. Tridentinum ad ratificandum matrimonium necessario occurrit illud iterum contrahere coram parocho et testibus. ***Trid. cap. 1 sess. 24,*** Fagnan. in ***cap. De illis de desp. impub. n. 13,*** Barbosa in ***Vot. decis. lib. 2 vol. 17 n. 178.*** Quod etiam firmavit S. C. C. in ***Ilispalen. 20 Iunii 1609***

lib. 11 Decretor, pag. 58 tergo, in Panormitana Nullitatis matrim. 20 sept. 1719 § ***Pro nullitate,*** in ***Gnesnen. Matr. 17 Decemb. 1735*** § ***Haec in aliisque.***

Tantummodo, addit, in casu occulti impedimenti, et quando nullum adest periculum, ut aliquando detegatur, consuevisse summum Pontificem, partibus libere consentientibus, dispensationem concedere a matrimonio renovando, ne scandalum oriatur ex detectione occulti impedimenti. Rota ***decis. 300 coram Serafini,*** et chorum agunt DD. Schmalzgrueber ***tom. IV part. 1 tit. 1,*** Cosci ***De separat, thori lib. 1 cap. 5 n. 85,*** Sánchez ***lib. 2 disp. 37 n. 14.*** In themate autem agitur de impedimento iam testibus noto et imo ad forum deducto. Ad rem vero Sánchez ***lib. 2 disp. 37 de matrim, n. 14.*** « Etsi parochus et testes ignoraverit coactionem in actu sacramenti, semper publicum est impedimentum, quod innotescere et probari potest etiam per duos solos testes in foro externo. »

Demum accedit quod coniuges minime vitae consortium instaurari postulant, sed immo mulier ab annis quatuordecim adlaborat atque instat pro matrimonii nullitate obtinenda.

ANIMADVERSIONES VINDICIS S. VINCULI. Vicissim vinculi adsertor ex parte sua adnotata in primis vult quaedam inter motiva, ob quae Archiepiscopus sententiae a consistorio Mohiloviense prolatae subscribere renuit, quaeque eidem Consistorio datis litteris statim renuntiare sategit.

In primis, scribebat ipse die 1 subsequentis Decembris, coniux Boleslaus Nemorsciansky interrogatus fuit absque praevio iuramento, atque absente matrimonii defensore. Etsi autem iuramentum praestiterit, haud confirmavit praecedentes declarationes. Depositiones ipsae Franciscae dubitare faciunt num illa coacta fuerit ad matrimonium cum Boleslao; sic ad exemplum quaestioni n. 5 respondit: septem habitavi annos cum Boleslao ; prima ego fui quae consilium dedi, ut vita communis derelinquere tur, quia maritus mihi invisus factus fuerat. Cum responderet 4. interrogationi fassa est : se implevisse onera coniugalia tantum initio

secundi anni a matrimonio inito. Quam Franciscae confessionem Archiepiscopus veritati haud consonam censet, nam nuptiae initae fuerunt die 5 Aprilis 1886, dum eius filia Alina, nata atque baptizata fuit die 27 Novembris 1867.

Sed hisce etiam sepositis, matrimonii defensor EE. PP. attentionem revocat super epistola, quam Vilnensis Episcopus, post expletum processum, idest die 2 Ianuarii 1884 S. C. transmisit, in qua dum gravissima deduci contra aliam matrimonii causam, eadem ad praesentem quoque casum extendit. Scribit enim praesul : « Causa ista, coniugum Rimkiewicz, praeter defectum iurisdictionis ex parte vicarii capitularis Zylinski, cui erat proposita discutienda, laborat etiam vitio ***fraudis et praevaricationis,*** cum acta totius processus peracta fuerint ***non ex conscientia.*** Hanc causam, qua defensor vinculi olim in Consistorio mohiloviensi, bene cognoveram et ad sententiam deveni, utramque partem ideo nullitatem contracti matrimonii praetendere, quasi illud ratione vis illatae invalide contraxisset, ut ***libidini liberius indulgeat*** et secundas nuptias ***sacrilege*** contrahat. ***Idem dicendum et de actis processus matrimonialis coniugum Niemorszanslii.*** »

Et quamvis Praesuli datum non fuerit, prouti S. C. C. ipsi mandaverat, rationes quibus opinio ab ipso pandita innitebatur diserte enucleare, ex eo quod laicae potestatis iniuria in Siberiam relegatus sit, nihilominus, ait vinculi defensor, testes examini iussu EE. VV. iterum suppositi satis superque ostendunt, processum illum reapse fraudis vitio et praevaricationis laborare, et acta totius processus non ex. conscientia peracta fuisse. Proinde probationes primitus collectas nedum insufficientes, sed nullo prorsus in pretio esse habendas.

Re sane vera Francisca in primo processu asserit sese e domo suae tutricis Sdekonska eiectam fuisse cooperatione sacerdotis Patzinko, qui hac de re rogatus, verum esse ait.

Sed idem sacerdos in novo processu ad examen iterum adductus, conceptis verbis, negat se interfuisse, negat ipsas

quas in primo processu affîrmaverat, preces, suasiones, violentias in Franciscam adhibitas.

Praeterea iuxta primi processus tabulas, Anna Sdekovska, Franciscae tutrix se ream esse fatetur, ac violentias et minas adhibuisse ad extorquendum pupillae consensum in matrimonio cum Boleslao, imo ad hoc physico s, ait, cruciatus excogitasse. Huiusmodi violentias parochus Patzinko in eodem primo processu confirmat, quasi eas ab ore ipsius Annae Sdekovska acceperit. In novo vero processu eas violentias inficiatur. Quod et Fatiana Martinovicz una ex novis testibus plane confirmat. Et merito, nam si huiusmodi saevitiae revera extitissent profecto parocho Patzinko, certe innotuissent, et matrimonium coactum consequenter minime permisisset.

Nec satis : in praeteritis comitiis exhibita est depositio Aemiliae Veronetz, plura asserentis ab ipsa Francisca audita de querelis et odio eiusdem erga virum suum et de violentus ad matrimonium adhibitis. Attamen examini denuo supposita Aemilia Veronetz fatetur: sese nescire an vere Francisca coacta fuerit ad matrimonium ineundum.

Imo testes novissime acciti, ut ex eorum verbis superius recitatis apparet, praedictum mulieris odium in virum, nonnisi moribus, haud pudicis, Franciscae adscribunt.

Postremo, inquit vinculi defensor, si tabulis primi processus stetur, nil scelestius excogitare posset, quam tres illae sorores Sdekonska, Sianogenska et Gorvatova ; sed versa vice in tabulis novi processus illae sorores apparent egregio ingenio praeditae et religione praestantes.

Optimo itaque iure, notat hic defensor, Sdekonska eiusque soror, antequam iter susciperent, Franciscae alternativam proposuerunt, aut nubendi, aut cum Gorvatova morandi, utpote quae levi Franciscae ingenio apprime quadrabat, eiusque honestati prospexisset. Ab ea autem certe nihil erat reformidandum, si Francisca pudice ac christiane vivere adamasset. Iamvero coactae dici haud possunt nuptiae quae peraguntur, quando peccandi impunitas sperari non potest.

Ad illud demum quod ex adverso contenditur, tutricem nempe Franciscae minitatam esse privationem dotis et praesidiorum vitae; respondet vinculi adsertor, misso quod in novo processu de hoc, nec vola nec verbum habeatur, illae minae iustum metum non constituunt, quia neque iure, neque per iniuriam pupillam dote aliisve bonis fortunae privare potuisset tutrix, quippe quae nudam habebat pupillarium bonorum administrationem et legum rigori obnoxiam.

Quibus praenotatis, propositum fuit diluendum

Dubium

An constet de matrimonii nullitate in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re cognita et discussa sub die 16 Iunii 1888 censuit respondere : ***Negative.***

Ex. QUIBUS COLLIGES. I. Quando exercetur contentiosa iurisdictio per delegatum iudicem, delegans, qui unam eamdemque habet cum delegato auctoritatem, nequit infirmare prolatam sententiam a delegato, qui male aut bene officio suo functus est.

II. Sententiam definitivam semel prolatam non posse ab eodem iudice revocari; et ideo cum auctoritas[1] iudicis delegantis et delegati una atque eadem sit, nemini ex duobus fas est sententiam revocare prolatam ; quae iurisdictio competit tantum superiori tribunali.

III. Matrimonium sine consensu, et consensum sine libertate consistere non posse.

IV. Ad laedendam libertatem non requiri semper apertam vim et magnam formidinem; sed aliquando sufficere posse preces et violentas persuasiones, quae valeant animum deflectere: quoniam in matrimonio requiritur maior libertas, quam in aliis contractibus.

V. Matrimonium nullum ex impedimento publico revalidan non posse per subsequentem copulam et cohabitationem, sed, ex Tridentino, iterum contrahi debere coram parocho et testibus.

VI. Matrimonium in themate fuisse nullum ex capite vis et metus, formiter haud probatum fuisse; quia minae et preces adhibitae ad Franciscae animum movendum, tales non fuerunt quae iustum constituere possent metum, ad BE. Iudicum mentem; ideo rescriptum fuisse non constare de invaliditate matrimonii.

REGIEN.

SERVITII CHORALIS

Die 16 Iunii 1888.

Sess. 24 cap. 12 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Iam decem ab hinc annis clerus seu capitulum ecclesiae s. Nicolai civitatis Regii preces porrexerat eum in finem, ut onus chorale leniretur, cum, sacerdotum numero reducto et reditibus diminutis, grave nimis esset servitium ferre eadem ratione ac antea. Et die 15 Iunii 1878 in generali EE. PP. conventu re scribebatur : « Pro gratia iuxta votum Episcopi sub ***num. II,*** quoad usque praesentes circumstantiae perduraverint, facto verbo cum SSmo. » Votum autem Episcopi sub ***n. II*** has limitationes ad gratiae concessionem ponebat, ut scilicet « obligatione ***quotidiani officii diurni*** retenta, cum unica missa conventuali, etiamsi vel tertia a rubricis imperata, ab officio nocturno exemptio concedatur, exceptis tamen festivitatibus per annum solemnioribus, nempe: Paschatis, Pentecostes, Nativitatis et Epiphaniae D. N. I. C, ac solemnitate Corporis Christi eorumdemque octavis ; Ascensionis Domini, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis B. M. V., solemnitate s. Iosephi sponsi B. M. V., ac festivitatibus ss. Apóstol. Petri et Pauli; omnium Sanctorum; Titularis, et Dedicationis propriae ecclesiae s. Nicolai episcopi. Ab hisce autem obligationibus nemo ex collegiatam componentibus eximi valeat, sed omnes tum ex Ordine presbyterali, tum ex clericali interesse teneantur. »

Nunc vero iidem presbyteri iterum s. Sedem adeunt nova amplioraque indulta poscentes. Aiunt enim: quod tempore indulti apostolici possibile erat, nunc impleri non posse, quoniam Collegiata nunc numerat quinque Sacerdotes tantum, et raro haud evenit quod duo vel plures chorum adire nequeant,- aut negociorum aut infirmitatis causa. Praeterea sacerdotes ipsi frui nequeunt vacationibus per constitutiones indultas.

Unde ad hoc onus paullulum levandum schema proponunt, ubi servitium chorale-, ad 115 dies coarctatur, in quorum tamen plerisque horae diurnae et missa conventualis tantummodo praescribuntur, reservato integro officio nocturno et diurno cum missa solemni in nonnullis solemnioribus anni diebus. Insuper distinguunt puncta servitii et assignant 9 puncta pro ufficio dominicarum communium per annum, et nonnullorum aliorumque festorum minorum, duplicata tamen aut triplicata punctatura in ceteris aut solemnioribus anni diebus aut in iis, in quibus integrum officium recitatur. Atque ita 1236 puncta assignant pro universo anni servitio.

Itaque duo postulantur, 1. nempe reductio servitii tum quoad numerum dierum, tum quoad onus officii, et 2. ut vacatio non per dies et menses, sed per puncta fieri possit.

Rogatus Episcopus respondit, novum schema servitii concinnatum fuisse de suae curiae consensu et consilio, ipsumque videri iustum et equum: ideoque se commendare.

Disceptatio Synoptica

PRECES RESPUENDAE VIDENTUR. Integri quotidie officii persolvendi lex in Conc. Trid. ***Sess. 24 cap. 12 De reform.*** praescripta, constanter a S. C. C. defensa, confirmata et ipsis reluctantibus imposita passim fuit, ut firmat Benedictus XIV ***Inst. eccl. 107 num. 7 seqq.***

Idem dicendum de missa conventuali, quam quotidie pro benefactoribus applicandam declaravit ac sanxit, ceteris omissis, idem Benedictus XIV ***const. Cum semper oblatas*** diei 19 Augusti 1744.

Relate vero ad vacationum modum, Tridentinum ***cit. cap. 12 sess. 24*** trimestre ad hunc effectum concessit: trimestre autem mensibus et diebus conflatur, non vero punctis horisque canonicis : unde ipsa legis littera se opponi petitioni cleri ecclesiae s. Nicolai. Accedit peremptoria S. C. Concilii declaratio quae data fuit in ***Aquilana 17 Iunii 1594*** contenta in ***lib. S Decret, pag. 92 a tergo:*** - ibi - « Sacra Congregatio censuit novem mensium non esse colligendas punctaturas , quasi ii qui novem partem punctaturarum ex •duodecim quae ex totius anni condantur deserviendo tulerint, servitio novem mensium debito satisfecerint, sed ipsos dies residentiae et servitii sive continui fuerint sive interpolati numerandos esse, ut numerum compleant dictorum novem mensium. >

Insuper practice observo, quod cum servitium ad 115 dies reduci postuletur, atque in iis onus officii plerumque dimidiatum habeatur, satis superque vacationis oratores habere viderentur, quin adhuc biscentum et amplius puncta libera eisdem tribuantur.

PRECES EXCIPIENDAE VIDENTUR. Verumtamen ex alia parte pensare oportet 1. ecclesiam s. Nicolai, licet collegiata communiter atque in ipsis apostolicis diplomatibus plerumque nuncupetur, reapse non esse, nisi ecclesiam receptitiam. Nam ab initio quidem, desinente scilicet saeculo XV, fratres Zoboli eam in collegiatam cum praeposito parocho erigi postularunt et obtinuerunt; at ex novis patronorum precibus Sixtus IV die 9 Februarii 1481 canonicis et beneficiatis substitui permisit octo sacerdotes et quatuor clericos inferiores ad nutum patronorum amovibiles. Et haec dispositio semper usque ad praesentem diem servata fuit.

Et quamvis ex ipsis apostolicis bullis Sixti IV huiusmodi sacerdotes ad chorale servitium, missam scilicet conventualem et officium, adigantur, haec tamen praescriptio est effectus magis voluntatis fundatorum, quam legis disciplinaris capitulorum. Unde ad exaudiendas in themate preces, seu ad reducendum chori servitium non videtur reapse obsistere com-

munis ecclesiae lex, idest lex disciplinaris capitulorum, sed potius fundatorum voluntas.

At sive haec sive illa obsistat, res incidisse videtur in eo statu, a quo incipere non poterat, et in quo aliqua nova dispositio sive haec appelletur commutatio voluntatis, sive legis dispensatio, necessaria apparet.

In quam sententiam, sicut et alias pluries, sic et decem abhinc annis favore eiusdem cleri s. Nicolai prorsus ivit S. C. C. Porro si eo tempore eam reductionem servitii, qua ferme dimidiatum onus manebat, S. C. O. probavit ; hodie quum viribus et aetate infirmiores, numero vero pauciores facti sunt canonici, ulteriorem reductionem ipsa rerum natura iubere videtur.

Quae tamen et quota reductio, et utrum ea, quam poscunt oratores et Episcopus commendat, sit admittenda, remissum fuit iudicio EE. Patrum. Dein suppositum fuit resolvendum

Dubium

An et quota reductio choralis servitii concedenda sit oratoribus in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, causa cognita sub die 16 Iunii 1888, censuit respondere : ***Affirmative iuxta petita.***

ANNECIEN.

DECRETORUM QUOAD PRIMAM COMMUNIONEM

Die 21 Iulii 1888.

Sess. 13 Decr. De SS. Euchar. sacr. cap. 2.

COMPENDIUM FACTI. Litteris pastoralibus diei 27 Decembris 1884 anneciensis Episcopus haec inter alia ferebat decreta : nullus puer masculus aut femina haud admittetur ad primam peragendam, communionem 1. nisi expleverit duodecimum annum 2. nisi exacte secutus fuerit catechismum in duobus ultimis annis.

Pueri ab octavo ad decimum annum habebunt catechismum bis in hebdomada; idest die iovis, et die dominico, hora, quam constituerint Parochi, iuxta conditiones speciales quibus reperiuntur eorumdem paroeciae. Pueri, qui assidue non fuerint secuti per dictos duos annos catechismum, cooptari nequibunt a decimo aetatis suae anno inter eos, qui ad primam praeparantur communionem, et actio haec permagna pro eis differetur per plures menses aut etiam pro integro anno. Ab exordio anni 1885 prima puerorum communio locum habere nequibit in qualibet paroecia Dioecesis huius ante diem mensis maii.

Sed haec decreta, ea praesertim quae aetatem ac diem primae communionis respiciunt, nonnullis inter parochos haud arriserunt, atque eos inter potissimum parocho archipresbytero loci ***Clauses,*** nomine Tissot, qui ideo sub initio anni 1887 ad S. Sedem provocavit, petens utrum indicata decreta aetatem ac diem pro prima puerorum communione assignaiitia, valida essent, et in conscientia obligarent.

Interim Episcopus suas dispositiones publica epistola diei 11 Martii 1887 tuebatur. Inter haec exquisitum fuit votum R. Consultoris qui dubiis a parocho Tissot praepositis, utrum scilicet decreta aetatem ac diem pro prima puerorum communione praescribentia valida essent et in conscientia obligarent, respondendum censuit affirmative.

Sed cum non acquiesceret parochus, hinc super hoc negotio suprema EE. PP. sanctio exquisita fuit.

Disceptatio Synoptica

PAROCHI IURA. Porro in suam defensionem parochus, seu, parochi nomine, eius patronus, considerat gravissima D. N. I. C. verba quae leguntur apud Ioannem ***cap. 6 'c. 54-56:*** « Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis... caro enim mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus. »

Quibus verbis Eucharistia relate ad vitam nostram spiritualem in eodem gradu ponitur ac materialis cibus relate ad physicam hominis vitam: et sicut cibo potuque vescimur ac sustentamur, eoque, statim ac in lucem prodimus, egemus ; sic et divina illa esca ad vitam spiritualem servandam opus est homini, statim ac ad annos discretionis pervenit, docente S. Tridentino Concilio, ***Sess. 13, cap. 12, decret. De SS. Euch, sacram.,*** fideles passionum pondere occumbere nisi « spirituali hoc animarum cibo alantur et confortentur, nisi sumant antidotum quo liberentur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeserventur.» Unde orator, hoc stante, concludit, quod sicut improvida censenda esset principis lex, quae praefigeret tempus, quo primum infantes cibo nutriendi essent, sic et improvida iudicari oportet dispositio, qua pueri ad sacram synaxim accedere ante expletum duodecimum annum absolute prohibentur; nam per hoc plures qui possent ad celestem mensam devote ac reverenter accumbere, a vitiis liberari, et pignus futurae gloriae et perpetuae felicitatis recipere, diu et cum suo forte fatali exitio arcerentur.

Unde iustissime ecclesia, in suis generalibus legibus, non quidem annorum numerum, sed mentis conditionem respicere iussit in pueris ad primam communionem candidatis. Vult enim, ut ad sacram mensam accedant quotquot devote ac reverenter id peragere possunt ; quod a maturitate iudicii rerumque spiritualium intelligentia, ad quam ***alii tardius alii citius*** perveniunt, potissimum pendet; Benedictus XIV ***De syn. dioec. I. 7, cap. 12.***

Et revera haec habet IV Lateranense Concilium relatum in ***cap. 12, lib. 5, Decret, tit. 38:*** « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ***ad annos discretionis pervenerit,*** omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti; et iniunctam sibi poenitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae sacramentum. » Concilium vero Tridentinum ***sess. 12, can. 9*** edicit: « Si quis negaverit omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, ***cum ad annos dis-***

cretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate, ad communicandum, iuxta praeceptum sanctae matris Ecclesiae, anathema sit. »

Ubi notanda sunt verba illa « ad annos discretionis » quae apertissime excludunt taxativam ac fixam aetatem et innuunt attendendam potius esse moralem capacitatem.

Quapropter haec merito tradere videtur s. Alphonsus ***Theol, moral, lib. 6 n. 302:*** « Communiter dicunt Doctores, regulariter loquendo, pueros non obligari ad communionem ante nonum vel decimum annum... Dictum est regulariter, nam, ut advertunt auctores, citius possunt obligari pueri, qui ante talem aetatem perspicaciores conspiciuntur. Unde recte reprehendit Roncaglia ***cap. 6 reg. 5*** parochos, qui indiscriminatim non admittunt ad Communionem nisi pueros in certa aetate constitutos. » Et vel durioribus verbis concludit Vasquez ***in 3 Sancti Thomae disput. 214 cap. 4 num. 44:*** « Si puer semel ad hunc usum rationis pervenerit, statim ipso iure divino ita obligatur, ut Ecclesia non possit ipsum omnino liberare. »

Suffragatur etiam auctoritas Cathechismi Romani qui ***n. 63 de Euchar. Sacram,*** docet pueros, admittendos esse ad sacram synaxim cum primum huius sacramenti cognitionem et gustum inceperint habere ; atque addit, id definiendum esse non a decretis, non ab annorum numero, sed a parentum et confessarii prudenti consilio : - ibi - « Qua vero aetate pueris sacra mysteria danda sint, nemo melius constituere poterit quam pater et sacerdos, cui illi confitentur peccata. Ad illos enim pertinet explorare et a pueris percontari an huius admirabilis Sacramenti cognitionem aliquam acceperint et gustum habeant. »

Sed quod magis est ipsa occurrit S. C. C. aperta sententia. Nam cum ageretur de revisione concilii provincialis Rothomagensis, ubi ad ***tit. 2 de Eucharistia n. 2*** haec disponebantur : « Nemo ad sacramentum Eucharistiae prima vice suscipiendum admittatur, quin duodecimum saltem annum certo attigerit. Meminerint autem parochi se pueris, quos

rite dispositos invenerint, diutius denegare non posse panem illum supersubstantialem, qui est animae vita et perpetua sanitas mentis: » S. O. C. die 15 Martii 1851 decrevit hunc articulum esse reformandum, et haec docuit : « Nulla canonica lege sancitum est ne Communio ministretur pueris ante duodecimum aetatis annum ; hinc satius esse visum est Emis Patribus ***num.*** *2* primam periodum delere ac dicere ad formam tam Ritualis Romani, quam Catechismi romani ad Parochos iussu Concilii Tridentini editi : - Nemo ad Sacramentum Eucharistiae prima vice suscipiendum admittatur, qui nondum huius Sacramenti cognitionem et gustum habeat iudicio praesertim Parochi ac sacerdotis, cui peccata puer confitetur. Meminerint autem Parochi se pueris, quos rite dispositos invenerint, diutius denegare non posse panem illum supersustantialem, qui est animae vita et perpetua sanitas mentis. »

Quin dicatur, in themate decretum, aetatem 12 annorum pro prima communione assignans tolerabile fieri ex eo quod Episcopus dispositus sit ad eius moderationem. Etenim Episcopus in publica epistola 2 Februarii 1887 utique adpromittit a rigore decreti se dispensaturum ; sed sub hac duplici conditione 1. ut pauci sint dies qui puero deficiant ad implendam aetatem requisitam; 2. ut parochus ab Episcopo ipso obtinere debeat dispensationem. Ex quibus elucet sponderi episcopalia decreta in minima prorsus parte moderatum iri; imo et sub modo non undique tuto. Etenim S. Poenitentiaria die 8 Iunii 1843, prout refert ephemeris ***Amico Cattolico pag. 16 an. 1852,*** cum deprehendisset praxim in quodam loco vigentem manifestandi superiori ecclesiastico nomina iuvenum quos oportebat ad sacram mensam prima vice admitti, hanc praxim alte reprobavit ; et merito quidem : nam non sine aliqua revelatione spiritualium puerorum necessitatum, et quadam contigua sigilli sacramentalis laesione, huiusmodi manifestatio fieri plerumque non potest.

Neque ad cohonestandum decretum magis valet, iuxta oratorem, appellatio ad tristes praesentis temporis religiosas

conditiones in Galliis; quia scilicet innumerae difficultates* ad christianam puerorum educationem Opponuntur, et quia in praesentiarum prima communio est, eodem tempore et rerum necessitate, praeparatio ad totam christianam vitam, et occasio, quae numquam renovabitur.

Quandoquidem haec omnia suaderent, ut nemo ad s. Synaxim admitteretur, nisi esset sufficienter, imo abundanter instructus , et nisi diu ecclesiasticae catechesi antea vacasset: et insuper haec omnia suaderent, ut parochi omni studio pueros accerserent, eosque educerent et ad S. Sacramentum praepararent atque admitterent antequam inimicus homo in eis superseminavisset zizania.

Urget enim divina lex, qua compelluntur fideles ad Christi corpus sumendum si in Christo vivere velint ***(Ioan. cap. 1 v. 58)*** ad recipiendum scilicet antidotum, quo a culpis quotidianis liberentur, et a peccatis mortalibus praeserventur, ***Trid. sess. 13 cap. 12;*** quae ratio iuxta s. Thomam ***part. 3 q. 80 art. 9,*** adeo valida est, ut suadeat hoc sacramentum ne esse quidem denegandum iis qui debilem habent rationis usum.

A fortiori itaque non videtur recusandum aut remorandum pueris, de quibus haec docet clarus De Segur ***op. de la très-Ste Com. :*** « Le danger des mauvaises moeurs se présente immédiatement (post adeptum rationis usum). - Quant à la réalité (inquit) de péchés mortels chez les jeunes enfants de sept, huit et neuf ans, c'est un fait si évident, si malheureusement certain, et j'ajouterai si malheureusement fréquent, qu'il ne faudrait avoir aucune expérience des enfants pour le révoquer en doute. »

Cui consona sunt quae habet Abrate ***op. Lo spirito del parroco vol. 2.,*** ubi ita edocet animarum rectores : etsi vobis ponderandum sit ne aliquem admittatis ad s. mensam, nisi prius certi sitis, praevio examine, de eiusdem mediocri instructione in rebus necessariis, tamen abstineatis oro ab illorum rigiditate, qui nimis exigendo a pueris, et eosdem subiiciendo antecedenter excessi vis probationibus, eos admit-

tunt tandem illa aetate, qua Spiritus malignus iam animas eorumdem pervasit. Si fieret prima communio in statu innocentiae, uberiores fructus favore catholicismi haberentur, et impulsus maior ad bene agendum. Diebus nostris, quoniam vitium est sollicitius, anthidotum anticipari debet ad eius effectus praecavendos ; ita ut statim ac iuvenis pervenerit ad cognitionem sufficientem de hoc quod recipere debet, sinatis eidem, ut accedat ad verum animae solamen, et in tuto ponat gratiae augmentum, quae si remoratur, sinit ut animarum corructio invincibiliter crescat. Crudelis parochus, si adsit, qui beneficium permagnum hoc deneget tenerae aetati suorum paroecianorum !

Et re quidem vera ob coactam diuturnamque primae communionis dilationem facile contingere potest, ut pueri ad eucharisticam mensam accedant non solum hoc longo studio fatigati, sed insuper vitiorum coeno infecti et aestu passionum abrepti, postquam de seducenti voluptatum calice late iam hauserint, ideoque forsitan angelorum panem fastidientes, ac triste secumferentes propositum non amplius redeundi.

Accedit quod si pueri primam communionem peragant dum adhuc scholis vacant, in tenera adhuc aetate, sub iam. parentum tutela, diebus selemnioribus aut dominicis in quibus feriantur ad sacram mensam facile accedere possunt, et huic sacro convivio sic paullatim assuescere; dum e contra si primum communicent exacto iam duodecimo aetatis anno, simulque emenso studiorum curriculo, quia in Gallus pueri ad scholas usque ad hanc aetatem adiguntur, ob id etiam difficile erit pueris praesertim masculis ad sacram synaxim ulterius accedere, quia ad nova ac laboriosa negotia exinde se addicunt.

Merito itaque concilium provinciale Albiense ***tit. 5 De pr. commun,*** haec docuit: « In quibusdam paroeciis plures saepius inveniuntur utriusque sexus pueri, qui nondum panem eucharisticum degustaverunt, licet ad discretionis aetatem iampridem pervenerint, quod vix absque incuria pastorum accidit. Ex ea negligentia non raro, iuvenes praesertim to-

tam vitam, aut saltem adulescentiam, transigunt quin Sacramenti subsidia recipiant, aut ad illud non prius accedunt quam in peccatis innumeris et vitiorum caeno volutati. Ideo parochis praecipimus, ut speciali cura pueris invigilent, eos assiduo edoceant et debite disponant quo maturius sacram mensam adire possint, ea scilicet aetate qua discernere valent corpus Domini et qua nondum vitiis foedati, innocentiam ut plurimum retinent. Aetas haec communiter intra decimum annum versatur. » Et concilium provinciale Tolosanum anni 1850 ***decr. 72:*** Quantocius ad primam huius Sacramenti perceptionem admittantur pueri, quos congrua pietate et sufficienti mysteriorum fidei scientia praeditos iudicaverint parochi vel confessarii. » Et Concilium provinciale Auxitanum anni 1851 : « Caveant animarum rectores, ne incuria sua tardius differatur prima Communio, qua impetu! libidinum occurrere expedit. »

Sed rem complet epistola Emi Cardinalis secretarii a Statu ad Episcopos Galliae directa die 12 Martii 1866, quae refertur in ***Analect. iur. ponti f. a. 1867,*** ubi haec ad rem leguntur : « Cum compertum sit quantum ad puerorum tuendam conservandamque innocentiam sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae frequentia conferat, et quantum assiduus eorum usus mirabiliter conferat ad alendam roborandamque succrescentem tenellorum cordium pietatem, quibus magnus infunditur ardor ad nostrae sanctae Religionis actus amplectendos. Hanc porro methodum, recusandi pueris sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae, S. Pater vehementer improbat, et episcoporum attentionem ac sollicitudinem excitat, ut rectam sequantur normam pueros ad Sacramentorum frequentiam admitientes. »

Et haec quoad decretum quo aetas puerorum et primam communionem admittendorum taxatur. Relate vero ad diem quem Episcopus praefinit decimotertio Kalendas Iunias posteriorem, notat orator ex Benedicto XIV ***instruct, ad cler. Rom. 18 Martii 1745,*** ex s. Carolo Borromaeo ***notif. 2, pag. 73,*** ex s. Alphonso in quadam sua praescriptione ad

clerum, et ex s. Francisco Salesio ***Const. synod. part. 4 tit. 10 n. 4,*** una prorsus echo edoceri, eos qui ad eucharistiam suscipiendam primum censentur capaces, speciali cura quadragesimali tempore instituendos esse, ad hoc ut possint in Paschate communi ecclesiae praecepto satisfacere.

Quae sententia ac praxis in se iustissima, recepta quoque erat in Dioecesi anneciensi ; cum ibi usque modo prima communio dominica die Passionis ministrari soleret.

Eaque insuper turbari sine damno non potest, prout ulterius contendit orator. Nam per ea loca familiae duplicem habent incolatum, hiemalem scilicet et aestivum ; et dum hiberno tempore planitiem inhabitant, incipiente mense Maio revertuntur ad montes, ubi pecora pascunt.

Neque procrastinatio huius diei comprobari potest ex eo quod hiemali tempore ad catechesim accedere frigore plerumque pueri impediantur : nam ipse Episcopus contrarium ostendit, quum novembri, decembri, ianuario et februario mensibus bis in hebdomada ad catechismum venire pueros iubeat. Et quia etiam cum iuvenes ad scholas accedere ob civiles leges adigantur, nil vetat quominus ante scholam antemeridianam, vel inter antemeridianam et pomeridianam in ecclesiam vel alio conveniant. Unde est quod parochus orator a die Omnium Sanctorum ad Pascha valeat quater vel quinquies in hebdomada parochianos suos catechesim edocere.

Nec quidquam refert quod Episcopus parochis permittat, ut etiam extra hanc diem pueros ad s. Synaxim admittere ipsi valeant; nam 1. id quasi poenae rationem habet, eo quod admissio fieri iubetur absque ulla prorsus solemnitate, et 2. quia haec permissio illusoria videtur; nam se refert ad eos, qui emenso iam catechesis curriculo, et exacto etiam duodecimo anno, ad sacram mensam statuta die se sistere non potuerunt aut non voluerunt, et attendere usque ad sequentem annum recusant.

Quibus stantibus orator concludit, gravem omnino videri legem, quia etiam sub censuris prohibentur parochi ne panem vitae egentibus ministrent, et pueri a satisfactione pas-

chali praecepti impediantur: neque erunt unice pueri qui in supremo iudicio se sistent, et respondere debebunt Deo ita, iuxta verba s. Francisci Salesii, peccatores compellanti et aggredienti: « Miserables, pour quoi êtes-vous morts ayant » en abondance et à commandament le fruit et la viande de » la vie? »

IURA EPISCOPI. EX altera vero parte Episcopus ad sua tuenda decreta patronum adscivit, qui ad rem 1. considerat spiritualem iurisdictionem tam in foro externo, quam in foro interno Episcopos per totam dioecesim iure proprio exercere, eorumque iurisdictioni, visitationi et correctioni subesse omnes fideles ipsosque animarum rectores in ecclesiis regularium licet existentes, pro uno ore tradunt DD. apud Bouix ***De Episc. cap. 3 tit. 1,*** et Ferraris ***v. Episcopus art. 6 n. 125.*** Unde Barbosa ***De off. et potet. Episc. p. 2 alleg. 1 n. 5,*** ita rem complet: « Vulgare axioma est, quod Episcopi in suis Dioecesibus omnia possunt quae potest summus Pontifex in universo orbe, exceptis specialiter reservatis. » Quapropter in themate, iuxta patronum, dubitari haud potest, quominus anneciensi Episcopo libera sit potestas praestituendi ea, quae ad christianam puerorum educationem et sacratissimi sacramenti administrationem concernunt; praesertim etiam cum Benedictus XIV ***Const. Et si minime 42*** ad christianam institutionem impertiendam Ordinariorum vigilantiam excitaverit, eosque primas partes in hac re habere monuerit. Et re quidem vera, quamvis Redemptor noster in commune nos ad indefessam vigilantiae curam adhortetur, specialem tamen populi principibus, idest Episcopis sollicitudinem mandat : hunc enim servum fidelem et praepositum familiae significat, commoda atque utilitates commissi sibi populi curantem : cuius proinde est curam dominici gregis habere, ac media docere, quibus oves ad aeternae salutis pascua tutius ac facilius ducantur.

At 2. controversa decreta non solum legitime data, sed et prudenter sapienterque confecta dicit patronus. Atque hic commemorat quam luctuosa sit hodierna gallicanae ecclesiae

conditio, ubi pueri in scholis et gymnasiis, per vicos et plateas, publicis privatisque exemplis scholasticis libris ac diariis ad impietatem et incredulitatem vehuntur, quin nullo salutari antidoto apud magistros pasci et curari valeant : unde sequitur pastorum curam diuturnam, sedulam ac industriis plenam esse debere, ut puerorum ingenia valeant viriliter educare, eosque possint contra insidias adversariorum strenue munire. Atqui id complere non valebunt, nisi primam puerorum communionem ad annos pubertatis differant. Mos enim est, utique deplorabilis, ut iuvenes semel ad sacram mensam admissi a catechesi se subtrahant, ab eaque exemptos se iudicent. Unde dispositio, quae aetatem respicit admittendorum ad sacram synaxim, iusta ac provida videtur.

Sed nec minus altera quae diem ad hunc effectum assignat. Notum enim est in Gallus, sicut alibi passim, admissionem ad eucharisticam mensam magna ecclesiae, puerorum ac parentum solemnitate agi solere. Porro ad hunc effectum mensem assignare Deiparae Virgini sacrum, tempusque praefinire ab agrorum cultura et messis opere liberum, sanctum ac sapiens videtur.

De cetero 3. necessitas et opportunitas legum, ab anneciensi Antistite latarum, comprobatur etiam ex facto Episcoporum totius Galliae. Audiatur sane anneciensis Praesulis relatio, ubi de hoc more Galliarum plura disserit, simulque alia commiscet, quae necessitatem harum dispositionum, attenta actuali Galliarum conditione, directe demonstrant.

« Sufficeret sane (ait) in memoriam recordari quod decreta mea circa puerorum in fide catholica instructionem ab omnibus Galliarum antistitibus, vel a triginta et amplius annis, vel anno praesenti decurrente, lata et promulgata fuerint; malo prorsus novo nova remedia quaerenda et applicanda erant; conditionibus .inauditis, in quibus res ecclesiasticae erga administrationem civilem in Gallia versantur, leges quaedam opportunae et peculiares opponi debebant. »

« Circa ea quae ad diem determinatam primae communionis attinent, observandum est quod, post luctuosissimam

Galliae revolutionem, sub fine saeculi XVIII solemnitas primae et communis participationis puerorum ad sacram Synaxim, inter praecipuas anni solemnitates recensita fuerit, et quidem in cunctis Dioecesibus nostrarum regionum festum erat non tantum puerorum, sed et parentum ; etenim in multis paroeciis, viri non pauci, hac tantum primae communionis die, portas ecclesiae transire non dedignabantur. Et haec solemnitas, tam in Dioecesi anneciensi, quam in ceteris Galliae ecclesiis, versus festum corporis Christi celebrabatur. Paulatim autem invaluit, in Dioecesi anneciensi, mos eam celebrandi dominica passionis Domini ; quae quidem recentior praxis non leve commodum parochis affert : etenim, clausis doctrinae christianae scholis in prima die temporis paschalis, postea a fine eiusdem temporis usque ad festum Omnium Sanctorum plena libertate ac perfecta quiete gaudere valent. » Et alibi: « Quantum ad aetatem determinatam ante quam elapsam non permittitur puero ad communionem accedere, sufficit dicere quod, dempta hac dispositione, ruit plane universitas mediorum, tanto labore ab Episcopis adhibitorum, ut futura generatio catholica et non atheis ta fiat. Etenim conditiones in quibus hodie versatur grex Christi non modo aliae sunt quam illae conditiones in quibus versabatur quatuor aut octo praeteritis saeculis, sed sunt omnino contrariae et oppositae... non desunt plerique sacerdotes huic muneri suo gravissimo; sed parentes puerorum, sed et scholarum magistri, imo et ipsum reipublicae gubernium omnia tentant, ut prima communio quam primum pueris omnibus administretur, ut, ab hac ipsa communionis die pueri doctrinam christianam frequentare iam non teneantur. >

Demum concludit Episcopus anneciensis: « In iis quae spectant ad docendam doctrinam fidei, non tenui aliam viam, non adhibui alia media, quam ceteri Galliarum Episcopi; et Episcopi Galliarum, ferendo novas leges circa primam puerorum communionem, non aliud fecerunt quam temporum iniuriae vel necessitati disciplinam suarum dioeceseon accommodare. »

Et haec quidem omnia confirmat Emus Card. Lavigerie in epistola ad rem data.

Porro « standum multum esse iudicio Episcoporum » non solum tradit Ferraris *v. Dismembratio,* sed et docuit Benedictus XIV in *const. Cum illud,* praescribens « parvi pendendum non esse testimonium illius pastoris, cui divino mandatur eloquio oves suas agnoscere. »

Demum 4. ostendit patronus controversam praescriptionem haud dici posse canonibus substantialiter contrariam, sed imo potius conformem. Nam Innocentius III *cap.* ***12*** *De poen.* licet iubeat omnes fideles communicare postquam ad annos discretionis pervenerint, addit tamen « nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerint abstinendum. » Quod conforme est Conciliorum Lateranensis IV et Tridentini praescriptis. Unde apparet, aetatem ad sacram synaxim primum recipiendam non esse apprime a canonibus definitam ; sed neque a doctoribus ; qui imo iuxta ea quae habet Benedictus XIV *lib.* ***7*** *cap.* ***12*** *n.* ***2*** *De syn. dioec,* disputant inter se quando sufficiens discretio habeatur ad Christi corpus sumendum. Et est Pontificis sententia quod id contingat - *intra decimum et decimum* ***quartum*** *aetatis annum* - iuxta Suarez, vel in undecimo aut duodecimo anno, iuxta D. Thomam ***4*** *dist.* ***9*** *art.* ***4*** *ad* ***3.*** Unde est quod etiam Romae pueri duodennes soleant ad primam communionem admitti.

Hisce hinc inde adnotatis, propositum fuit diluendum

Dubium

An decreta Episcopi anneciensis sint confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re cognita sub die 21 Iulii 1888, censuit respondere: *Attentis locorum ac temporis circumstantiis, affirmative ad primam partem iuxta modum.*

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Episcopos praecipue repraesentare fidelem servum, praepositum familiae, quibus commis-

sum est commoda et utilitates populi sibi concrediti promovere curam «dominici gregis habere, ac media exhibere, quibus oves tutius ac facilius ad aeternae salutis pascua perducantur.

II. Vulgare esse axioma quod Episcopi in suis Dioecesibus omnia possunt, quae potest Summus Pontifex in universo Orbe, exceptis specialiter reservatis.

III. Quamobrem haud absonum videri, ut praestituere valeant etiam ea quae ad christianam puerorum educationem conferunt; quum iidem per sacros canones excitentur et moneantur, praecipuas habere partes quoad christianam institutionem.

IV. Iudicio et prudentiae Episcoporum standum docent Doctores et Bened. XIV ***Const. Cum illud*** praescribit ***«parvipendendum non esse testimonium illius pastoris, cui divino mandatur eloquio oves suas agnoscere. »***

V. Etsi Innocentius III ***cap. 12 De poen.*** iubeat omnes fideles communicare postquam ad annos discretionis pervenerint, adsit tamen ***nisi forte de propriis sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus, ab huiusmodi perceptione duxerint abstinendum.***

VI. Sacros canones haud definire aetatem, qua primum sacra eucharistia recipienda sit; et doctores non convenire inter se de aetate, qua habeatur sufficiens discretio ad Christi Corpus sumendum ; dum id contingere censeat Bened. XIV ***intra decimum et decimum quartum aetatis annum.***

VII. In themate praescriptionem Episcopi, sacris canonihus contrariam non videri; sed aliquo modo expetitam per adiuncta loci et temporum, et substantialiter consonam praxi aliorum Episcoporum eiusdem nationis.

EX S. RITUUM CONGREGATIONE

DECRETUM quo conceditur indulgentia plenaria fidelibus qui die 31 mensis proximi decembris congregantur ad gratiarum actiones persolvendam sacratissimo Cordi Iesu etc.

Die 1 Novembris 1888.

URBIS ET ORBIS

Plures Catholici Orbis Sacrorum Antistites supplicia vota Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII nuperrime porrexerunt expostulantes, ut omnes Ecclesiae filii , qui hoc anno ad finem, nunc properante, eiusdem Sanctissimi Domini Nostri Iubilaeum sacerdotale ubivis unanimi et impensissimo dilectionis ac religionis studio concelebrarunt, iterum congregentur ad gratiarum actiones Sacratissimo Cordi Iesu persolvendas, unde fluenta divinae misericordiae in omnes abundanter emanant. Hisce porro votis et precibus, quae et eximiae in Deum pietatis, et erga Iesu Christi Vicarium in terris filialis obsequii praestantissimum extant argumentum, ab infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario relatis, Sanctitas Sua obsecundans, declarare dignata est a se maxime probari et commendari, ut in Ecclesiis Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus et aliis in quibus, de Reverendissimorum Ordinariorum consensu, placuerit, postrema die nempe 31 proximi mensis Decembris, ad Divini Cordis cultum Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publicae Fidelium adorationi per aliquod temporis spatium maneat expositum; B. Mariae Virginis Rosarii quinque décades recitentur, ac demum post cantum hymni Ambrosiani et *Tantam ergo,* **additis Orationibus** *Deus, cuius misericordiae, — Concede nos,* **Collectis pro Papa et pro Ecclesia, populo cum Divina Hostia benedicatur. Singulis vero Christifidelibus rite confessis ac sacra Synaxi refectis, qui eiusmodi publicae**

deprecationi pie interfuerint, et dulcissimum Servatoris nostri Iesu Christi Cor pro gratiarum actione ut supra, nec non pro sanctae matris Ecclesiae et Apostolicae Sedis tranquillitate et pace ac pro peccatorum conversione cum fide et fiducia exoraverint, Beatissimus Pater Indulgentiam plenariam in forma Ecclesiae consueta, Animabus quoque in Purgatorio detentis applicabilem, benigne •concedit. De Postulato autem, quod ab iisdem sacris Praesulibus simul exhibitum fuit, pro elevando annuo festo Sacratissimi Cordis Iesu in tota Ecclesia ad ritum duplicis primae classis, Sanctitas Sua sibi reservavit. Die solemni Omnium Sanctorum, 1 Novembris 1888.

A. CARD. BIANCHI S. R. C. *Praefectus*

L..$sS.

LAURENTIUS SALVATI S. R. C. *Secretarius,*

EX S. CONG. INDULGENTIARUM

SANCTI SEVERI

De Gregoriano Missarum Tricenario.

Vicarius generalis Dioecesis sancti Severi huic Sacrae Congregationi Indulgentiarum et ss. Reliquiarum humiliter exponit: in hac civitate sancti Severi piam praxim a s. Gregorio magno invectam celebrandi Missas per triginta continentes dies ad solamen illico afferendum animabus, quae in Purgatorio detinentur ita invaluisse, ut nonnulli adhuc viventes praefatas Missas ad suffragiorum veluti anticipationem pro se celebrare postulent. Nec sacerdotes eas celebrare renuunt, rati se suscepto oneri satisfacturos iuxta institutionem gregorianam, eo vel magis quod omnes.putant huic piae

praxi nullam, adnexam esse Indulgentiam, nequidem illam altaris privilegiati.

Verum grave obortum est dubium, an gregorianum Missarum tricenarium, quod ab antiquis temporibus animabus e Purgatorii poenis liberandis institutum est, suffragari etiam valeat Christifidelibus adhuc viventibus. Insuper in evulgato opere R. D. Louvet, quod e gallico in italicum idioma translatum est a Iosepho Giusti et cui titulus *II Purgatorio secondo la rivelazione dei Santi* **sub finem C. XVIII pag. 291 (edit.Taurin.) haec leguntur:** *Si crede poi generalmente che dai Sommi Pontefici sia stata accordata a questa pia pratica, delle Messe di S. Gregorio, una Indulgenza plenaria in forma di Giubileo, in modo che se la giustizia di Dio non vi ponga ostacolo, si può nutrire fondala speranza di ottenere la liberazione dell'anima per la quale si offre il divin sacrificio,* **(1)**

Hinc quaeritur sequentium dubiorum solutio :

I. *An Missae quae gregorianae appellantur, atque pro defunctis sunt celebrandae, iuxta perantiquam s. Gregorii institutionem ab Ecclesia recognitam et probatam, pro vivis etiam celebrari valeant ?*

IL *An ipsis Missis gregorianis aliqua adnexa sit Indulgentia a Summis Pontificibus, uti legitur in citato opere R. D. Louvet?*

Et quatenus affirmative.

III. *Pro quibus eadem Indulgentia sit concessa pro defunctis tantum, vel etiam pro vivis f*

IV. *Si supradictae Missae pro vivis dici nequeunt, ad quod*

(1) Quae verba latine sic se habent : Creditur autem generaliter, a Summis Pontificibus concessam esse huic piae praxi, Missarum s. Gregorii , Indulgentiam plenariam in forma Iubilaei; ita ut, nisi iustitia Dei obstaculum ponat, fundatam haberi liceat spem obtinendi lib rationem animae, pro qua offertur divinum sacrifie um.

tenebitur sacerdos, qui bona fide pro vivis eas postulantibus ce~ lebravitf

Porro Sacra Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita, audito etiam unius ex Consultoribus voto, rescripsit :

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Non constat datam fuisse Indulgentiam, sed ex decreto huius s. Congregationis diei 13 Martii 1884 recognita et approbata fuit pia praxis et specialis fiducia qua fideles retinent, celebrationem triginta Missarum specialiter efficacem ex beneplacito et acceptatione divinae Misericordiae ad animarum e Purgatorii poenis liberationem.* **(1)**

Ad III. *Provisum in praecedentibus.*

Ad IV. *Ad nihil tenetur sacerdos qui Missas celebravit iuxta intentionem offerentis, qui putavit, durante adhuc vita, posse anticipari suffragia.*

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congñis die 24 Augusti 1888.

SERAPHINUS CARD. VANNUTELLI *Praefectus.*

L, 5 S.

ALEXANDER Episcopus Oensis *Secretarius.*

(1) Recole Vol. XVI pag. 508, ubi relata fuit quaestio quoad Tricenarium gregorianum, Altare s. Gregorii in Monte coelio, et Altaria gregoriana *ad instar.*

LITTERAE Sanctissimi D. N. Leonis XIII. ad Episcopos Angliae, quibus gratulatur de unanimi consensione eorumdem in reprobandis legibus a Gubernio italico, adversus clerum latis.

Dilecte Fili Noster, Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Etsi nec dubia Nobis nec obscura esset consensio vestra cum ceteris sacrorum Antistitibus, qui leges singulares adversus Clerum ab italico Gubernio, obtentu coërcendorum criminum rogatas graviter improbarunt ; litteras tamen, quas huius consensionis testes coniunctim ad Nos dedistis, perinde acceptas habuimus ac si Nobis ea res insperata obtigisset. Ex iis enim magis magisque effulget unitas spiritus qui Ecclesiae Pastores divinitus agit, ut sint perfecti in eodem sensu et in eadem sententia, ac luculentius evincitur, Nos in iis legibus improbandis non odio aut invidia motos fuisse adversus eos qui in hac regione summae rei praesunt, sed pro dignitate ministerii Nostri vindices fuisse aeternae legis, quae praecipit ea quae recta sunt, probibetque contraria. Accessit porro litteris vestris gratia ex iis quae sapienter animadvertistis de vi et natura novarum legum aversa a moribus populorum, qui politiori humanitate exculti sunt, deque iactura quae per eas infertur non modo Ecclesiae, sed etiam liberorum civium iuribus quae re violantur, licet efferantur verbis. Demum solatium haud leve ex eo cepimus quod perspeximus, Vos eodem studio, quo alias gratulationis Nostrae fuistis participes, ultro in societatem venire doloris Nostri, et ea qua valetis ope contendere, ut Nobis subveniatis. Iura siquidem Nostra impavida adserentes voce coram hominibus, supplicesque preces adhibentes Deo, eo profecto spectatis, ut concors suffragium et auctoritas omnium qui recta sentiunt homines religioni infensos deterreat ab inceptis, ac Deus potenti iussu fluctus compescat, quibus iactatur Ecclesia. Interim eo quo par est grati animi sensu studia vestra et officia complexi Deum adprecamur vicissim , ut omnem gratiam abundare iaciat in Vobis, simulque Apostolicam Benedictionem, constantis dilectionis testem Vo* bis, Dilecte Fili Noster, Ven. Fratres, nec non Clero et fidelibus curationi vestrae concreditis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 16 Novembris 1888, Pontificatus Nostri undecimo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA Sanctissimi D. N. Leonis XIII ad Archiepiscopos et Episcopos Americae: quibus commendat cives italos inopia illuc migrantes.

LEO PP. XIII.

Venerabiles Fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Quam aerumnosa et calamitosa sit eorum conditio, qui ex Italia quotannis in Americae regiones ad vitae subsidia quaerenda turmatim commigrant, tam compertum Vobis est, ut nihil attineat id fuse per Nos explicari. Imo vero mala, quibus illi premuntur, vos quidem ex propinquo intuemini, eaque, datis non semel ad nos litteris, commemorata dolenter sunt a plerisque vestrum. Deflendum sane, quod tot miseri Italiae cives, solum mutare inopia coacti, in mala plerumque graviora incurrant, quam quae effugere voluerunt. Ac persaepe ad labores varii generis, quibus vita corporis absumitur, longe miserior adiungitur animorum pernicies. Prima ipsa demigrantium transvectio periculis plena ac detrimenmentis est : incidunt enim plerique in cupidos homines, quorum quasi mancipia fiunt, et gregatim in naves coniecti, atque inhumane habiti, ad depravationem naturae sensim impelluntur. Ubi vero ad destinatas oras appulerunt, linguae et locorum ignari quotidianis operis addicti, improborum insidiis, et potentior um, quibus sese manciparint, patent insidiis. Qui autem industria sua satis sibi parare potuerunt unde vitam tueantur, versantes tamen assidue inter eos, qui omnia ad quaestum et utilitatem suam referunt, nobiles humanae naturae sensus paullatim exuentes, eorum vitam vivere discunt qui omnes spes et cogitationes suas in terra defixerunt. Huc accedunt obvia passim irritamenta cupiditatum, fraudesque sectarum, quae istic late grassantur religioni infensae, et plerosque in viam trahunt quae ducit ad interitum.

In his autem malis illud longe luctuosius est, quod in tanta multitudine hominum, amplitudine regionum, difficultate locorum, haud facile praesto esse iis potest ea, quae par esset, salutaris cura ministrorum Dei, qui italicae compotes linguae ipsis verbum vitae tradant, sacramenta administrent, et opportuna subsidia impertiant, quibus eorum erigatur animus in spem bonorum caelestium, et vita spiritus sustentetur ac vigeat. Hinc multis locis rari admodum sunt ii, quibus sacerdos adsit morituris, non rari quibus nascentibus minister deest ad regenerationis lavacrum : plu-

Timi sunt, quibus nuptiae nulla habita Ecclesiae legum ratione ineuntur, unde similis patribus propagatur proles, atque ita passim apud hoc genus hominum oblivione delentur christiani mores*, pèssimi quique inolescunt.

Haec omnia Nos reputantes animo, ac miseram tot hominum vicem dolentes, quos quasi oves pastore destitutas deerrare cognoscimus per avia abrupta et infesta locorum, simulque cogitantes Pastoris aeterni caritatem et monita, Nostri muneris esse duximus, omnem quam possumus eis opem afferre, salubria pascua parare, ac omni qua datur ratione, eorum bono et saluti consulere. <Quod eo libentius aggressi sumus, quod caritas hominum, quos eadem ac Nos regio tulit, ad id proniores faciat, ac certa spes teneat, nunquam deforet Nobis studia vestra operamque adiutricem. Quapropter curavimus, ut in sacro Consilio christiano nomini propagando hac super re consultatio haberetur, eique mandavimus, ut quaesitis et diligenter expensis remediis, quibus tot mala et incommoda possint depelli, sin minus, allevari, quod maxime e re foret proponeret Nobis, utrumque spectans, ut animarum saluti prodesset, atque migrantium molestias, quatenus fieri posset, leniret. Cum vero causa potissima invalescentium malorum in eo sit, quod infelicibus illis desit sacerdotale ministerium, per quod caelestis gratia impertitur et augetur, plures ex Italia presbyteros istuc mittere decrevimus, qui conterráneos suos noto solentur alloquio ; doctrinam fidei ac vitae christianae praecepta doceant ignorata aut neglecta, sacramentorum apud eos salutari ministerio fungantur, succrescentem sobolem ad religionem, et humanitatem informent, omnes demum ex quovis ordine, consilio ac ope iuvent, -cunctisque foveant curae sacerdotalis officiis. Quo id commodius ac plenius effici posset, per litteras Nostras XVII Kalendas Décembres anno superiore datas sub annulo Piscatoris, Apostolicum Sacerdotum Collegium Placentiae Episcopali in Sede, curante Ven. Fratre Iohanne Baptista Placentinorum Episcopo constituimus, quo ecclesiastici viri quos Christi caritas urget, ex Italia conveniant, ut iis excolantur studiis, iis exerceantur muneribus eaque disciplina, per quam strenue et feliciter penes dissitos Italiae cives legatione pro Christo fungantur, et idonei, fiant dispensatores mysteriorum Dei.

Inter alumnos autem huius Collegii, quod quasi Seminarium haberi volumus ministrorum Dei ad salutem Italorum Americam incolentium, iuvenes etiam a vestris regionibus, italis parentibus

natos, recipi et institui volumus, modo in sortem Domini vocati sacris cupiant initiari, ut deinde sacerdotio aucti et istuc remeantes, sub vestra pastorali potestate, omnes quarum usus fuerit, Apostolici ministerii partes expleant. Neque vero ambigimus, quin et reduces isti paterna cum caritate excipiantur a Vobis, itemque facultates impetrent opportunas sacri ministerii caussa in cives suos, monito Parocho, exercendas : quippe ad Vos venturi sunt quasi auxiliares copiae, ut sub auctoritate cuiusque vestrum, cuius in Dioecesi versantur, sacrae militiae operam navent. Profecto in primo operis exordio tanta haec auxilia haudquaquam erunt, quanta res ac tempus flagitant, neque eorum qui mittendi sunt opera, par esse ita poterit numero et necessitatibus fidelium, ut singulis et remotioribus in locis sacerdotes constitui possint, qui curam animarum gerant. Quamobrem optimum factu censemus, si in Dioecesibus, quae advenis ex Italia magis abundant, communia habeantur domicilia sacerdotum, qui exinde digressi circumiacentem regionem peragrent, et sacris expeditionibus excolant. Qua ratione autem, quibusve locis opportunius ea possint constitui, id erit prudentiae vestrae decernere. —- Haec omnia quae Apostolicae Nostrae providentiae esse duximus, Vobis hisce litteris significanda curavimus. Si quis autem ex Vobis compererit sive sensu et iudicio suo, sive collatis cum Fratribus consiliis, aliquid praeterea praestari a Nobis posse ad eorum utilitatem et solatium, quorum causa haec scribimus, sciat se Nobis gratum facturum, si de hoc ad sacrum Consilium fidei propagandae praepositum studiose retulerit.

Ex hoc autem opere, quod ad curam et praesidium plurimarum animarum, omni catholicae solatio carentium suscepimus, fructus Nobis pollicemur uberes, maxime, si accesserint, uti confidimus, ad illud sustentandum tuendumque fidelium, quorum pietati pares suppetant opes, studia et subsidia. — Ceterum adprecati Deum benignissimum^ qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, ut hisce coeptis propitius adspiret, ac prospera det incrementa, Apostolicam Benedictionem intimae dilectionis testem Vobis, Venerabiles Fratres, ut universo Clero ac Fidelibus, quibus praeestis, peramanter Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die x. Decembris MDCCCLXXXVIII» Pontificatus Nostri Undecimo.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

CALATA YERONEN.

MATRIMONII

Die 12 Dec. 1885 et 16-Iunii 1888.

Sess. 24 cap. 1 De ref. matrim.

COMPENDIUM FACTI. Angela Sciuto, ex oppido ***Scordia*** «alatayeronensis Dioecesis, sexdecim annos nata, dum adulteros fovebat amores cum uxorato Francisco Basso; cum illius germano fratre Nicolao, loci ***Militello,*** die 4 Iunii 1854 in ecclesia parochiali s. Rochi matrimonium contraxit, cuius denuntiationes a die 28 Martii expletae iam fuerant.

Ritu sacro peracto, sponsa, ab ecclesia vix egressa, aufugit, carnposque, veluti amens, percurrens, ut vitam sibi arriperet, in altam se proiecit lapidinam foveam. A qua semiviva erepta, ad paternos lares reducitur, ubi quinque post menses filium, ex adulterino amore conceptum, peperit.

Ex hoc durius cum filia agere coeperunt parentes, qui insuper nonnullum lapidem moverunt, ut eam ad cohabitandum cum sponso Nicolao adstringere valerent.

At incassum omnino, quandoquidem ad adulterum Franciscum confugit, cum quo tresdecim filios hucusque procreavit.

Nicolaus vero, qui numquam cum sponsa conversari potuit, in patriam reversus concubinarie alteri mulieri se iunxit, a quo prolem pariter suscepit.

Rebus sic se habentibus, ut tandem conscientiae suae consulerent, tum Angela, tum Nicolaus, die 9 Ianuarii 1883 Curiam Calatayeronen. adivere, postulantes, ut matrimonium nullum declararetur, sive ob vim et metum Angelae illatum, sive ob impedimentum affinitatis ex copula illicita ab Angela cum Nicolai fratre ante matrimonium habita.

Curia Episcopalis, confecto processu, iri quo tamen plura quoad substantiam desiderantur, sententiam pro matrimonii

validitate, die 18 Iulii 1883, tulit, ex eo quod ceu singulares habuit testes, qui de copula illicita de visu deposuerunt^ et non satis de vi metuque constaret.

Habita hac sententia ambo supplicem libellum sacratissimo Principi porrexerunt, implorantes, ut dispensationem concedere dignaretur super matrimonio rato et non consummato et super impedimento criminis ob promissionem de futuro matrimonio cum Francisco uxorato vicissim factam.

Precibus exceptis, iussum fuit ut causa, propter partium inopiam, oeconomice pertractantur, duorum Consultorum votis et vinculi defensoris ex officio animadversionibus praehabitis>

Disceptatio synoptica

THEOLOGI VOTUM. Theologus ratus adesse in themate graves rationes, quae praesens matrimonium nullum declarandum esse suadent, in primis de ipsius nullitate agit, deinde de gratia dispensationis sermonem instituit.

Quoad primum theologus autumat matrimonium duplici ex capite nullum fuisse ; quia scilicet vi et metu ab Angela contractum, ob impedimentum scilicet vis et metus et ob impedimentum affinitatis ex copula illicita.

Relate ad impedimentum vis et metus, animadvertit cum Cosci ***De separat. Thori coniugalis lib. i cap. 8*** quod ad hoc ut matrimonii vinculum ex contrahentium consensu exurgat, plenus ***requiritur consensus, totalis Ubertas et securitas et maior in matrimonio, quam in sponsalibus ;*** quodque ***deficit consensus ubi est metus.***

Neque aliam esse, ait, sententiam D. Thomae, qui in ***suppl, quaest. 47, art. 3,*** docet, quod in matrimoniis ob vim et metum iniuste illatum celebratis, non deest absolute ac omni ex parte consensus ; ***sed Ecclesia iudicat consensum illum extortum non esse sufficientem ad faciendum matrimonium;*** ex eo quod, vinculum matrimonii cum sit perpetuum, ***non sufficit quodcumque voluntarium, sed voluntarium complete; loc. cit. in resp. ad 2 arg.***

Verumtamen, ut matrimonium per metum contractum,

irritum censeatur, ex unanimi Theologorum et Canonistarum sententia, requiri, ut metus 1. sit gravis, **2.** ut sit iniuste illatus, 3. ut sit ab extrinseco, 4. ut sit directe incussus ad extorquendum in matrimonio consensum.

Practice vero determinare, an huiusmodi conditiones ac praecipue prima conditio verificentur, rem valde salebrosam ac implicatam esse; ac proinde, iuxta Sánchez *de Matrim, lib. 4 disp. 5* iudicis arbitrio definiendam esse.

Hisce in iure praemissis, in facto esse asserit Angelam coacte consensisse matrimonio, quod cum Nicolao contraxit ; idque tam ex antecedentibus, quam ex consequentibus matrimonii indubie colligi.

Sane ex utriusque coniugis iurata confessione scatere ait, quod Angela non modo ullo amore Nicolaum ante matrimonium prosequebatur, sed imo animum et cor maxime aversum ab ipso habebat. Et hanc maximam aversionem etiam post initum matrimonium perdurasse, nedum ex eo deduci, quod ipsa die nuptiarum eum relinquere conata est cum proposito sibi ipsi inferendi mortem; verum etiam ex eo, quod nunquam cum sponso cohabitavit, sed potius ad Franciscum rediit, a quo tresdecim filios suscepit.

Stante autem vehementi animi aversione praesumendum rationabiliter esse matrimonium haud libere contractum fuisse, doctrinam esse, S. Rotae *Decis. 326 coram Ludovisio n.* 7 *et seqq.* et Cosci *De separat, thon lib. 1 cap. 8 et seq.*

Ulterius progrediens, observat depositiones iuratas tum Angelae, tum Nicolai ostendere ipsam Angelam fuisse minis ac verberibus a genitoribus coactam ad matrimonium celebrandum.

Huiusmodi sponsorum iuratas depositiones confirmari depositionibus praecipue duarum testium aliorumque, qui examinati fuerant tum de bonis qualitatibus ac de amore, quo genitores Angelae ipsam prosequebantur; ita ut praeter coactionem ad matrimonium contrahendum, illae exprobrationes ac verbera aliam causam habere haud potuerint.

Imo aliam testem adesse, Franciscam Agnello, quae magis

determinate deponit minas et coactiones ad extorquendum consensum in matrimonium, quod sequenti die cum Nicolao celebrandum erat, factas fuisse.

Neque aliquid facessere; quod duae ex testibus deponentes de minis, de malo humore et de verberibus non deponant, quod hoc facerent parentes ad extorquendum matrimonium. Observat enim, quod praeterquamquod aliam causam vexationum parentum erga filiam assignare nequeunt, factum fugae quod immediate subsequutum est matrimonii celebrationem, satis determinat, quod illae vexationes erant directae ad extorquendum consensum in matrimonium.

Sed ceteris omissis, observat praeterea haberi in themate probationes saltem aliquas per testes ; haberi praesumptiones validissimas ex circumstantiis, quod matrimonium fuerat ab Angela contractum ob vim et metum illi illatum. Nullum e contra haberi testem, qui ostendat matrimonium fuisse libere et sponte contractum.

Quibus positis, notum esse inquit illud Innocentii axioma ***Cap. Super hoc de renunciatione n. 2*** ubi traditur, ceu refert et explicat Sánchez ***de matrim. I. 4 disp. 37 n. 1 et seq.*** « magis credi duobus testibus de metu deponentibus,
» quam mille testantibus spontaneam voluntatem affirmanti-
» bus. Et ratio est, quia qui deponunt de metu, id quod
» asserunt, potuerunt sensu corporeo percipere, qui autem
> testantur spontaneam voluntatem, cum res sit in animo
» recondita, non potuerunt sensu percipere. »

Quin imo illud Innocentii effatum: ***duobus testibus*** etc. ampliari a Mascardo ***de probat, conclus. 1057 n. 5***$_{3}$ ita ut hoc verum sit « etiamsi unicus tantum testis deponeret pro
» metu, quia illi magis crederetur, quam mille negantibus,
» vel spontaneam voluntatem afnrmantibus... praecipue dum
» pro isto stant praesumptiones. » In casu autem nullum haberi testem negantem metum, vel spontaneam voluntatem asserentem. Vicissim haberi quod praesumptiones militant pro testibus metum adfuisse asserentibus.

Quam validae autem sint in casu praesumptiones quae stant

pro metu, ex dictis erui et praecipue ex aversione animi Angelae erga Nicolaum.

Unde concludit quod « metus praesumitur, quando post » actum gestum sequitur fuga ex parte ipsius agentis, quia » tunc praesumitur praeter voluntatem illum gessisse. » ***Mascard, de probat, n. 46 conclus. 1055.*** Cui addit Menochium ***lib. 3 praesumpt. 4 n. 5 et 18*** et Petrum Barbosam ***in Cons. 24 n. 7.***

Relate ad matrimonii nullitatem ob impedimentum affinitatis ex illicita copula theologus observat praeprimis, per evidentes probationes difficulter ostendi posse existentiam huiusce impedimenti, tum quia agitur de dignoscendo iuridice facto, quod in occultò ac sine testibus verificatur, tum quia etiam, ut advertit Coscius ***de separat, thori lib. 2 e. 18 n. 8,*** « saepe contingit quod haec oppositio affinitatis, praesertim » ex copula illicita, ad irritandum matrimonium ex invidia » fiat aut ex malitia. »

Hinc animadvertit cum Ursaya ***tom. 3 discept. Ecclesiast. part. 2 discept. 9 n. 11 et seq.*** necessarium non esse, ut copula demonstretur mediantibus probationibus directis, quodque de illa deponant testes omni exceptione maiores; sed receptum esse, illam nedum probari praesumptionibus et coniecturis, sed etiam ex testibus aliquam exceptionem patientibus. Quae praesumptiones et testium depositiones ad hunc effectum coniungi debere, iuxta vulgatum dicterium : ***singula quae non prosunt, unita iuvant.***

Quibus praemissis, ad ostendendum illicitum carnale commercium Angelae cum Francisco ante matrimonium cum Nicolao celebratum, affert in primis iuratam depositionem ipsius Angelae, quae, sive dum fuit iudicialiter interrogata, sive dum SSmo Domino supplicem libellum porrexit, pro obtinenda dispensatione super matrimonio rato, asseruit rem habuisse cum Francisco ante matrimonium, ab eoque filium suscepisse.

Angelae confessioni concordare subdit depositiones testium ***de visu*** tum Carmeli Greco, tum Iosephi Frolio, nec non

Iosephi Vitale, quorum testimonia talibus ac ita determinatis circumstantiis sive loci, sive temporis veluti circumfulta inveniuntur, ut de ipsorum depositione fas non sit dubitare.

Verum est, prosequitur, quod testes supradicti ***singulares*** sunt, sed ***singularitate,*** quae a iuristis ***adminiculativa*** dicitur, seu cumulativa, in quantum nempe diversa praeferunt, quae tamen ad idem probandum conducunt.

Obiectum depositionis horum testium idem est, nempe copula habita ab Angela cum Francisco ante matrimonium. Et secundus testis de copula pluries habita deponit: primus non praecise de copula, sed de talibus confidentiis, quae copulam praecedere solent, ac de facto quod solus cum sola post actus inhonestos ibant, sese abscondendo.

Qua de re ad rem facere asserit, quod Schmalzgrueber in puncto tradit in ***iure Eccl. Univers, part. 9 tit. ^20 n. 105:*** « Testes singulares, ***cumulativa*** seu ***adminicúlala » singidaritate*** sunt, qui de actibus quidem diversis, sed ad » eundem finem tendentibus, seque mutuo adiuvantibus, de- » ponunt. Huius generis testes (addit ***num. seq.)*** diversam » vim habent in criminalibus et in civilibus; in prioribus » plerumque ad poenam infligendam non sufficiunt... in po- » sterioribus vero aliquando probant semipiene... aliquando » etiam plene. Neque obstat quod in circumstantiis temporis » et loci discordes sint; concordes enim sunt respectu eius- » dem finis... hinc etiam testes singulares absolute dici non » debent. » Neque a super allata ***singularitatis*** testium theorica dissentire Coscium ***De separatione thori lib. 2 cap. 14 n. 77 ad 81.***

Ast in casu nostro, non adesse solos tres superius relatos testes, qui concurrunt ad probandum affinitatis impedimentum; ipsorum depositionem adiuvari et corroborari a pluribus aliis testibus, qui omnes referunt hanc fuisse publicam famam, quod scilicet Angela ex carnali commercio cum Francisco filium pepererit.

Praeter testes igitur, deponentes de visu, haberi testes, qui deponunt de publica voce ac de fama, qui quidem gene-

raliter loquendo vix semiplenam exhibent probationem; sed in casu depositionem specialibus circumstantiis circumfultam esse, quae evincunt inhonestas relationes inter Angelam et Franciscum ante illius matrimonium cum Nicolao intercessisse, ac Francisci opere Angelam filium peperisse; ideoque de nullitate matrimonii Angelae cum Nicolao ob impedimentum quoque affinitatis dubitari non posse.

In hypothesi autem quod adductae rationes validae haud sint ad matrimonii nullitatem evincendam, consultor ad dispensationem pertractandam gradum facit, inquiens, nullum dubium elevari posse circa potestatem summi Pontificis dispensandi super matrimonio rato et non consummato, dummodo constet matrimonium ratum mansisse, et pro dispensatione concedenda causas adesse.

Quoad matrimonii inconsummationem erui imprimis sponsi Nicolai iurata depositione, in qua dicit quod post celebratum matrimonium, neque per unam vicem cum sponsa cohabitavit. Factum non cohabitationis confirmari a pluribus testibus examini suppositis, quorum aliqui loquuntur de locis, ubi Angela habitavit post matrimonium, et numquam de habitatione cum sponso mentionem faciunt.

Porro ex facto non cohabitationis sponsorum per testes asserto erui matrimonium non fuisse consummatum, sed dumtaxat ratum, docet Coscius ***de separat, thori lib. 1 cap.16 n. 13 ad 18.*** Cui adhaeret Sánchez ***De matrim, lib. 2 disp. 23 c. 1*** ubi habet: « si sponsa non erat virgo, nec » sponsi domum traducta sit, adhibetur illorum iuramento » fides... et non esse traductam simul cum iuramento fit > urgens indicium. »

In causa autem iuramentum quidem sponsae non haberi, quia circa hoc interrogata haud fuit; sed haberi iuramentum sponsi, qui dicit numquam cum sponsa cohabitasse, nec non depositiones testium super relatas.

Quod si, iuxta Sánchez, soli iuramento sponsorum fides adhibetur, a fortiori solidam probationem haberi, quando iuramentum etiam unius ab aliis testibus corroborato.

Iam vero in themate, etsi in processu Curiae Calatayeronensis directa inquisitio facta non sit ad dignoscendam matrimonii inconsummationem; eam tamen tamquam corollarium, ex depositionibus deduci. Praeter factum enim non cohabitationis sponsorum, concurrit ad probandam ipsam inconsummationem illa insuperabilis aversio Angelae erga sponsum Nicolaum, quae ante matrimonium manifestata fuit, dum ipsa sponsum reliquit ac mortem sibi inferre tentavit.

Si enim, ut docet Coscius ***de separat, ihori lib. 3 cap. 1,*** animorum aversio, ac ***antipathia*** inter coniuges existens, validissimum praebet argumentum ad probandam matrimonii inconsummationem, etiam in casu, quod sponsi cohabitaverint; etiam in duriori casu, in quo sponsi condormierint ; a fortiori haec aversio validissimum praebebit argumentum pro negativa consummatione, quando constat, quod sponsi numquam cohabitaverint, idem Coscius ***loc. cit. n. 247.***

Et hoc praecipue valere, uti docet citatus auctor ***seq. n. 248*** « cum post initum matrimonium, statim eorum unus, » vel alter adversus alterum suam vehementem ***antipathiam*** » aversionemque manifestat: quemadmodum enim longa pa- » tientia nocet illi, qui dia silet, ***Cap. 1 de frigid, et ma- » le fie,*** ita tempestiva manifestatio vim auget probationibus » etiam dubiis et praesumptivis, ut idem textus prosequitur. »

Tandem inconsummationis probationi maximam vim augere addit superius allata circa inhonestum amorem, quo Angela Franciscum sponsi fratrem prosequebatur, tum ante tum post celebratum cum Nicolao matrimonium.

Matrimonii inconsummatione in vado posita, perpendit cum Sánchez ***de matrim, lib. 2 discep. 15 num. 5*** quod licet verius sit dispensationem absque causa iusta concessa, esse prorsus irritam ; nihilominus necessariam haud esse causam ad publicum bonum spectantem, sed eam sufficere, quae privatam respicit utilitatem, et hanc esse sententiam Caietani ***tom. 1 Opuse. Tract. 28;*** Felin. ***Cons. 26 num. 10;*** Pignatelli ***Consult. 148 n. 9 tom. 1.***

In causa autem adesse causas et quidem gravissimas,

quarum primam consistere ait in insuperabili animorum aversione inter sponsos existente. Iamvero animorum alienationem inter coniuges esse causam ex seipsa sufficientem pro dispensatione concedenda, docent communiter Theologi, inter quos doctissimus Caietanus ***tom. i Opuse. Tract.*** § ***28.***

Aliam causam iustam pro concedenda dispensatione consistere iuxta Sánchez ***de matrim, lib. 1 disp. 13 n. 3*** in gravi timore scandali magni futuri, ob fornicationis timorem, eo quod coniuges valde sibi displiceant, vel ob inimicitias, quae inter coniugatus, vel eorum consanguineos timentur. In casu autem, non iam timorem scandali adesse, sed scandalum et quidem gravissimum iam a triginta circiter annis, tum ex parte sponsi, tum ex parte sponsae perseverare. Utrumque non solum in periculo, sed in statu aeternae damnationis inveniri. Haec publicum et gravissimum scandalum constituere, cui nisi per matrimonii rati dispensationem occurri potest.

Consultor concludit ex hactenus disputatis erui duplicem esse viam pro hac causa decernenda, unam quae appellatur ***iustitiae,*** alteram, quae ***gratiae*** dicitur. Illa quae dicitur ***gratiae*** quaeque in dispensatione consistit, opus non esse quoties probationes, quibus existentia impedimentorum adstruitur, sufficientes inveniuntur ad matrimonii nullitatem decernendam.

In hypothesi contraria, recursum haberi posse ad viam ***gratiae,*** consulendo SSmo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati. At in hoc secundo casu necessariam esse sanationem actorum, sive dispensationem super defectu directae ac specificae inquisitionis circa matrimonii inconsummationem. Et antequam concedatur Angelae venia contrahendi matrimonium cum Francisco, supplicandum esse SSmo pro dispensatione impedimenti honestatis, quod in casu validitatis ex matrimonio ***rato*** exurgit.

Hoc impedimentum pariter obstare novi matrimonii celebrationi, si nullitas primi matrimonii decerneretur solummodo ob impedimentum ***affinitatis*** inter Angelam et Franciscum,

et non ob impedimentum ***vis et metus.*** Ut enim docet S. Alphonsus de Ligorio ***lib. 6 tract. 6 de matrim, cap. 3 n. 1062*** « si nullitas matrimonii sit ex alia ratione, quam ex defectu » consensus, certum est induci impedimentum ***honestatis*** ex » matrimonio nullo, cum in hoc minime sit correctum a Tri- » dentino ius antiquum etc. >

Denique perpendit, attendendum esse quoque ad ***criminis*** impedimentum, antequam Angelae venia concedatur ad nuptias cum Francisco, quia ut ipsa Angela confitetur, vivente adhuc legitima Francisci coniuge, perpetratum fuit ab Angela et Francisco adulterium, cum matrimonii promissione.

Et hoc secundum impedimentum tollendum esse per dispensationem, sive matrimonium, de quo agitur, nullum iudicetur, sive dispensandum censeatur super matrimonio rato et non consummato.

VOTUM CANONISTAE» Canonista, praemissa factorum historia, animadvertit, quod si res ad actualem oratorum petitionem restringeretur, perbrevi oratione persolvi posset; inquirendo scilicet, num ex iis, quae habentur in actis, de huius matrimonii non consummatione constet ; ac num quaedam ex iis gravissimis causis concurrant, quarum intuitu petita dispensationis gratia impertiri solet.

Verum cum ad hoc remedium veniri non debeat, donec spes effulgeat matrimonii nullitatem demonstrandi, ac frustranea foret dispensatio a vinculo quod numquam extitit; necesse esse, inquit, prius investigare, num rationes, quae pro matrimonii nullitate militant, huiusmodi sint, ut ad moralem huius nullitatis certitudinem adduci nequeant.

Cum autem in casu habeatur iudicialis sententia in hoc sensu a Curia prolata, antequam deductarum probationum meritum novo examini subiiciatur, investigandum esse, num acta processualia fuerint diligenter confecta, et documenta omnia ad rem facientia fuerint reapse collecta.

Iamvero huiusmodi acta, licet quoad extrinsecam formam nihil censura dignum praeferant; tamen quoad intrinsecam

collectarum probationum substantiam plura desiderantia relinquunt.

Sane satis esse oculos ad acta coniicere, ut quis sibi persuadeat quam incomplete testes super impedimento vis et metus examinati fuerint. Parum enim vel fere nihil in actis haberi de mulieris parentum indole ac natura, num alios filios habuerint. Item quaenam forent morales actricis qualitates, num timida, num impos. De his aliisque adminiculis; quae ad asserti metus probationem roborandam contulissent, nullum ex testibus rogatum fuisse; perpauca tantummodo ab ipsa actrice ***singulariter*** exposita inveniri.

Quin imo iudices causas investigare omisisse, quae parentes ad assertum metum filiae incutiendum movermi; et genericae mulieris depositioni stetisse, quae asserebat a parentibus ad nuptias coactam fuisse, quia putabant hoc matrimonium conveniens fuisse. At consultor petit: in quo haec convenientia, dum aliunde noscatur Nicolaum fortunae bonis destitutum Angelae parentes adivisse, ut labore manuum victum quaereret?

Totam metus demonstrationem depositionibus partium et trium ex adductis testibus niti. At Angela nil aliud dicit, nisi quod parentes aliquando minis, aliquando verberibus non adeo gravibus insistebant.

Nec plura Nicolaus, qui postquam asseruit sponsam suam aliquod consensus signum manifestasse, postea subdit, hunc consensum vi seu minis et verberibus extortum fuisse a parentibus, qui alapas interdum ei dabant.

Pauca quidem haec esse consultor subdit; et Nicolaum nec scientiae causam prodidisse, neque de ea fuisse rogatum.

. Insuper partium attestationes nedum debiles esse, verum etiam in quibusdam sibi invicem contradicentes; dum enim Angela dicit se connubii die habitu demisso, Nicolaus e contra deponit eam habitu ornato ad templum accessisse.

Nec potiores esse duarum sororum Bosso depositiones, circa quas consultor observat 1. has sorores nec prodere,

nec scire quaenam fuerit assertarum verberationum causa. 2. Praesumi non posse parentes haec verbera filiae dedisse coram iisdem sororibus, proindeque et has testes veluti de auditu esse habendas : 3. Demum earum depositiones pugnare cum illis partium, quae non de vapulationibus, sed de aliqua percussione loquuntur.

Quin in maiori pretio haberi queat depositio Franciscae Collori: tum quia non prodit in quo consisteret asserta coactio, tum quia quaedam deposuit, quae metus praesumptioni potius se opponunt, quam faveant.

Adversus eos autem extare in actis quaedam adminicula, quae assertae coactioni opponuntur, scilicet 1. Mores parentum, qui generatim uti boni describuntur. 2. Defectum cuiusvis causae, quae metum suadere posset; testante enim Angela, parentes eam amore prosequebantur, Nicolaus vero pauper erat ac labore manuum victum quaeritans.

Praeterea Angelam tam liberam esse in paterna domo, ut posset pro lubitu cum Nicolai fratre adulteras relationes habere; quin imo, ceu asserit Nicolaus, cum ipso connubii die a parentibus ad templum comitata haud fuisset, consensum denegare potuisset.

Neque esse signum coactionis, quod Angela nullum affectionis indicium Nicolao ostenderit, quod ve, vix celebrato matrimonio , in lapidicinae foveam se praecipitem iecerit. Primum enim potiusquam ex metu a parentibus illato, adscribi posse contubernio, quod iam mulier cum sponsi fratre exercebat.

Ad alterum vero explicandum, haberi infelicem ac fere desperatam mulieris conditionem, quae intra paucos menses suum dedecus manifestum omnibus reddere debebat. Hinc facile evenire potuit, ut, in iis adiunctis constituta, non coacta sed impulsa a parentibus matrimonium contraxisset cum intentione impendenti dedecori se subtrahendi, miserae vitae finem postea imponendo. Qua de re fere nullam superesse spem ex parte impedimenti vis et metus huius matrimonii nullitatem demonstrandi.

At non ita dicendum de altero impedimento affinitatis in primo gradu ex copula illicita, et deplorandum esse Curiae calatayeronensis officiales in hoc quoque capite graves inexcusabilesque omissiones commisisse.

Quoad illicitae copulae existentiam haberi factum certum tum a partibus, tum a testibus confirmatum, mulierem ipso connubii die exeuntem e templo, seseque in foveam lapidicinam ruentem, ab accurrentibus fuisse repertam praegnantem, et reapse paucis post mensibus puerum in lucem edidisse.

Hanc vero praegnantiam originem habuisse ex adultero commercio, ante matrimonium habito ab Angela cum Francisco sui sponsi fratre, nedum ipsa Angela sub iuramenti religione fatetur, sed tres testes confirmant, facta quaedam enarrantes, quae adulterum commercium locum habuisse ostendunt, quaeque sub eorum oculis contigerunt.

Horum attestationem confirmari fama publica, quae vix agnovit Angelam fuisse praegnantem, statim Franciscum huius criminis reum designavit. Denique ipsum factum Angelae, quae post partum a parentibus eiecta, Francisci domum cum infante nuper suscepto petit, ab eo cum filio recipitur, cum eo contubernalem vitam agit, novam prolem suscepit, ac usque in praesens manet eidem coniuncta, eiusmodi esse, quod grave pondus allatis testium depositionibus addat, easque apprime confirmet.

Verum quoad hanc rem quoque adesse in processu nonnullas et quidem graves lacunas, ob summariam methodum, qua a Curia acta confecta fuerunt. Re sane vera, vix a testibus cognita fuit publica fama Franciscum fuisse adulterii reum cum Angela ante huius matrimonium cum Nicolao, saltem a testibus expetere curia debuisset, ut proderent nomina eorum, ex quibus hanc famam noverunt; ac eos, si adhuc superstites forent, examini subiicere, quia hac ratione fieri poterat, ut alii de visu testes adipiscerentur.

Hisce addit Curiam in manifestum errorem incidisse affirmando matrimonii nullitatem ex hoc impedimento proba-

tam non fuisse, quia tres testes superius relati ***singulares,*** in praedictis factis asserendis, fuere. Quandoquidem hanc singulari tatem non simplicem, sed cumulativam esse urget, cum sint varia argumenta, quae ad idem crimen probandum afferuntur, ac tres testes, qui licet in variis adiunctis, omnes tamen confirmant se deprehendisse Angelam in adulterio.

Sed quidquid sit, consultor quaerit cur nam ad eorum depositionem roborandam ad examen vocatus non fuit ipse Franciscus? Cur neque ei, neque mulieri haec facta contestata fuerint?

Haec quidem satis esse ad ostendendum plura in actis desiderari, quae maxime scitu erant necessaria, ac novam probationibus iam per se gravibus vim addere potuissent.

Cum autem plura ex iis novis examinibus adhuc possent suppleri, consultoris sententia haec est, ut scilicet propositae quaestioni respondeatur: dilata, et coadiuventur probationes quoad impedimentum affinitatis in primo gradu ex copula illicita , exarata ab hac S. Congregatione accurata instructione, ac examinato prae ceteris Francisco Sciuto Nicolai fratre.

Quin imo haud incongruum putat, ut quaedam addantur in eadem instructione ad corroborandas probationes super non consummatione matrimonii, in casu quod via iustitiae repperiretur insufficiens, ac necessarius foret recursus ad Pontificiam dispensationem saltem ad cautelam.

Haud enim sufficere autumat ad consummationem excludendam probare, quod duo sponsi post initas nuptias numquam simul cohabitaverint; sed opus esse, ut excludatur quaevis mutua relatio a partibus post matrimonium habita. Quam quidem defuisse, licet a partibus asseratur ac superius descripta facta in themate suadeant; tamen cum agatur de re, in qua non praesumptio, sed certitudo requiritur, optimum ducit si etiam hac in re quidquam explanatius a testibus rogaret ur.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS VINCULI EX OFFICIO. Vinculi defensor denegat praeprimis in themate matrimonium esse

nullum ob metum a parentibus Angelae incussum. Ad hoc enim obtinendum requiri ait, ut metus sit ***gravis*** in ***se,*** vel sin minus in ***opinione*** illius, qui eum patitur, S. Rota ***dec. 217 n. 5 cor. Caprara.*** At vero neutrum scatere ex tabulis processualibus; siquidem quoad ***primum*** ipsamet Angela fatetur, quod parentes iugiter insistebant adhibitis minis, et interdum verberibus non gravibus.

Quo vero ad ***secundum*** nec vestigium reperiri, quoniam neque actrix, neque testes sciscitati sunt, an Angela minas parentum et verbera in ***se non gravia,*** saltem in ***opinione*** tunc habuerit ut ***gravia;*** adeo ut excluserint liberum eius arbitrium, S. Rota ***loc. cit.***

Neque percontatum esse num Angela esset animo timida vel impos mandatis parentum obsistere; num parentes forent indole asperi, ac in filios et praesertim actricem saevirent, et alia huiusmodi.

Quoad obiectam matrimonii ***inconsummationem,*** perpendit quod eadem probationum penuria animum exagitat. Etenim -cum Nicolaus et Angela ab invicem separati, illegitimos filios susceperint, et proin per corporalem inspectionem quaestio dirimi nequeat, confugiendum necessario est ad illud probationum genus,, quod audit ***coarctata.***

Ad rem autem esse doctrinam Cosci ***de separat, tliori lib. Í cap. 16 n. 13 ad 18.*** « Hanc probationem nempe » quod matrimonium fuerit dumtaxat ratum, facere possunt » testes, qui deponunt quod coniuges, contracto matrimonio, » nunquam una simul in eodem loco convenerint, aut saltem » quod coram aliis personis semper manserint, iisque viden- » tibus se separaverint. » Iamvero ex tabulis processus apparere forsan Nicolaum et Angelam post expletas nuptias nunquam ***cohabitasse,*** minime autem per tam diuturnum temporis spatium nunquam fuisse ***solum cum sola;*** quod omnino demonstrandum erat.

Relate ad impedimentum ***affinitatis*** ex copula illicita habita ab Angela cum Francisco fratre Nicolai, antequam cum hoc matrimonium contraheret, Vinculi defensor, praemissa

quod curia episcopalis huiusmodi impedimentum non magisquam antedictum ***vis et metus*** probatum putat; et misso quod canonista arbitratur nec de matrimonii nullitate, nec de eiusdem inconsummatione ac dispensationis causis satis constare, observat vehementes praesumptiones adesse de existentia huiusce impedimenti, quippe quod a tribus testibus ***de visu*** probatum videtur.

Nihilotamen secius praedictis testium depositionibus hanc exceptionem opponi posse autumat; quod scilicet memoria, praesertim super ***circumstantia temporis,*** quae tamen, ut oppido patet, pertinet ad substantiam depositionis, eos fallere possit, cum tot iam intercesserint anni.

Praefatos testes, ceu curia episcopalis existimat, ***singulares*** non esse, quia referunt facta, quae, licet diversis loco et tempore patrata, iterabilia tamen sunt, et ad eumdem finem tendunt. Ad rem allegat doctrinam S. Rotae, quae ***decis. 97 n. 1 part. 6 rec.*** haec habet: « Testes licet non » conveniant de tempore et loco... attamen cum deponunt » de facto successivo, in quo non admittitur exceptio sin- » gularitatis iuxta magis communem doctorum opinionem... » praesumuntur contestes. » Idque potiori iure servari in factis, quae clanculo geruntur remotisque ac eliminatis arbitris ; ***decis. 155 n. 62 part. 6 rec.***

Praeter haec, haud praetereundum esse censet exceptionem indolis generalis, quae respicit acta processus ad S. C. C. transmissa; siquidem in eo deficere ait singulas defensoris matrimonii, sive iudicis interrogationes et respectivas testium responsiones, eodem ordine excriptas, quo tum illae cum istae peractae sunt, sed haberi solummodo depositiones accommodatas, seu potius depositionum synopsim; et Francisci Basso depositionem desiderari ex integro. Item de iuramento testium cancellarium haud singillatim fidem facere, sed conglobatim iuratos vocare testes, quorum depositiones modo supradicto subinde conscribit. Qua de re acta processus aut vitiosa ab origine esse putat, aut vitiose exemplata.

Verumtamen, huiusmodi vitiis etiam posthabitis, contendit

I. non esse locum dispensationi super matrimonio, quod praetenditur ratum et non consummatum; 2. non constare de nullitate matrimonii ex capite ***vis et metus;*** 3. quatenus Emi Patres censeant constare de eiusdem matrimonii nullitate ex capite ***affinitatis,*** impermissum esse actrici explere nuptias cum Francisco Basso, nisi prius cum iisdem, super impedimento ***criminis*** ex adulterio cum mutua- futuri coniugii promissione provenientis, ac etiam ad cautelam super impedimento ***iustitiae publicae honestatis,*** quae ex matrimonio orta praesumitur, imposita gravi poenitentia salutari, fuerit misericorditer dispensatum.

Hisce praehabitis, proposita fuerunt dirimenda quae sequuntur

Dubia

I. ***An constet de nullitate matrimonii in casu.***

Et quatenus ***Negative.***

An sit consulendum SSmo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concilii, re discussa, sub die 12 Decembris 1885 sequens dedit responsum: ***Dilata et coadiuventur probationes, iuxta instructionem dandam a defensore vinculi penes S. Congregationem.***

Iuxta praefatam instructionem, Curiae mandatum est, ut examini subiiceret Franciscum Basso, et curaret ut actuarius de verbo ad verbum excriberet singula, sive defensoris matrimonii, sive iudicis interrogatoria; nec non per extensum singulas testis responsiones.

Insuper quoad Iosephum Froglio, Iosephum Vitale et Carmelum Greco mandatum fuit, ut denuo excutiantur; acta eorum examinis authentice ad S. C. C. transmittantur; quod si eorumdem synopsis tantummodo S. C. missa est, transmittatur exemplar.

Novo constituto processu , iterum Curia episcopalis pro validitate matrimonii rati et non consummati sententiam dedit, sed probabile esse definivit impedimentum affinitatis ex

copula illicita. Nihilominus ex habitis depositionibus indubie scatere subdit matrimonium fuisse ratum et non consummatum ; hinc preces ingeminat, ut sacratissimi Pontifex dispensationem impertire dignetur super matrimonio rato et non consummato.

VOTUM CANONISTAE. Canonista in primo ex quatuor sui voti capitibus demonstrandum aggreditur, Angelam in matrimonii contractu, voluntarium consensum praebuisse Nicolao. Quod tit ostendat, perpendit, Angelam nec odisse Nicolaum, nec coactam fuisse a parentibus ad huiusmodi matrimonium.

Et ad primum quod attinet, consultor asserit se non invenire ullam causam odii : imo ab iis, quae Angela deposuit, deduci causam dilectionis adfuisse. Si Angela vere odisset Nicolaum, aliqua in eo invenire debuisset, quae ipsi tristitiae essent. Sed ipsa nihil adducit, neque adducere potest. Nicolaus enim erat quasi subditus patris Angelae, et ita rectus in agendo et iustus, ut pater Angelae eum receperit per menses suum adiutorem.

Ipsa Angela praeterea fatetur in Nicolao invenisse caracteres, quae mulierem delectant, quaeque concipiuntur sub ratione boni. Allicitur enim mulier pulchritudine et lenitate viri. At ipsa post 35 annos de suo viro asserit, quod erat pulcher aspectu et benignae indolis, proclivus ad amorem.

Nihilominus amorem suum occultum signis externis Nicolao coram suo praeamante haud. manifestabat, ne zelotes Franciscus ofFenderetur eiusque amor tabesceret, dum Angela praegnans effecta et auxilia pecuniis et defensionem ab ira Nicolai, cum sua culpa panderetur in die partus, a Francisco sperabat.

Ad 'secundum Angelam nequaquam coactam fuisse subdit ad matrimonium cum Nicolao contrahendum; quandoquidem coactio, quae in vi coercitiva libertatis consistit, non solum deest in processu, sed asserta a sponsis in contradictionem cadit.

Omnes testes de hac vi coercitiva nec verbum aliquod

pronuntiant ; sed referunt de praesumptionibus vicinorum ambiguis. Tantum Lucia Basso et Francisca Agnello ambigue, sed directe loquuntur de quadam levi coactione.

Ast ut declaretur irritum matrimonium ex hoc capite, requiri metum, qui in. virum constantem cadit, seu metum mortis et cruciatus ***Cap. VI dilectus fil. de iis quae vi metusve.*** In casu autem neutrum verificari, malum enim quod Angela timebat, ceu ipsa fatetur, et Nicolaus deponit, erant percussiones non graves, quibus a parentibus interdum afficiebatur.

Neque aliter rem esse posse, sive quia Angela declarat, quod parentes ipsam amore prosequebantur, sive quia omnes testes deponunt de lenitate morum eius patris; sive quia demum nihil aderat, quod parentes movere posset, ut cogèrent filiam ad matrimonium contrahendum cum Nicolao ; quippe qui pauper erat et labore manuum suarum quotidianum victum quaeritabat.

Iuxta Consultoris opinionem parentes Angelae ideo insistebant circa convenientiam huiusmodi matrimonii, quia sciebant filiam fuisse corruptam, et neminem fore, qui eam duceret in matrimonium. Nicolaus, simplex et rudis, cum Angelam petiisset in sponsam, parentes Angelae putabant sortem apprehendisse : quia poterat tegi ignominia Angelae matrimonio cum Nicolao, praesertim cum intellexissent eam defloratam fuisse a Francisco fratre Nicolai.

E contra Angela sentiens se esse praegnantem, vel minus dedecus putabat esse sibi simplex adulterium, quam etiam mcestum, quia perseverandi animum habebat in pessima sua vita; vel expectans mortem uxoris Francisci, a quo ipsa promissionem nuptiarum cum ipso libenter accepit, iisque assensum dedit, inconveniens opinabatur ducere in maritum, Nicolaum. Idcirco ipsa parentibus dixit, mortem nuptiis cum Nicolao praeferre.

Sed re melius perpensa, haud comitantibus eam genitoribus, ecclesiam petiit, et coram parocho, consensum praebuit Nicolao, quamvis ipsa, ad effectum demonstrandi coa-

etam contraxisse matrimonium, dixerit, labiis tantum consensum praestitisse.

Verumtamen Angela libera erat a parentibus cum ad ecclesiam accederet, poterat fugere, poterat amicis comitantibus libere declarare, quod sub pressura vexationum ducebat in maritum Nicolaum, poterat hoc ipsum parocho significare.

Uno verbo: Angela nisi fuisset turpiter alligata Francisco, libenter contraxisset matrimonium cum Nicolao. Non timebat parentes, sed Franciscum zelo tem. Ipsa non solum allecta erat aspectu et dulcibus modis agendi Nicolai, sed eum occulte amabat. Veste enim a sponso donata indutam comitabatur eam sponsus. Ipsa ad ecclesiam se contulit ab amicis secuta. Quae omnia ostendunt non coacte sed libere celebratum fuisse matrimonium, S. Rota ***in decis. 1 Iulii 1726 coram Calcagnino.*** « Alterum voluntatis signum ad matri- » monium contrahendum illud est, quod matrimonium legi- » tima pompa celebretur. Concursus enim aliorum atque ad- > stantia magni argumenti est pro exclusione metus passi. »

Hisce omnibus consultor addit, quod Ecclesia consensum verbis expressum tamdiu verum esse praesumit, quamdiu contrarium evidenter non probetur, neque credit contrarienti matrimonium, quamvis iuramento confirmet se flete consensisse; ceu docet Innocentius III. in ***Cap. Per tuas X de proh.*** et ***cap. tua nos de spons.*** verb. ***mulier.*** « Cum nimis » indignum sit iuxta legitimas sanctiones, ut quod sua quisque » voce protestatus est, in eumdem casum proprio valeat testi- » monio infirmare. »

Post haec ad 2. caput gradum faciens, consultor sustinet furorem Angelae appetentis sibi mortem, non eius repugnantiam in matrimonio, sed futurae infamiae considerationem probare. Idque ex novis testibus in secundo processu diligentius auditis scatere.

Hisce autem prae primis credendum esse contendit, in iure enim haec sancita leguntur. « Cum hinc plures, inde vero » sint testes numero pauciores perducti, quos non solum di- » versa, sed adversa penitus in quibusdam constat testimonia

» reddidisse, quia etiam ad multitudinem respicere non oportet, » sed ad testium qualitatem et ad ipsorum deposita, quibus » potius lux veritatis assistit, ex quibus motum animi sui con- » venit iudicem informare, mandamus etc.» ***Cap. in nostra 32 De test, et attesi.*** Cum ergo testes secundi processus sint de visu, et inter eos sint, qui Angelam comitati sunt ad ecclesiam, et qui ei in periculo mortis auxilium ministraverunt ; iam per se patet ipsis magis credendum esse.

Iamvero isti testes unanimiter deponunt Angelam, non post ritum matrimonii, sed post nuptiale convivium fugisse et in foveam lapidicinam se proiecisse. Deponunt pariter, quod ipsa laeta erat durante et expleto convivio, nec tristitia afficiebatur ob contractum matrimonium ; quod tunc furibunda prosiliens quaeritavit mortem cum Franciscus, vel ob respectum fratris sui iam sponsi Angelae, vel ad experimentum fidelitatis, Angelae dixit se recessurum longinquo.

Absentia itaque Francisci, inquit, diram anxietatem excitabat in corde Angelae iam praegnantis expositae contumeliis. Desperatio huiusmodi igitur non a matrimonio cum Nicolao, sed a nimio amore erga Franciscum oriebatur, quo videbat privari absente, vel a consideratione suae futurae conditionis. Nicolaus erat ei ut velum, quo tegebantur sua crimina, et gaudere poterat de ipso quoque in horis, in quibus non aderat praeamans adulter. Sed cum recessisset Franciscus et Nicolaus adulterium cognovisset, Angelae subeundum erat periculum fortasse mortis a Nicolao inferendae.

Ex dictis patere inquit, nullam probationem afferre contra matrimonium huiusmodi Angelae desperationem, sed gravem ingenerare suspicionem adulterii sui.

In tert'0 capite, consultor praemittit Curiam episcopalem erravisse nedum in prima sententia, in qua retinuit non fuisse probatam illicitam copulam inter Franciscum et Angelam ante matrimonium habitam, eo quod testes non contestes sed singulares erant; sed etiam in secunda, in qua tantummodo probabile impedimentum affinitatis retinuit.

Hisce praehabitis, impedimentum affinitatis ex copula il-

licita inesse in matrimonio, de quo agitur, tum ex testimoniis indiciorum, tum ex testibus de visu, tum denique ex publica fama demonstrari inquit.

Quoad primos, postquam retulerit depositionem Carmeli Greco, qui declaraverat se vidisse Franciscum et Angelam, qui saepe invicem amplectebantur, et mutua oscula dabantur, subdit haec esse indicia turpis consuetudinis gravia , unde potest quisque suspicari illorum illecebram vitae rationem; quandoquidem non audent, qui nondum in turpia ceciderunt, actus huiusmodi exercere.

Hoc autem accidisse ante matrimonium, erui ex eo quod testis in sua depositione affirmat praeveni sse Nicolaum de inhonesta amicitia Francisci cum Angela.

Idipsum praesumi ex depositione Fortunatae Spechiale (in cuius domo Angela hospitata fuit et parturiit) quae deponit, quod Franciscus Angelam visitabat, quodque Angela, quae iugiter tacebat et tristis erat, laetitia afficiebatur, cum eam visitaret Franciscus.

Haec omnia confirmari a duobus testibus de visu, nempe Iosepho Frolio, et Iosepho Vitale, qui insuper de copula ante matrimonium Angelae cum Nicolao illiciter habita, clare testificantur. Et huiusmodi testes, cum spontanee deponant iuxta dictamina ab Innocentio III ***{Cap. 33 Eos diligente?")*** Episcopo Piacentino praescripta, in pretio habendos esse.

Idipsum tandem publica fama roborari ; siquidem testes unanimiter deponunt, quod vix Angela visa est praegnans, statim fama publica Franciscum auctorem gravidantiae designavit.

In iure, ad certitudinem habendam, insinuari media probationum, testes scilicet et publicam famam. Haec duo probationum genera haberi in casu et ad evidentiam testari adulterii crimen patratum fuisse ab Angela cum Francisco Nicolai fratre, antequam Angela matrimonium cum Nicolao contraxisset. Qua de re matrimonium in casu irritum declarari oportere, propter impedimentum affinitatis ex illicita copula.

Denique consultor perpendit circumstantias antecedentes cum depositionibus testium concordare et cum factis post

partum Angelae consummatis. Revera Angela simulabat repugnantiam a matrimonio cum Nicolao, quia, ut ipsa confessa est, Francisci amorem fovebat. Hic visitabat frequentissime Angelam, et praesertim cum Nicolaus eam invisebat. Huiusmodi facta tot rationabiles suspiciones esse, quae manifestant amicitiam adesse inter Angelam et Franciscum, eamque confirmari muneribus Angelae sponte datis a Francisco; magis vero Angelae proposito vitam sibi eripiendi, cum a Francisco audivit se ab oppido fore discessurum.

Nec satis : Angela invenitur praegnans, et fama publica indicavit neminem alium nisi Franciscum fuisse praegnantiae auctorem, sed et ipsa confessa est coram iudice delegato habuisse copulam cum Francisco ante matrimonium cum Nicolao, et quando parturiit confidenter obstetrici patefecit infantem, quem genuit, filium esse Francisci. Testes de visu referunt criminosum factum, quod erat obiectum antecedentium suspicationum. Angela post partum rediit ad Franciscum, quocum a die, quo libera fuit a doloribus partus usque adhuc in accubitu tristis brutalis voluptatis perseverat.

Hisce enucleatis, consultor concludit omnia, quae continentur in primo et secundo processu considerata, in hoc unum convenire, scilicet Angelam fuisse adulteram ante celebrationem matrimonii cum Nicolao.

In quarto et ultimo capite consultor contendit matrimonium in themate ratum fuisse et non consummatum, quia censet zelo tem Franciscum, ex quo tempore Nicolaus mulierem suam reliquit, non permisisse consortium Angelae cum suo sponso; praesertim cum antea Francisco suo praeamanti ostendebat animi sui aversionem a Nicolao.

Neque credendum Nicolaum accessisse unquam mulieri, quam in die celebrationis matrimonii animadvertit nimio amore affectam erga fratrem suum Franciscum, dum hic simulabat profecturum, et ipsa desperata ex hoc mortem, sibi quaeritabat, unde oportuit ad patriam suam Nicolaum revertere.

Unanimes esse testes ad deponendum quod numquam si-

mul convenerint neque una die Angela et Nicolaus. Et cum inspectioni locus in casu haberi nequeat, satis ad probandum ratum fuisse matrimonium, esse tot testes unanimes tam in primo quam in secundo processu deponentes. Ideoque, tam praesumptione, quam depositionibus, satis demonstratum esse autumat, matrimonium huiusmodi ratum fuisse et numquam consummatum.

Hinc haud mirum esse prosequitur, quod Curia episcopalis, quae fuit tam cauta ut sententiam diceret pro validitate matrimonii, excludendo impedimentum affinitatis ex illicita copula, in definiendo autem de consummatione huius matrimonii bis retinuerit fuisse ratum et non consummatum, nisa unanimi tati depositionum in processu existentium.

Neque supponi posse, quod Nicolaus, qui reliquerat Angelam, quando haec in foveam lapidicinam se proiecit, ad eam postea redierit. Hoc si una vice tantum accidisset, oculi omnium incolarum oppiduli intenti fuissent ad aspiciendum quid interveniret inter sponsos, et propalata fama pacis, etiamsi semel convenirent sponsi, testes dubitassent in deponendo, ut non haesit ar un t in aliis rebus vel ignorantiam circumstantiarum, vel negationem declarare.

Hisce omnibus perpensis, concludit, si impedimentum affinitatis ex illicita copula non sit satis probatum, posse ex benignitate S. Sedis dispensari, ut stante rato et non consummato matrimonio cum Nicolao, possit Angela nubere cum Francisco, dispensatis impedimentis publicae honestatis et criminis. Huiusmodi gratiam réclamant numerosa proles, quae adhuc illegitima aestimatur et revera est: nulla spes, quod corda pace concilientur : certitudo moralis quod Angela non sit recessura a Francisco, cum quo per triginta sex annos vitam turpissimam ducit.

NOVAE ANIMADVERSIONES DEFENSORIS VINCULI. Vinculi defensor animadvertit, quae, ad tramites rescripti diei 12 Decembris 1885, Angela noviter deducit, nullo prorsus in pretio haberi posse, sive ***extrinsecus.,*** sive ***intrinsecus*** inspiciantur.

Enimvero acta novi processus constare examine novem

testium, ex quibus septem excussus esse a vicario foraneo loci ***Scordia,*** duos a Vicario foraneo oppidi ***Militello.*** Tum illos, cum istos suppositos fuisse sex interrogationibus a Curia calatayeronensi transmissis, sacramenti vindicem nullimode interfuisse examini septem testium Scordiae peracto; in examine autem Militelli non aperuisse os suum.

Imo vinculi defensorem graviora commisisse contra Benedictinam Constitutionem ***D.ei miseratione.*** Revera, iuxta citatam Constitutionem, spectare ad officium defensoris matrimonii ***adesse examini testium, voce, et scriptis matrimonii validitatem tueri, eaque omnia deducere, quae ad matrimonium sustinendum necessaria censebit.*** B contra defensorem curiae calatayeronensi scripsisse, ex testium declarationibus, sibi constare matrimonium in themate nullum esse, tam ob affinitatis impedimentum ex copula illicita, quam ex capite vis et metus Angelae incussi.

Neque maiori laude dignos haberi Vicarium foraneum et actuarium Scordiae, qui septem testium depositiones, non in ipso contextu, sed forsan postquam omnes a iudicio discesserat, scribere curarunt. Iamvero lippos et tonsores scire 1. responsiones testium describendas esse eomet contextu et per eamet verba, quibus a testibus proferuntur: 2. eorumdem responsiones ab actuario scriptas minime attendi, nisi clare et intelligibili voce perlectas, quisque testis ratas habeat ac subscribat.

Lepidos autem sese exhibere iudicem et actuarium, dum subdunt sese responsiones subscripsisse, quia testes scribere nesciebant. Signo enim crucis potuisse testes subscribere pretiosam istam notitiam, prout subscripserunt singuli responsiones nullius momenti, quibus dimiserunt quaestiones sibi propositas.

Verumtamen contenta in novo processu despicienda prorsus esse, non solum quia iudex, defensor matrimonii et actuarius, a quibus processus tabulae omnem vim nanciscuntur, enormiter ab officio deflectunt ; sed etiam quia testes remisse ac generaliter interrogati, remissius respondent et imperfecte.

Hoc facile comprehendi, si advertatur consultorem non a novo, sed a primo processu mutuare omnia alicuius momenti argumenta ad sustinendam Angelae actionem. Imo nec ipsi consultori probatum esse assertum metum, quamvis, rogationes et responsiones novorum testium de metu potissime agant.

Quapropter concludit duo proposita dubia negativo responso •dimittenda esse.

Quibus praehabitis, proposita fuerunt dirimenda quae sequuntur

Dubia

L *An constet de nullitate matrimonii in casu.*

Et quatenus ***negative.***

II. ***An consulendum sit SSmo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati in casu.***

RESOLUTIO. S. C. Concilii, re discussa sub die 16 Iunii 1888, respondere censuit: ***Ad 1. affirmative: Ad 2. provisum in primo.***

Ex QUIBUS COLLIGES: I. In processu matrimoniali confirmando, in quo agatur de investiganda existentia impedimenti ***vis et metus,*** testes examinandos esse circa naturam et indolem parentum partis, cui metus incussus fuisse dicitur.

II. Item circa morales eiusdem partis qualitates, scilicet num timida, num impos cuivis parentum mandato obsistendi.

III. Causas insuper investigandas esse, quae parentes ad assertum metum incutiendum moverint.

IV. Actuarium de verbo ad verbum singula sive defensoris matrimonii, sive iudicis interrogatoria, nec non per extensum singulas testium responsiones exscribere debere.

V. Et ad S. Congregationem non processus synopsim in Curia confecti, sed exemplar transmittendum esse.

VI. Matrimonium fieri non posse per consensum coactum quia, ait s. Thomas in ***suppl, quaest. 47 art. 3,*** significat coniunctionem Christi ad Ecclesiam, quae **fit** secundum libertatem amoris.

VIL Imo ad ipsius valorem non sufficere quodlibet voluntarium, sed voluntarium complete quia debet esse perpetuum.

VIII. Hanc vero perpetuitatem tolli per coactionem metus, quae cadit in constantem virum.

IX. Ex copula illicita contrahi ***affinitatem,*** quae iuxta Conc. Trid. ***sess. 24 cap. 4*** dirimit matrimonium usque ad secundum gradum inclusive.

X. Saepe contingere, quod oppositio ***affinitatis,*** praesertim ex copula illicita, ad irritandum matrimonium, ex invidia fiat aut ex malitia, unde non esse de facili adhihendam fidem unico denuncianti, etiamsi rumor ea de re invaluerit in vicinia.

XI. Nihilominus necessarium non esse, ut in his casibus demonstretur copula, mediantibus probationibus directis, quodque de illa deponant testes omni exceptione maiores, quia agitur de re difficilis probationis, et in qua vocari non solent testes.

XII. Communiter proinde receptum esse, illam nedum probari praesumptionibus et coniecturis, sed etiam ex testibus, aliquam exceptionem patientibus.

XIII. Et huiusmodi praesumptiones et testium depositiones ad hunc effectum coniungi debere, iuxta vulgatum dicterium: ***singula quae non prosint, unita iuvant.***

XIV. A fortiori probari posse per testes ***singulares,*** sed ***singularitate,*** quae ***adminiculativa,*** seu ***cumulativa*** dicitur seu per testes, qui, ait Schmalzgrueber in ***Iure Eccl. Univers, part. 9 tit. 20 n. 105,*** de actibus quidem diversis, ssd ad eundem finem tendentibus, seque mutuo adiuvantibus, deponunt.

XV. Non esse recurrendum ad viam ***gratiae**** seu non esse consulendum SSmo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati, quoties via ***iustitiae*** sese offert, seu spes affulgeat nullitatem matrimonii demonstrandi, frustranea enim foret dispensatio a vinculo, quod numquam extitit.

XVI. In themate matrimonii nullitatem ratione impedimenti ***affinitatis*** ex illicita copula, quam ante matrimonium

Angela habuit cum Francisco, fratre sponsi sui Nicolai, declaratum fuisse videtur, potiusquam intuitu impedimenti ***vis et metus,*** vel utriusque simul.

CIVITATIS CASTELLANAE

COMITIORUM CAPITULARIUM

Die 21 Iulii 1888.

Sess. 24 cap. 12 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Die 9 Octobris anni 1885, intimato et de more congregato capitulo cathedrali civitatis castellanae, undecim canonici una cum eorum capite, archipresbytero Lepori, convenerunt et de pluribus negotiis regulariter egerunt. Ad extremum unus ex capitularibus Adscensus Baroni, fandi facultate arrepta, significavit, suum suorumque plurium confratrum desiderium esse, ut in canonicum honorarium proponeretur et eligeretur sacerdos M. ***G.*** utpote dignus et benemeritus de Cathedrali, ob iugem adsistentiam quam praestat in excipiendis confessionibus sacramentalibus. Ideoque capituli praesidem Archipresbyterum rogavit, ut super hanc propositionem suffragia exquireret.

Archipresbyter tunc petiit an scripta candidati postulatio adesset. Et cum ei responsum fuisset, eam non haberi, nec posse haberi, quia res candidatum latebat; insuper nec esse absolute requisitam : nam constitutiones hac in re nil praefiniebant, et in aliis casibus, quatuor enim vel quinque tunc aderant in eo capitulo canonici honorarii, absque ullo supplici libello electio huiusmodi proposita et facta fuerat: Archipresbyter proposuit, ut res ad alia comitia differre tur. Reclamante vero canonico Baroni, et ad statuta capitularia ac ad consuetudinem provocante, Archipresbyter indignatus coepit proferre ***Agimus...*** per quod censuit coetum capitulare dissolutum.

At ceteri omnes canonici in aula capitulari steterunt, et senior ex ipsis, Angelus Pasquetti, praesidentiam se assu-

mere ad comitia absolvenda declaravit. Tunc Canonicus Minio, sanguine coniunctus cum Archipresbytero, ait : de merito actionis Archipresbyteri verba non proferam; sed censeo coetum capitulare iam solutum esse ; nihilque capitulo superesse quam recursum ad Episcopum. Declaravit tamen permanendum esse in Capitulo ne punctaturis subiiciantur. Statuta enim ad ***art. 28*** cavent, ut « qui discedit non absoluto capitulo tamquam absens punctetur ».

Excepit canonicus Pasquetti, discessum archipresbyteri, ea ratione peractum, comitia capitularia dimittere non potuisse, pluraque in huius asserti demonstrationem produxit. Hisce innixus rationibus Canonicus idem, ceu Decanus, et interpres voluntatis Capituli, declarat, coetum capitulare prosequendum, et resumendam esse propositionem Canonici Baroni. Quum nemo verba fecerit, iussit super eodem suffragia ferre. Octo suffragia propositioni faverunt, unum contrarium fuit. Et exinde conventus iuxta morem dimissus est.

Re vero ad Episcopum delata, ipse electionem canonici honorarii ratam habuit et firmavit.

Verum archipresbyter non acquievit et ad S. C. C. recurrit, postulans definiri « utrum valida sit nec ne electio canonici honorarii ».

Episcopo et capitulo de more rogatis, ut super hoc negotio mentem suam aperirent, prior significavit se a voto coram S. C. C. promendo abstinere, eo quod iam capituli acta probaverat. Capitulum vero antequam in hac re S. C. instructam redderet, duobus canonicis commisit, ut adirent archipresbyterum, eumque rogarent ut supplicem retraheret libellum in obsequium Episcopi, qui ratum habuit actum capitulare, et ad servandam concordiam cum capite Capituli. Sed quum ille non assentiret, hinc, novis habitis comitiis, capitulares omnes, praeter Minio et Cherubini, qui a voto abstinuerunt, pro validitate controversae nominationis steterunt.

Interim ordinariis de iure actibus expletis quaestio proponitur. At ne confusio in disceptatione oriatur, advertendum

usque ab initio est, quod nominationis impugnatio non desumitur, saltem directe, ex electi qualitatibus, sed unice ex validitate illius tractus comitiorum capitularium in quibus electio rogata fuit. Quapropter discussio ad hoc punctum limitanda est. Pariter non sunt controversa facta, sed unice ius; idest utrum ex discessu archipresbyteri praesidentis, sessio quoque dissoluta sit, et subsequa acta extra capitularia evaserint.

Disceptatio Synoptica.

ELECTIO INVALIDA RENUNCIANDA VIDETUR. Quod facta non controvertantur testis est canonicus Minio , qui, una simul cum Cherubini, vindictas suscepit archipresbyteri, quibus idem archipresbyter subscripsit. Quaestio est itaque de iure. Et quoad hoc ita idem Minio prosequitur: firmus in mea prima sententia, quae Archipresbytero favet, censeo nullius esse valoris coetum capitularem Pasquetti. Quod ut ostendat , ita argumentatur : conventus habitus sub canonico Pasquetti aut consideratur quasi prosequutio sessionis prius habitae sub archipresbytero, aut quasi nova sessio; non enim datur medium. Atqui non est nec unum nec alterum.

Et non est in primis prosequutio praecedentis sessionis. Etenim iuxta canonistarum receptam doctrinam capitulum est collegium sub directione eius capitis, qui praepositi aut decani, archidiaconi aut archipresbyteri nomen atque officium iuxta varias ecclesiarum leges assumit. In themate autem caput capituli est absque dubio archipresbyter; ei igitur capituli praesidentia spectat. Porro praesidentis est capitulum convocare, negotia proponere, et suffragia colligere iuxta ea quae traduntur a S. RR. C. in ***Neapolitana 25 Martii 1695,*** et a S. C. C. in ***Bononien. 16 Iunii 1863, Lünen. Sarzanen. 12 Martii 1695,*** iuncto Garzia, ***Be Benef, part. 3 cap. 4 n. 26;*** nec non Barbosa, Fagnano , aliisque. Qui autem talia agit potest et capitulum dimittere. Paria enim haec esse videntur. Atqui in casu de quo agimus archipresbyter surgens e subsellio, atque gratiarum actionem

recitans, iuxta receptam praxim communemque sensum, coetum et dimisit et dimittere intellexit. Ergo capitularis sessio absoluta tunc fuerat, et quod deinde gestum est extra capitulare censendum videtur.

Accedit quod Ferraris ***v. capitulum art. 1 n. 23;*** tradit ad praesidentem Episcopum competere « praeeminentiam horologii » idest temporis ac diuturnitatis determinationem. Ergo, per analogiam, cum simile ius competere quoque deheat in themate archipresbytero, ipsi ius esse videtur dissolvendi comitia.

Cum itaque sessio habita sub Pasquetti non possit accipi ut prosequutio prioris, quae iuxta dicta rite absoluta fuisset; restat ut exploretur, utrum considerari possit qua nova sessio. At quoad hoc obstat synodus; quae in ***cap. 5 sess. 1 art. 2 n. 26*** praescribit ut comitia capitularia indicantur ab eo « qui hanc vindicaverit hucusque auctoritatem, » idest ab archipresbytero ; et indicantur die praecedenti per sonitum aeris campani, schedulam in sacrario affixam, et mandatari! nuntiationem singulis factam. Cum vero haec omnia fuerint omissa, ideo coetus habitus sub Pasquetti, quippe illegalis, nullius censendus est valoris.

Ad obiectionem vero quae proponitur, quod scilicet, si in pleno praesidentis arbitrio esset comitia dimittere, iam nil unquam gereretur quod praesidenti non arrideret; respondet orator 1. quod archipresbyter in themate non recusaverat de proposita re agere, sed censuerat negotium differendum esse ad alium conventum. Nec sine causa.

Siquidem ex traditis a De Angelis ad ***Decr. l. 3 tit. 8,*** « institutio huiusmodi (honorariorum) ad augendum ecclesiae » cultum et ad honorem pro meritis peculiaribus alicui re- » pendendum invecta est, prout cum DD. advertebat secre- » tarius S. CC in ***Terradriensi seu Setina 16 Februa- » rii 1788,*** et in ***Ianuensi 28 Ianuarii 1837.*** » Insuper « quoad numerum eorum attendendum est, ne adeo excrescat >> ut vilescat, et nimia canonicorum multitudo in ecclesiae » dedecus tendat. » Ac demum « aliquando S. C. attento

» numero canonicorum titularium non permisit, ut ne unus » quidem canonicus honorarius crearetur, ut in Terracinensi » citata. » Itaque res maturo consilio discutienda erat. Eo vel magis quod quatuor vel quinque honorarii in capitula iam habebantur, iique nimia quadam facilitate fuerant electi, quin discuterentur merita, nec adiumentum ex eis posset sperari, nam exteri erant: ideoque inolita agendi ratio erat merito corrigenda. Novus vero propositus licet adsistentiam pro sacris confessionibus praesertim in paschate aliquando cathedrali praestitisset, nihilominus meritis conspicuus dici non poterat. Aliunde capitulum titularibus satis erat instructum, nec honorariis videbatur indigere. Quapropter dilatio nominationis ad sequentia comitia, sicut archipresbyter proposuerat, inconsulta forte dici non poterat.

Imo 2. ea videbatur synodalibus praescriptis innixa. Etenim haec ad ***cit. 5 art. 29*** ita iubent: « In re ancipiti, » ubi diversae fuerint sententiae, proposita in uno capitulo » ad aliud definienda reiiciantur. »

De cetero 3. suo iure usus videtur archipresbyter. Nam iuxta Garziam ***De benef. part. 3 cap. 4, n. 26 :*** « ad » maiorem seu digniorem spectat convocare capitulum pro» ponere negotia decidenda etc. ; cum iste sit actus iurisdi» ctionis qui competit praesidenti ratione superioritatis. » Concinit ibidem Petra cum aliis. Sed quod magis est, huic sententiae congruunt tum peculiaria illius ecclesiae statuta tum dioecesana synodus. Haec enimvero ad § ***28 cap. 5*** ita iubet : « Proponantur per praesidem negocia tractanda. » Et illa ad ***cajo. 13*** ita disponunt: propositiones fient a prima dignitate, vel, ista absente, ab eo qui ordine succedit. Unde cum iuxta allegatas DD. auctoritates et dioecesana praescripta, praesidenti, idest in casu archipresbytero facultas proponendi quaestionum puncta reservetur; iam suo iure usus videtur archipresbyter praetermittendo quaestionem. Cui enim ius proponendi reservatur, etiam non proponendi spectat. Correlativa siquidem sunt.

Quin dicatur 4. exinde archipresbyterum quippe desiderio

maioritatis capituli contrarium impedire in perpetuum potuisse ne optata propositio fieret. Quippe quoniam canonici adversus hanc praesidentis violentiam praesidium petere poterant ab Episcopo, imo et a synodalibus saepius citatis constitutionibus.

Haec enim cavent: « unico etiam postulante canonico comitia cogenda erunt. » Quapropter cui res cordi erat, petere et exigere poterat, ut nova comitia sequenti die regulariter haberentur. Et si archipresbyter huic iustae petitioni contra canones et ecclesiae statuta obstitisset, vel ad Episcopum recurri poterat, vel per seniorem canonicum capitulum legitime cogi iuxta tradita a S. Rota in ***Eispalen. 2 Iulii 1700,*** et ***Gerunden. 14 Iunii 1702.***

Quapropter , ut hanc partem concludam, cum archipresbyter negocium de nominatione canonici honorarii in conventu diei 9 Octobris 1885 proponere noluerit, et coetum assueta ratione dimiserit, et in hoc faciendo iure suo usus videatur; iam quae deinde gesta sunt invalida, a legitimis comitiis aliena, et absque effectu dicenda forent.

ELECTIO VALIDA RENUNCIANDA VIDETUR. EX altera parte negandum absolute videtur quod uni comitiorum capitularium praesidi exclusiva sit potestas proponendi negocia in conventu tractanda; docente cum communi Scarfantonio ad Ceccoperium ***t. 2 C. 4 tit. 4 num. 54*** quod « ad caput capituli primum pertinet quaecumque vult proponere, post quem idem efficere fas est, hisque est, cuilibet capitulari per ordinem. »

Idque dérivât et necessario consequitur ex iure quod nuncupant vocis, quod singuli in capitulo habent, et in quo principaliter consistit canonia. Etenim licet hoc vocabulo saepenumero intelligatur ius ferendi suffragium; nihilominus et alia iura venire, et inter haec etiam ius proponendi quaestiones, ac postulata faciendi, indubium est apud DD. eodem Scarfantonio teste ***tom. 2 lib. 4 tit. 3 n. 1*** et receptum in praxi communiter est.

Imo et suadetur ab elementari rectae rationis sensu, quippe quia si in capitulo ea unice negotia pertractari possent

quae praesidenti arriderent, iam ipsa notio capituli, quae esi societatis confratrum-, subverteretur, et in manu praesidentis despótica esset potestas impediendi quidquid sibi non placeret.

De cetero si, iuxta Scarfantonium ***loc. cit. tit. 1 n. 43**** € capitulum coadunandum est ab iis, quorum interest semper et quando per capitulares instatur; - amplia - etiamsi talis instantia fiat per unicum canonicum, aliquod negotium non leve ibi proponere cupientem » iam a fortiori in capitulo coadunato quilibet ex canonicis aliquid proponere poterit.

Nec dicatur in themate statuta et synodales leges aut consuetudinem obstare : nam statuta et synodus utique in casu praescribunt, ut negocia in comitiis tractanda proponantur a capituli praeside ; at haec dispositio intelligi necessario debet consentanee ad rectae rationis et legum generalium dictatum, idest non exclusive nec absolute, sed principaliter. Idque ostenditur ex ipsis etiam statutis. Nam ibi ad ***cap. 13*** cavetur: flent propositiones a prima dignitate, et, illa absente, ab eo qui ordine succedit; quae propositiones si forsan respuantur, ordine ab aliis iterum flent, et quisquis iuxta suam conscientiam suffragium feret. Imo cum synodus ***cap. 5 § 20*** iubeat quod « unico etiam postulante canonico (comitia) cogenda erunt, » implicite quidem, sed nihilominus aperte insinuât ius esse quibuslibet ex canonicis negotia proponere.

Cui conclusioni favet et consuetudo; nam notat capitulum, praesidem archipresbyterum ante conventus dimissionem et gratiarum actionem petere consuevisse : habetis aliud proponendum? Et quamvis archipresbyter eiusque fautor canonicus Minio excipiant, dicentes, archipresbyterum ñon ita praecise confratres rogavisse, sed hac potius ratione: habetis aliud, nihilominus res in idem reddere, et nugax haeo exceptio videtur.

Verum parumper admisso quod exclusiva insit archipresbytero potestas negotia proponendi, attamen hoc ius ipsi non debet intelligi datum in destructionem, sed in aedificationem ; ad hoc scilicet, ut quae abnormia sunt a disceptatione excludat, non vero ut quae legitime tum quoad substantiam,

tum quoad formam ad suffragia ferri postulantur, suo nutu recuset.

Atqui quoad rem de qua agimus postulatio canonici Baroni legitima, tum quoad substantiam tum quoad formam dicenda videtur. Agebatur enim de canonico honorario cooptando. Porro res in se canonica erat, nec in suis adiunctis poterat improbari. Enimvero qui proponebatur nulla censura inuri poterat, acceptus omnibus erat, ecclesiae auxilium praebuerat, et in futurum maius emolumentum ab eo sperabatur. Ideoque ex hoc latere non erat ratio hunc excludendi; eo vel magis quod iam cooptati haberentur in fratres quatuor vel quinque exteri sacerdotes meritis certo inferiores. Nec valebat ratio numeri honorariorum vel titularium ; nam nec illi, nec isti numero superexcedentes ita videntur, ut exinde ecclesia gravetur. Ergo res, quae proponebatur inhonesta aut abnormis quoad substantiam non erat.

Sed neque quoad formam, nam nulla certa forma aut a lege universali ecclesiae, aut a peculiaribus illius ecclesiae statutis habetur praescripta quoad praesentationem canonicorum honorariorum. Utique archipresbyter, Minio et Cherubini contendunt, quod postulatio in scriptis et a candidato confecta praesentari iuxta consuetudinem oportebat; at quod affirmant nullo, praeter suam auctoritatem, confirmant argumento. Et vicissim ceteri capitulares negant, huc usque hanc fuisse in capitulo praxim.

Verum maxima detur concessio, et retineatur quidem incertum prorsus fuisse, an canonica et legitima foret sive quoad suam substantiam, sive quoad formam postulatio canonici Baroni, pro canonici honorarii cooptatione ; nihilominus etiam in hoc rerum statu praesidentis non erat rem definire ; sed confratres de hoc negotio rogare debuisset. Et si hi contra eius intentionem conclusisset, poterat quidem ad Episcopum confugere, vel ad S. Sedem provocare, ut infirmaret res gestas ; at nullo modo fas ipsi forte erat ex abrupto surgere, negotium iam inceptum abrumpere, gratiarum actionem recitare et discedere.

Nec magis archipresbyteri discessus legitimatur ex § ***20 cap. 5*** dioecesanae synodus, ubi statuitur quod « in re ancipiti, ubi diversae fuerint sententiae, proposita in uno capitulo ad aliud definienda reiiciatur. » Quandoquidem 1. utrum vera sententiarum diversitas, quam synodus intendit, in eo casu haberetur, latebat. Siquidem unus canonicus Baroni suo et plurium aliorum confratrum nomine petitionem fecerat, obstiterat Archipresbyter, et nemo alius interposuerat verba. Imo 2. negari potest hanc sententiarum diversitatem extitisse ; nam habebatur tantummodo minor pars contradicens maiori, sicut eventus et suffragium postea factum ultro demonstravit; ideoque nec anceps res erat, nec poterat ad sequentia comitia, iuxta synodum, remitti ; quia in tali casu omnia negotia, quae concordi consilio non concluduntur essent differenda. Sed 3. etiam in hac re, si quid dubii supererat, capitulum rogari debuisset, minime solo praesidentis archipresbyteri nutu quaestionem divelli.

Age vero, si negotia in comitiis pertractanda a simplicibus quoque capitularibus proponi iuridice possint, eaque, praesertim si legitima ac canonica sint, recusari a praeside non possint, nec ad alia comitia suo arbitrio differre; iam sequitur, debuisse die illa, de quo agimus, pertractari id quod a can. Baroni proponebatur, nec fas fuisse archipresbytero discedere, nec eius discessu dissolutum fuisse capitulum et extracapitularia reddita acta postea gesta, sed imo potius ipsum archipresbyterum in poenas illegitime absentium incidisse.

Et re sane vera, archipresbyteri seu cuiuslibet alterius dignitatis praesentia non est ita absolute necessaria ad capitulum, ut sine ipsa, aut ea discedente, comitia amplius haberi non possint. Imo recepta doctrina est apud Scarfantonium ***loc. cit.*** Ferraris ***v. Capitulum*** § ***2*** aliosque passim DD., et cautum quoque est in statutis et synodo Civitatis castellanae, quod, capituli capite non interveniente, ideoque eo etiam discedente, si praesertim absque legitima causa discedat, suppleat qui sequitur. Itaque in themate nil refert

Archipresbyterum discessisse ; nec ex eius discessu conventus dici potest dimissus.

Pariterque nil refert gratiarum actionem archipresbyterum recitavisse; quia licet in fine comitiorum ea recitari soleat ; tamen si praeses inconsulto et arbitrarie non expletis negotiis, imo dum haec peraguntur, surgat, orationemque praefatam recitet, id magis qua singulus, quam qua conventus praeses fecisse dicendus est.

Ideoque demum tunc comitia dissolvi a praeside possunt, et censentur rite finita, cum negotia quae pertractari coepta sunt expleta iure fuerint et nemo alius adiiciendum quid habeat; aut etiam quando maior ac sanior capituli pars in hanc sententiam concedat. Hoc, quin tempus teramus in sententiis exemplisque afferendis, videtur ex ipsa comitiorum capitulorum natura sponte descendere.

Et comprobatur ex ***cap. Cum nobis olim 19 De eieci.,*** ubi, cum archidiaconus Capuanus cum aliis eius fautoribus ab aula capitulari exiisset, appellationemque interposuisset, « ne electio fieret, nisi canonica » et deinde licet rogatus revertere recusavisset ; alii electionem canonice peregerunt; eamque Pontifex ratam habuit, quin attenderet archidiaconi aliorumque discessum, quos imo per hoc ab electione « alienos se fecisse » proclamavit. Unde concludunt DD. et eos inter Reiffenstuel in ***h. t. n. 200*** quod « si coepto electionis tractatu aliqui vocales recedunt, procedunt alii sine ipsis. » Imo illegitime sic discedentes absentium poenis multantur, sicut in genere tradit Scarfantonius ad ***loc. cit.,*** et pressius ad rem nostram constituunt statuta et synodus ecclesiae Civitatis castellanae.

Quin subsumatur , aliam in civitate castellana inolitam esse disciplinam. Etenim haec in primis parum aequa et concinna videretur. At insuper de facto nec existit. Ipsis enim Archipresbytero eiusque fautoribus fatentibus, hic mos est ibi receptus, ut antequam conventus dimittatur, praeses soleat rogare: ***habetis aliud?*** Insuper eo praeciso die, in quo Archipresbyter discessit, Minio professus est, se in aula ma-

nere ne absentium poenis multaretur. Quod et peregit Cherubini. Ergo non modo adversarii, sed et archipresbyteri fautores censuerunt, aut saltem dubitaverunt, quominus comitia non essent expleta. Porro hic unanimis capitularium sensus> Ordinarii insuper confirmatione fulcitus, pro controversorum comitiorum validitate non parvi est valoris.

Hisce perpensis propositum fuit diluendum

Dubium.

An electio canonici- honorarii facta a capitulo Civitatis castellanae in comitiis diei 9 Octobris 1885 valida fuerit in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re cognita sub die 21 Iulii 1888, censuit respondere: ***Affirmative et amplius.***

Ex QUIBUS COLLIGES: I. Canonicos honorarios, qui nostris temporibus in quamplurimis capitulis instituuntur ad divinum cultum et Episcopi senatum decorandum, eligi posse ab Episcopo cum consensu Capituli, vel a Capitulo cum Episcopi consensu. (1)

II. Quoad electionem eiusmodi Canonicorum nullam certam a lege universali Ecclesiae praestitui formam ; ita ut si nulla adsit determinata vel forma vel consuetudo specialis in Synodo dioecesana, aut in Statutis capitularibus, quaecumque forma adhiberi potest, quae eligentium voluntatem certam legitimamque dicere valeat.

III. Quemlibet canonicum titularem, posse proponere quaestiones et facere postulata, Doctores autumant et in praxi receptum est ex ***canonia;*** nisi dici velit ea tantum pertractanda esse in Capitulis quae praesidi arrident.

IV. Quinimo, etsi ordinarie sit praesidis coadunare capitulum, tamen posse quoque coadunari ab iis quorum interest, etiamsi unus tantum instantiam faciat ad proponendum aliquod non leve negotium.

(1) Recolé Vol. III, 138, Vol. IV, 189, 317, 579, 585.

V. Praesidi quidem esse potestatem ordinariam proponendi negotia pertractanda in capitulo; ea ratione tamen ut excludere valeat, quae abnormia sunt ; non ea quae ab aliquo suffragiis subiici postulantur quaeque rite proponuntur, tum quoad substantiam, tum quoad formam; aliter praesidis potestas esset in destructionem non ad ordinem servandum.

VI. Canonicam atque legitimam fuisse propositionem in themate cuique patere ; et praesidem minus rationabiliter sese opposuisse plurium fratrum petitioni, eo consilio ut incoeptum negotium ex abrupto derelinqueretur et ad alia comitia arbitrio suo differretur.

VIL Coetus capitulares rationabiliter dissolvi posse a praeside quando negotia pertractanda rite expleta sint, ita. ut si rebus infectis et absque legitima causa discedat a comitiis, qui sequitur in dignitate supplet et comitia legitime moderatur loco praesidis.

VIII. Electionem in themate rite peractam fuisse; et praesidem eiusque asseclas alienos ab hac electione sese fecisse. (1)

CIVITATIS CASTELLI

SACRORUM UTENSILIUM

Die 21 Iulii 1888.

Sess. 22 Decret. De observ. et evitand. etc.

COMPENDIUM FACTI. In ecclesia cathedrali Civitatis Castelli ab anno 1612 erecta est a quodam Panulli capellanía de iure patronatu laicorum cum annuo onere 52 missarum, sub titulo SSmi Crucifixi, Eius patronus nunc dicitur sacerdos I. B. De Michaelis, qui ab anno 1844 eiusmet possessor etiam est.

(1) Quoad electionem ecclesiasticam recole Vol. VIII, 389; Vol. IX, 138; Vol. *X,* **273; Vol. XIII, 390; Vol. XVIII, 97; Vol. XIX, 68.**

Hic autem licet non neget contributionem pro usu sacrorum utensilium sacristiae solvere aliquando consuevisse, contendit tamen ex errore se id fecisse, et nullo modo teneri; quod postulat ut a S. C. C. declaretur. Sed contrarium sustinet capitulum, cui omnino favet Episcopus. Cum autem bene perspectum non esset ex litteris hinc inde datis a quo anno primum soluta fuisset haec contributio, Episcopum de hac re rogari oportuit, qui respondit : ex libris administrationis Capituli, quos ille ipse vidit, collegisse ab immemorabili solvi taxam utensilium pro satisfactione onerum Missarum, etsi regestra parvo laborent ordine; qui tamen incipit ab anno 1818 ad annum 1847. Quo temporis lapsu taxam 70 obulorum solutam quotannis fuisse apparet. Ex iisdem regestris colligi ipsum recurrentem I. Baptistam de Michaelis eandem rependisse taxam usque ad annum 1865.

Disceptatio Synoptica.

Atque in primis princeps dispositio in hac materia habetur ex antiquis S. C. C. decretis. Nam S. C. C. ex patrum consulto diei 21 Iulii 1625 ab Urbano VIII ap. lit. ***Cum saepe contingat*** confirmato, plura circa missarum celebrationem disposuerat ; sed cum deinde nonnulla dubia super horum decretorum interpretatione exorta fuissent ; atque inter alia « VII. super quarto eisdem Congregationis decreto quo prohibetur sacerdoti, qui missam suscipit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem missam alteri, parte eiusdem eleemosynae, si retenta, celebrandam committant, ***quaereretur,*** an permittendum sit administratoribus ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis ecclesiae, altarium, inserventium, paramentorum, luminum, vini, hostiae et similium; » S. C. C. ita respondit : « Ad VII. permittendum non esse, ut ecclesiae ac loca pia seu illorum administratores ex eleemosynis missarum celebrandarum ullam, utcumque minimam, portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in missarum celebratione, nisi cum ecclesiae et loca pia alios non habent

redditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licite possint; et tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quae pro ipsomet tantum missae sacrificio necessario sunt subeundae, et nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis quae supersunt, expensis ut supra deductis, absolute tot missae celebrentur quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynas. » Et hanc resolutionem probavit Innocentius XII apost. lit. ***Nuper*** X kal. Ian. 1697. Ex hoc sponte sua fluere videretur, ex missarum stipendiis nullam detractionem, neque propter utensilium usum, per se esse faciendam.

Sed quia addita iustissime fuerat illa clausula, ***nisi ecclesiae alios non habeant reditus,*** iam volentibus utensilia detrahere, contra legem prohibentem prima eaque potissima patuit exceptio.

Verum et alia cito accessit; nam examinantibus verba decreti visum est, prohibitionem praefatam afficere quidem missas manuales manualesque eleemosynas, minime vero legata perpetuasque fundationes ; a quibus ideo utensilium taxam praelevare, integrum omnino mansisset. Et quod ita debeant intelligi verba decreti, videtur 1. retinendum ex ipso verborum sensu ; nam expressiones illae ***tot missae celebrentur quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynas,*** aliaque analoga, quae habentur in eo decreto, manualibus applicanda esse non aliis, notavit Rota ***decis. 463 num. 5 et 6 coram Merlino.***

Insuper 2 hoc videtur auctoritate S. C. C. iam resolutum. Etenim in ***Auximana diei 23 Februarii 1726*** proposito dubio, ***an rectores beneficiorum, capellani, aliique celebrantes in ecclesia collegiata Cingoli teneantur solvere utensilia capitulo dictae ecclesiae,*** licet nemo negaret divitem esse ecclesiam; et rectores beneficiorum, ut se a contributione subtraherent, ultro probassent 1. redditus complures adesse a benefactoribus collatos pro expensis cultus in genere 2. diversas multas in eumdem finem sacristiae consuevisse applicari, 3. olim se nihil contribuisse, et exinde ecclesiae

proventus auctos fuisse, non imminutos ; nihilominus S. C. O. respondit : « Rectores beneficiorum, capellanos perpetuos canonicos obtinentes ultra canonicatus, capellanías perpetuas, et ipsum capitulum pro rata onerum perpetuorum teneri ad solutionem utensilium missis adventitiis, et amplius. »

Et cohaerent aliae resolutiones, e. g- ***Romana die IO Maii 1727*** aliaque ***diei 28 Ianuarii 1736, Camerinen. Utensilium 17 Decembris 1740*** ac tertia ***Romana diei 26 Martii 1679,*** ubi 4 scutorum detractio pro utensilibus probata fuit licet legatum his verbis esset conceptum, idest ut in singulis annis celebrarentur tot Missae, quot suae haereditatis reditus ferrent. Sed suffragatur in hac re etiam ***Derthonen. die 7 Iulii 1726,*** ubi ad II Dubium : « ***an archipresbyter ecclesiae collegiatae oppidi Fontis Curoni, fuerit et sit obligatus subministrare vinum et hostias capellanis aliisque presbyteris de clero, celebrare volentibus, vel obligatis ad celebrandum missas in eadem ecclesia,*** » statuitur : « ***archipresbyterum non teneri ad subministranda utensilia, de quibus agitur, illis qui celebrant in sua ecclesia eoe obligatione benef evi sive capellaniae, exceptis illis cum quibus habeat conventiones particulares.*** » Unde in ***cit. Camerinen.*** legitur: « Receptum utique communi videtur calculo, quod omnes et singuli beneficiati aliique capellanías sub perpetuo missarum onere obtinentes ac ipsi quoque canonici tenentur pro utensilibus sacrario ecclesiae contribuere iuxta cuiusque ecclesiae praxim ».

Cuius rei rationem ita expendit Alberti ***De sacr. utens, cap. 14 n. 1:*** « Cum sacrorum utensilium, quae praesertim ss. sacrificii oblationem respiciunt, usus frequens sit et quotidianus, fieri nequit quin ea consumantur et afferantur. Hinc ne rectores ecclesiarum damnum ex alieno commodo patiantur iuste institutum est, quod sacerdotes in celebratione missarum, sacra utensilia adhibentes, damnum illud resarciant praestatione alicuius summae. » Unde S. Rota in ***Colonien. 9 Martii 1761 decis. 98 num. 5 et 6*** iuxta eumdem Alberti ***cap. 13 num. 28*** adiicit: « Inauditum pe-

nitus est recipientem rectorem ac benefìciatnm in propria ecclesia teneri ad sacram supellectilem recepto suppeditandam. Id namque iniustissimum foret, proindeque viget imo valetque contraria sententia, ut scilicet celebrans in aliena ecclesia ex titulo capellaniae seu beneficii teneatur ipse vel suis sumptibus utensilia sibi parare, vel si malit alienis uti, mercedem congruam ecclesiae persolvere. » Idque, ut habet in casu nostro Episcopus Civitatis Castelli, quia nulla extat lex, quae Ecclesiam ullam obliget se subiicere oneri alicui, absque respectiva compensatione.

Et licet haec ratio posset aliquatenus applicari etiam ad casum missae manualis ; nihilominus diversitas notabilis est ; nam aliud est onus perpetuum suscipere aliud extraordinarie commodare utensilia.

Ex quibus concludendum foret utensilium taxam praelevari semper posse ex beneficiis, capellaniis, perpetuisque legatis ; imo etiam ex manualibus missis dummodo ecclesia sit pauper ac sufficientibus mediis careat ad necessaria pro missae sacrificio providenda.

Post haec DD. sententia expensa fuit; ex istis enim nonnulli decreta S. C. C. ut plurimum simpliciter referunt. Alii, imo maior eorum pars, ut Ferraris ***v. Utensilia,*** Zamboni ***tom. 4 Conclus, v. Utensilia,*** Monacelli ***Form. par. 4 n. 181 pag. 107,*** Pitonius ***De controv. patr. alleg. 54 n. 46,*** et ***alleg. 100 n. 165,*** atque ibi Amostazo, Tamburini, Ursaya sententiae superius expositae prorsus adhaerere videntur : - ubi etiam disputant de modo exigendi hanc praestationem, praesertim a sacerdotibus manuales missas celebrantibus, et de iure rectorum exlcudendi a celebratione qui huic praestationi subesse nolunt, aut sua paramenta, cereos, vinum et hostias non deferunt.

At sunt et alii, pauci quidem numero, qui rigidiorem amplectuntur sententiam, ac sustinent utensilium taxam non esse detrahendam neque a capellaniis, beneficiis, perpetuisque legatis, si sacristia sit sufficienter ad id provisa. Ita sane Alberti ***De sacr. titens. cap. 13 n. 30:*** « Quae diximus

respectu sacerdotum missae sacrificium offerre debentium ex obligatione... procedunt in ecclesiis pauperibus ac proventus sufficientes non habentibus pro gratuita utensilium subministratione. At si ecclesiae reditibus abundent, earumque cesset indigentia, rectores illarum subministrare tenerentur, absque ulla impensa, sacra utensilia enuntiatis presbyteris, cum hi ex una parte cogantur in tali ecclesia celebrare ex dispositione testatorum, ex altera vero administratoribus ecclesiae divitis fas non sit quidquam recipere pro utensilibus, id expresse interdicentibus notissimis decretis S. C. C. ***De celebr. miss,*** latis sub Urbano VIII. » Et haec sententia firmari videtur ex S. O. C. facto. Nam in cit. ***Camerinen.*** EE. PP. decisione prima vice dilata, iusserunt scribi Episcopo ut firmato statu tam activo quam passivo sacrarii et computatis emolumentis eidem sacrario provenientibus, sive ex cera sive ex funeribus, distinctam una cum utroque praedicto statu transmitterent onerum et reddituum rationem. Imo huic sententiae adhaerere videtur etiam Benedictus XIV ***inst. 56 § 13*** ubi ait: « Si ecclesiae paupertas interveniat, aliquid retineri posse pro necessariis missarum expensis, cum perpetuae sunt. »

In linea iuris hisce generice praemissis, peculiaria partium momenta summatim exposita fuerunt.

IURA SACERDOTIS DE MICHAELIS. In primis sacerdos hic ut exemptionem suam tueatur appellat ad ***Institut. 56*** Benedicti XIV, cuius ad rem testimonium allegatum fuit. Et dein provocat ad dispositionem synodalem anni 1768, actam sub Episcopo Lattanzi, ubi ad ***act. 1 cap. 5 % 19*** haec habentur praescripta: « S. M. Urbanus VIII decrevit nihil prorsus eleemosynis manualibus eo nomine, utensilium, detrahendum. E stipendiis autem pro missis perpetuis tunc solum ubi sunt celebrandae ***(sic)*** ecclesias aliquid percipere indulsit, nisi habeant aliunde quomodo praestationi utensilium huiusmodi satisfaciant. Nos igitur ut inopinatis hisce casibus occurramus hac nostra declaratione permittimus et assignamus ecclesiis locisque piis nostrae dioecesis, quae alios

non habent redditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licite possint retentionem obuli unius cum dimidio pro qualibet missa, sine alio praeiudicio eleemosynae sacerdoti celebranti tribuendae. » Quae dispositio a sequentibus synodibus Momdelli, Muzi, ac Turchi fuit substantialiter confirmata.

Atque in his idem capellanus observat, cathedralem ecclesiam satis esse pro expensis cultus provisam ; eosque reditus non esse hodie absolute imminutos; nam si quid ex introitu est detractum a gubernio, minora tamen sunt onera, maioresque fidelium oblationes.

IURA CAPITULI. Vicissim capitulum refert duas superius allegatas resolutiones S. O. C. sibi faventes; et insuper observat dioecesanas synodos citatas permittere, ut pro utensilibus detrahatur taxa sequi obuli pro unaquaque missa, si ecclesia alios non habeat instructos reditus. Cathedralem vero utique habere fundum aliquem pro cultu; sed praeterquamquod hic est ferme dimidiatus, nec hodie minora sunt onera, quam olim, haec insuper habet Episcopus; Cathedralis fundum possidet pro cultus expensis, id est pro cultu Cathedralis proprio; non vero pro oneribus specialibus singulorum legatorum, capellaniarum, aut beneficiorum.

Verum post haec ad consuetudinem capitulum potissime provocat; circa quam Episcopus haec profert; ut melius in propatulo ponerentur res examini supposui regestum taxarum pro utensilibus huius capituli. Quo in libro relatas reperii taxas quas singulae capellaniae solverunt. Quo vero ad recurrentem constat, eumdem usque a principio renuisse taxam utensilium rependere, sed hoc tandem fecisse usque ad annum 1876 etsi omnes alii beneficiarii diligentes sint.

Porro consuetudo non solum est optima legum interpres, praesertim in re dubia, si talis adsit in themate; sed insuper, praeter quam in linea interpretativa, valere potest etiam in linea praescriptiva, iuxta nota iuris principia.

Eo vel magis si iusto conventionis titulo insuper fulciatur. Narrat enim capitulum : hoc in casu adesse quoque spe-

cialem conventionem inter cathedralem et capellanum. Et re quidem vera ex libro Sacristiae constat, Capellanum oneri se subiecisse solvendi quotannis obulos 78 ; quod praestitit usque ad annum 1866. Quinimo anno 1876 solvit libellas quinque.

At ex adverso respondet capellanus, consuetudinem utpote abusivam nihil valere; se autem, si per aliquod tempus utensilium praestationem solvit, ex ignorantia et bona fide id fecisse ; insuper consuetudinem nec continuam nec certam esse ; nam latet utrum antecessores beneficiati tributum solvermi : nescio, ait, an decessores mei utensilium taxam solverint ac contendit hanc exationem primum esse factam anno 1846 sub sacristano Corsi. Insuper obiicit: quando Capitulum conventionem mecum init, clare confitetur, cappellani hanc subiectam taxae pro utensilibus non fuisse antequam mihi conferretur, quamvis erecta anno 1615.

Circa quod postremum punctum non inutile erit animadvertere 1. quod capitulum dicit, conventionem initam esse inter Cathedralem quidem et capellanum ; minime vero inter Cathedralem et De Michaelis : 2. quod licet conventio reapse inter actualem investitura et capitulum existeret, nihilominus haberi posset ut veteris iuris confirmativa, potiusquam ut ordinativa et constitutiva novi.

Hisce perpensis, enodandum propositum fuit sequens

Dubium

An capellanus De Michaelis solvere teneatur taxam pro sacris utensilibus sacrario cathedralis in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re cognita sub die 21 Iulii 1888 censuit respondere. ***Affirmative et amplius.***

Ex QUIBUS COLLIGES: I. Receptum communiter esse, omnes et singulos beneficiatus, aliosque obtinentes capellanías perpetuas ad taxam utensilium teneri, ut praestatione alicuius summae damnum resarciant quod ecclesiae inferunt adhibendo sacra utensilia dum missam celebrant.

II, Pro eiusmodi taxa, quae missas adventitias non afficit, constitui nunc decimam libellae partem a S. Congr. Visitationis Apostolicae in decretis fundationis pro qualibet Missa quotidiana celebranda. (1)

———=-&^8S^-<==———

ALBANEN.

SERVITII CHORI

Die 21 Iulii 1888.

Sess. 25 cap. 12 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Actum est de hac causa die 1.8 Iunii 1887 sub dubio ***an et qua ratione canonici novae erectionis teneantur ad vicem servitii seu ad turnum in casu.*** Cui Emi PP. responderunt: « Affirmative iuxta articulos conventionis a S. C. anno 1769 approbatos. » (2)

Res autem haec erat; in capitulo loci ***Ariccia*** praeter 10 canonicos primae erectionis, successu temporis fundati sunt tres alii canonicatus, quorum unus a nobili familia Ohigi, duo vero reliqui a pia muliere Felli Silveri. Porro tum ille, tum isti a lege turnorum pro quarumdam missarum celebratione exempti a fundatoribus fuerunt. Sed duo canonici tertiae erectionis anno 1769 convenerunt cum veteribus canonicis, ut turnum missarum ferrent cum ipsis dummodo ad quaedam honoris et lucri emolumenta admitterentur; quam concordiam S. C. C. probavit.

At anno 1858 Emus Cardinalis Patrizi, ut fabricae ecclesiae prospiceret, et instructum redderet sacrarium paramentis aliisque ad cultum necessariis prorsus indigens, audito prius capitulo, petiit et obtinuit a SSmo ut quatuor ex veteribus canonicatibus supprimerentur.

Exinde vero sponte sua consequebatur, diminuto personarum numero, frequentiores futuras vices servitii. Porro duo canonici novae erectionis reclamaverunt et concordiae

(1) **Confer Vol.** XII, **pag.** 294.

(2) **Iam relata fuit Vol.** XX, **pag. 225.**

prius initae ulterius stare recusaverunt, duo potissimum motiva allegantes: 1. quod conventio turnorum inita erat cum decem canonicis; ideoque reducto eorum numero conventio^ haud amplius tenebat : eo vel. magis 2. quod canonici novae erectionis in hac re noa fuerant auditi, nec reductioni consenserat.

At eo non obstante S. C. C. praedicta die standum censuit conventioni iam initae, sicut supra expositum est. Verum res non placuit canonico Iuliani, qui hodie, altero beneficio vacante, integrum repraesentat collegium canonicorum tertiae erectionis. Ideoque novam audientiam petiit; ac insuper aperitionis oris arbitrium petiit contra pontificium rescriptum diei 13 Augusti 1858, quo reductio canonicatuum sanciebatur : quod cum permissum fuisset ex hoc rescripto diei 1 Maii 1888 « ***Vigore etc., proponatur una cum merito dubium super aperitionis oris*** » hinc est quod praesenti vice duo dubia disceptanda occurrunt, quae in folii calce habentur.

Disceptatio Synoptica

QUAE FAVERE VIDENTUR CANONICO IULIANI. Canonicus hic patrocinium adscivit advocatorum, qui haec summatim retulerunt. Si canonici tertiae erectionis turnorum onus suscepisset sub conditione ***rebus ita manentibus,*** seu, « duodenario canonicorum numero persistete » iam, reducto canonicorum numero, compelli profecto non potuissent ad vicem servitii; quia deficiente conditione sub qua obligatio facta est, deficit quoque obligatio. ***L. Non omnis ff. De reb. er ed.***

Atqui haec conditio licet non fuerit expressa, tamen subintelligi semper debet in quacumque conventione iuxta Barbosa ***Claus. 129 n. 2.*** S. Rota ***coram Ansado decis. 164 n. 4 et 5*** iuncta ***L. fin. Cod. De spons., et L. Quod servus ff. De condit, caus. dat.,*** et quia in his rebus valet adagium, quod « eadem est vis taciti, ac expressi ».

Idque firmatur ex alio principio, quod scilicet quoties conventiones, concordiae et contractus decursu temporis in iniquitatem vergunt, officio iudicis ad bonum et aequum reduci debent. ***L. Cum quidam ff. De usuris, L. 2 Cod. De rescind. vend.,*** Card. De Luca'Ite ***regul. discep. 57 n. 12.***

In iniquitatem autem conversam esse conventionem anni 1769 inter canonicos veteris ac novae erectionis initam, probant patroni, ex eo quod hodie post reductionem quatuor praebendarum « canonicis primae erectionis, ut olim Emus Episcopus notabat, e quatuor praebendis, de anno 1858 suppressis, non modicum obvenit commodum atque levamen, dum illis tertiae ob par maius inde servitium... nullum prorsus emolumentum advenit. »

Accedit, quod haec reductio praebendarum facta fuit inauditis canonicis tertiae erectionis et ex facto ac consensu canonicorum veteris massae, ut infra fusius dicetur. Quapropter vel a fortiori hi, et non illi, de hoc facto respondere debent.

Unde concludunt oratores merito usque modo canonicos tertiae erectionis vices servitii fecisse ut antea, idest pro «duodecima parte: qua in re, cum et capitulum usque modo acquieverit, et Curia siluerit, tacitam approbationem accessisse, dicendum insuper videtur.

Ad obiectionem vero quae potissime fit in hac causa contra canonicos novae erectionis, quod scilicet, hi cum turnos ferre desponderint, in aequali gradu se constituerint cum veteris massae canonicis; patroni respondent, 1. falsum esse quod novi canonici pure et simpliciter vices servitii ferre adpromiserint. 2. falsum quoque esse, quod in aequali societate a veteribus canonicis fuerint recepti, quum ex suppressione quatuor praebendarum ipsi nihil vel fere nihil perceperit, dum plura sibi vindicaverunt veteris massae canonici.

Ex quibus oratores putant ultro firmari principium quod tuentur, scilicet canonicos novae erectionis ob reductionem praebendarum veteris massae non teneri ad graviorem vicem servitii. Sed id vel luculentius adstrui iudicant impugnanda

ipsam reductionis gratiam, idest apostolicum rescriptum diei .19 Augusti 1858, quippe quod obreptitium et nullitatis vitia infectum.

Sane aiunt, ex citatis litteris manifestum exurgere, dua fuisse Pontifici motiva ad reductionis indultum concedendum, idest 1. necessitatem reparationis ac manutentionis ecclesiae, et 2. collegialis capituli consensum : - ibi - « Nos igitur gravitatem rationum considerantes quae superius relatae sunt, necnon collegialis capituli consensum per secreta suffragia exhibitum, tibi etc. committimus etc. »

Atqui utrumque erat falsum. Etenim non studio domus Dei et fabricae necessitate, sed potius propria utilitate motos fuisse canonicos ad praebendarum suppressionem implorandam, probant patroni, ex eo quod 1. veteres canonici exinde se eximere potuerunt a contributione erga sacrarium; 2. quia patrona familia Chigi ab anno 1874 ad 1885 pro aedium restauratione 20000 libellarum contribuit, ceu fidem facit eiusdem familiae ratiocinatur; 3. quia et ipsi municipes loci valde ad id contribuerunt; dum e contra capitulum tenuissimas contulit quotas ; licet, eodem actore canonico Iuliani teste , capitulum non módicas summas ex incertis etiam provenientes hisce annis consequutum fuerit.

Defuisse vero et alterum, gratiae motivum, idest consensum capitularium, probant oratores ex eo quod canonici novae erectionis quando de praebendarum suppressione agebatur, interpellati non fuerunt, ceu fidem facit canonicus secundae erectionis Fortini, sacerdos Salustri, canonicus Valeri, et canonicus De Angelis ; imo nec ad capitulum acciti, prout idem Fortini deponit. Quod firmatur etiam ex subsequis eventibus ; nam canonici novae erectionis, neque primum abstinuissent a turnis, neque deinde vices servitii conditionate et sub modo reassumere potuissent, si capitulari sessioni, ubi sancita fuerat praebendarum reductio, intervenissent.

Quin dicatur canonicos novae erectionis ius non habuisse ad interventum et convocationem; quandoquidem agebatur de re quae eorum quoque interesse respiciebat, saltem ob

turnorum conventionem, et ideo audiri certe debuissent, iuxta notum principium « *quod omnes tangit debet ab omnibus approbari* ».

QUAE ADVERSARI VIDENTUR CANONICO IULIANI. At vicissim favore apostolici rescripti quod canonicus Iuliani nititur impugnare, observari debet, ipsum non ex precibus capituli fuisse obtentum, sed ex instantia Emi Card. Patrizi, qui cum in s. Visitatione templum et sacrarium lüstrasset, illud fatiscens, et hoc sacra suppellectile exhaustum invenit. Canonici Giuliani oratores, ad probandam obreptionem circa necessitatem fabricae et sacrarii, asserunt, familiam Chigi et municipes loci plura libellarum millia contulisse ad templi restaurationem; sed hoc potiusquam probare falsitatem obreptionemque precum et consequentem invaliditatem rescripti, veritatem expositorum a Card. Patrizi adstruere potius videtur. Si enim templum reapse non indiguisset, 20000 libellarum patronus, aliaque plura municipium ad eius restaurationem non contulissent. Nec verum est, quod nihil contribuent capitulum, et dos quatuor praebendarum suppressarum in proprium lucrum converterit. Nam haec dos in quatuor partes divisa fuit, et assignata sunt 10 scutata pro sacra catechesi, 20 scutata in augmentum praebendae archipresbyteralis, aliaque 20 pro theologo ; ac demum cetera 190 scutata fabricae et sacrario quotannis adscribi, Emo Episcopo approbante, statutum est. Utique exinde capitulares aliquod emolumentum senserunt, nam per hoc se ab assueta contributione sacrario facienda eximerunt; sed quia haec praestatio minima erat, et nihilominus singulos, quippe tenui praebenda ditatos, valde gravabat, ideo eam abolitum iri non inique conventum est.

Quod si canonici novae erectionis ad hos beneficium admissi non sunt, id eorum culpa contigit, quia scilicet reductionem praebendarum impugnarunt, et a turnorum conventione resilire voluerunt. De cetero quoties ad veterem concordiam ipsi redierunt, veluti contigit anno 1877, capitulum contributione eos libenter absolvit, tribuens eisdem com-

pensationem, eos relevando ab onere solvendi quinque scutata pro titulo utensilium, veluti capitulum affirmat, acta ad rem allegando.

Itaque prima obiectio contra veritatem precum quoque versu ruere videtur; sed nec altera desumpta ex defectu consensus capituli melius procedit. Etenim non consensus capituli, sed consensus canonicorum novae erectionis ad summum defuisset; nam convocato capitulo, eoque habito sub praesidentia Vicarii generalis, quatuor interfuerunt, et ex his tres per secreta suffragia reductioni praebendarum assenserunt, unus obstitit. Itaque quod in bulla apostolica legitur circa consensum capituli falsum et obreptitium dici non potest.

Neque verum absolute est quod canonici tertiae erectionis non fuerint ad conventum invitati. Haec enim ad rem habet capitulum: verum esse in verbali illius conventus non repe-< riri nomina duorum canonicorum ***tertiae*** erectionis; ratio tamen huius facti facile reperitur. Nam unus e duobus clericus nuncium miserat ex defectu vocationis; alter senex aegrotus, et oculis captus domus amplius non linquebat, nequidem pro Missa litanda. Ex hoc tamen non licet arguere eos haud fuisse vocatos. Equidem verisimile non est id accidisse, quum Emus Patrizi miserit suum Vicarium ut conventui huic praeesset.et res regularitate maxima procederent. Supponi autem nequit quod Vicarius generalis Savelli, peritus in hisce rebus agendis, missus ad regularitatem protuendam, ita desciverit, ut eiusmodi committeret irregularitatem. Suppositio ergo Canonici Iuliani est omnino gratuita, et a verisimile distat.

Itaque utrumque motivum gratiae (si tamen consensus capituli verum ac positivum motivum dici debet) subsistere iuxta haec videretur ; ideoque rescriptum quoque valere, et arbitrium aperitionis oris. contra apostolicas litteras, legitime dari nullo pacto posse.

Relate vero ad aliud dubium, idest ad vices servitii, actoris patroni contendunt, turnorum conventionem factam fuisse

sub conditione saltem tacita « dummodo duodenarius numerus capitularium subsistat. » Verum hoc non videtur satis exploratum, prout in folio praecedentis congregationis fusius dictum est. Etenim qui vicem servitii seu turnum cum corpore morali dividere spondet, aleam servitii videtur assumere, iuxta regulam Celsi ad *leg. 1 ff. De usu* etc. ; minime vero potest intelligi assumpsisse quotam partem servitii omnino fixam. Quandoquidem in hoc casu is cum capitulo convenisset, non de turno ferendo, sed potius de fixa parte, seu de determinata servitii portione unice ferenda.

Hisce itaque attentis aliisque, quae iam retulimus alia vice, proposita fuerunt dirimenda sequentia

Dubia

I. *An intret arbitrium aperitionis oris contra apostolicum rescriptum diei 13 Augusti 1858 in casu.*

II. *An sit standum vel recedenduyn a decisis in casu.*

RESOLUTIO. Sacra O. Concilii, re cognita sub die 21 Iulii 1888 censuit respondere : *Ad I Negative. Ad II. hi decisis et amplius.* (1)

URBEVETANA

CAPELLANIAE

Die 21 Iulii 1888.

Sess. 24 cap. 15 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Episcopus urbevetanus supplici libello exposuit : Collegium beneficiatorum Massae Cathedralis ex 12 ad sex redactum esse, et simul imminutos esse redditus singulorum; hinc gravius chori servitium factum esse, quod aegre ferunt beneficiarii. Ut aliquo modo Episcopus consuleret huic offensioni et beneficiatorum socordiae, censuit

(1) Pro practicis deductionibus confer Vol. XX pag. 235.

expetere consensum patroni cuiusdam Capellaniae, ut huius redditus distribui possent favore beneficiatorum illorum, qui Ecclesiae inservirent maiori diligentia. Patronus annuit, hac sub conditione, ut dos capellaniae ex scutis 750 ad 500 redigeretur. Hoc obtento consensu, Episcopus petiit ab Apostolica Sede, ut implere posset suum consilium, et liberum reddere patronum a quocumque onere, sive functionum sive Missarum.

Rogatus Episcopus, ut audiret Rectorem Capellaniae, aliosque, si qui sint, interesse habentes, respondit: « Patronus una cum haereditate sibi testamento relicta a domina Francisca sub die 1 Octobris 1862 defuncta, retinuit huc usque sortem scutatorum 750, libellis 3990 aequalem, quam testatrix ipsa ad erectionem et institutionem beneficii sub titulo Ssmi Cordis Iesu ad altare gentilitium propriae familiae, in parochiali ecclesia s". Michaelis Archangeli, designaverat, hisce praecise oneribus: 1. celebrandi vel celebrare faciendi duas singulis hebdomadis missas ubique ecclesiarum, hinc totaliter ad annum missas 104; 2. celebrandi alias 40 missas infra annum pro animabus testatricis et eius germani fratris Aloisii Orfei. »

« Iamvero Patronus institutionem canonicam beneficii non expetiit, licet praeterlapsis annis missarum onera ad mentem testatricis impleverit. Quare cum beneficium non sit adhuc erectum, neque ullus nominatus rector existat, publicaeque canonicae erectioni obstent demani ales leges, de submissa sententia, attentis actualibus Oratoris oeconomicis conditionibus, haud valde florentibus, eius preces Eminentiae Vestrae Rmae commendarem pro benigna exauditione, quatenus tamen ipse, mihi persoluta saltem summa libellarum bismillenarum et quingentarum (2500), partiali onerum a testatrice impositorum satisfactioni possim in posterum vacare. »

Subinde cum mandatum fuisset eidem Episcopo, ut audiret parochum s. Michaelis Archangeli, hic de re interrogatus respondit, enumerando functiones omnes et onera missarum, et innuens quod fundus redactus ad libellas 2500 vix

dare poterit reditum annuum centum libellarum ; quae impares sunt ad onera imposita implenda.

Disceptatio Synoptica

PRECES EXCIPIENDAE VIDENTUR. Quaestio est itaque de adscribenda capellanía ad beneficiatorum cathedralium mensam: in re locum potissimum habere videtur dispositio ***cap. 15 sess. 24 conc. Trid.,*** quae sic est: « In ecclesiis cathedralibus et collegiatis insignibus, ubi frequentes adeoque tenues sunt praebendae simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti canonicorum gradui pro loci et personarum qualitate non sufficiant, liceat Episcopis cum consensu capituli vel aliquot simplicia beneficia, non tamen regularía, iis unire; vel si hac ratione provideri non possit, aliquibus ex iis suppressis cum patronorum consensu, si de iure patronatus laicorum sint, quorum fructus et proventus reliquarum praebendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciorem numerum reducere; ita tamen ut tot supersint quae divino cultui celebrando ac dignitati ecclesiae commode valeant respondere. »

Porro in themate rem esse de succurrendo beneficiato^-runi cathedralium collegio, qui onera debito maiora ferunt, et ita servire recusant, probatur ex Episcopi litteris.

Neque obstat quod exinde deveniendum sit ad onerum missarum reductionem; nam etiam per hoc medium succurrendum esse clericorum necessitatibus non semel docuit S.C.C., ceu constat ex ***Fossanen. 18 Septembris 1824 § Praecipuum,*** ex ***Montisalti 6 Augusti 1825 § Missarum,*** et ex ***Naulen. 8 Maii 1824 § Exploratum est,*** aliisque a Gamberini citatis. Et iustissime quidem ; nam cum sacerdotes ius habeant vivendi de altari, et ideo non immerito introductum sit, ut petentes missarum applicationem aliquod tributum celebranti solvant ; et cum aliunde huius stipendii taxatio moderationi ecclesiae natura sua subsit, et ecclesia possit illam reducere et elevare iuxta varias temporum exigentias ac lo-

corum circumstantias; hinc nemo inficias ibit, quominus ecclesia legitime possit numerum missarum reducere. Dato enim aliquo invariabili censu, auctio stipendii secumfert necessario imminutionem numeri missarum.

Neque magis obstare potest contraria piae testatricis voluntas. Nam quoties iusta causa suppetat, postremas testatorum leges moderari posse exploratissimum est in iure, et ceteris omissis, praecise ad rem nostram docet Tridentinum in ***cit. cap. 15 sess. 24,*** ubi ad honestam capitularium sustentationem uniones beneficiorum capitulari mensae fieri permittuntur; quod quidem absque fundatorum voluntatis laesione plerumque evenire non potest. In themate autem hanc iustam causam dari, stante beneficiatorum inopia, ipsum Tridentinum ***cit. I.*** comprobat.

Accedit quod ratio quaedam prudentiae suadeat compositionem ab Episcopo propositam acceptam haberi debere. Nam oeconomicae conditiones patroni ipsius qui capellaniae sortem possidet, haud florere dicuntur.

Et licet detractio 250 scutatorum ex integra sorte 750 scutatorum exorbitans videatur, tamen remissum fuit iudicio EE. PP. decernere utrum ea permitti adhuc possit, cum agatur de patrono qui dicitur egere, quique tamen usque modo legati onera ad unguem implevisse affirmatur.

Quibus omnibus addendum est, beneficium adhuc erectum non esse, nec posse legitime constitui, civili gubernio hoc, licet per nefas, vetante. Quapropter illius sortis adscriptio ad capitulum etiam hac de causa minus odiosa videretur.

Demum periculosum esse in praesenti statu legatum relinquere, facile quisque deprehendit: unde nova etiam ex hac parte oritur forsan ratio pro admittendis precibus.

PRECES RESPUENDAE VIDENTUR. At vicissim considerandum est, gravem exinde laesionem testatrici voluntati fieri. Atqui sancte religioseque fundatorum leges esse servandas, nec unquam « ***nisi ex iusta et necessaria causa*** » debere commutari, docet Tridentinum ***sess. 22 cap. 6.*** Quod fortius dicendum est de legatis quae cultum divinum et animarum

expiationem respiciunt; et magis magisque, quando agitur de legatis missarum, quibus asservandis S. C. C. teste Benedicto XIV ***De Synod. Dioec. lib. 13 cap. ult. num. 23.*** adeo religiose studet, ut, iis relictis , cetera omnia onera reducere soleat.

Nec dicatur in themate iustam ac necessariam causam haberi ad admittendas preces. Etenim duae sunt precum partes, altera quidem a benefìciatis, altera vero a patrono et haerede promota. In priori postulatur legati adscriptio ad mensam ; in altera vero compositio quaedam seu minor solutio proponitur aut praesumitur.

Age vero : adscriptio legati ad beneficiatorum mensam, ut ad scopum proficeret ad quem postulatur, nempe ad quotidianas distributiones augendas, deberet aut omnino aut saltem ex maxima parte liberari ab oneribus: etenim reditus universi ad praescriptorum onerum satisfactionem vix sufficiunt: si autem sors a 750 ad 500 scuta reducatur, iam onera superabunt reditus: ideoque suspendendae essent ecclesiasticae functiones, de votaque officia erga sacrum cor Iesu, aliaque quae cum eo censu fieri solent per annum ; nec non et missae fere omnes. Quod quam alienum sit a voluntate piae institutricis, nemo non videt: imo id scandalo esse posse fidelibus, videntibus supplicationes omitti, si forte sciant hoc contigisse ad augendum beneficiatorum cathedralium lucrum, non inconcinne rector ecclesiae animadvertit.

Insuper tam exigua res est, quae mensae beneficiali adscribi petitur, si praesertim compositio admittatur, ut, divisa inter sex, levamen modicum et ferme insensibile singulis conferat. Unde haec adscriptio dum ex una parte certe subvertit fundatricis legem, minuit animae suffragium, pluraque tollit devota officia; ex altera beneficium sensibile oratoribus non tribuit.

Sed, demum, contra petitam adscriptionem militant etiam nonnulla Episcopi verba, quae sedulo consideranda occurrunt; nam indicant non tam ad succurrendum beneficiatorum ne-

cessitati, quam ad eorum socordiam removendam, gratiam a S. Sede postulari.

Relate vero ad id quod postulat patronus, latet utrum is, revera tali domestica inopia prematur, ut possit in conscientia debiti solutionem tute recusare. Episcopus enim rem non exploravit, et vage loquitur.

Hisce praemissis, propositum fuit

Dubium.

An et quomodo legatum, de quo in precibus, adscribendum sit beneficiatorum mensae in casu.

RESOLUTIO. Sacra O. Concilii re cognita sub die 21 Iulii 1888 censuit respondere: ***Negative.***

EX S. RITUUM CONGREGATIONE

DECRETUM Beatificationis seu declarationis martyrii Ven. Servi Dei Petri Aloisii Mariae Chanel, Sacerdotis e Societate Mariae Pro-Vicarii apostolici Oceaniae occidentalis,

SUPER DUBIO

An *constet de Martyrio et Causa Martyrii, nec non de Signis, seu Miraculis, in casu et ad effectum, de quo agitur.*

Divinae Sapientiae consilio factum est, ut christianae Religionis veritas, quemadmodum a suis primordiis innumerorum Martyrum firmata sanguine mirifice adolevit, eodem pariter sanguine per consequentes et varias aetates succresceret, atque ita, Christi asseclis conspicuum ubivis praesto esset exemplar, quo ad Fidei amorem infiammar en tur. Huic heroum numero accensendus Venerabilis Petrus Aloisius Maria Chanel. Ortus ipse anno tertio huius saeculi, die duodecima Iulii, in pago, cui nomen *Cuet,* **intra fines Dioeceseos Bellicensis, ab ineunte aetate morum innocentia et suavitate ac Religionis amore coniicere dabat, qualis deinceps futurus esset ea-**

tholicae veritatis adsertor et propagatos Sacris ordinibus, Deo vocante, initiatus eo vel magis virtutum fulgore enituit, ideoque a suo Episcopo praeclaris obeundis muneribus eligi meruit. Sed *al** tiora de illo disponente Deo, quum nomen dedisset Societati Maristarum, cui ab Apostolica Sede Oceaniae Occidentalis sacrae Missiones erant concreditae, e Galliae litoribus ad insulam Futunam anno MDCCCXXXVII appulit; ubi, abeuntibus sodalibus missionariis per varias illius regionis partes, solus ipse cum socio laico moram fixit. A gentis rege primum comiter exceptus, apud ipsum biennio feliciter fuit di versatus ; et ut satis loci sermonis gnarus factus illum alloqui potuit, in eo constanter intendit ut ipsum ad Christi fidem converteret. At quum esset idem etiam sui populi sacerdos, ac Petri Aloisii praedicatione multos Christianam religionem amplecti videret, amorem suum vertit in odium. Quare digressus a venerabili Sacerdote in alium pagum domicilium suum transfert; alimentis omnique ope eum destituii. Nihil inde commotus Evangelicus operarius e soli cultura et sudore vultus victum sibi parat; sed barbari homines, Christiani nominis hostes, omnia diripiunt. Et acrius irae exardescunt crescente in dies ad Verbi Dei praedicationem credentium numero, in quo ipse regius filius computatur. Consilio itaque inito ad religionem cum Venerabili Sacerdote exterminandam, regis iussu furentes satellites Dei Famulum prae ceteris ad necem quaerunt. Quem domi solum repertum, clavae ictibus horrendum in modum confundunt., hastaque vulneratum prosternunt, ac demum securi dissecto cranio ad cerebrum usque feriunt. Sic eodem quo victimae mactari solent ritu, hostia haec Deo acceptissima immolata est : sic bonus pastor mortem, tamquam a se iamdiu exoptatum bonum, pro suo ovili cum cordis gaudio sustinuit, die vigesima octava Aprilis anni MDCCCXLI. Paulo post regis et eius fratris aliorumque aliquot persecutorum teterrima mors subsecuta est, quae uti poena criminis divinitus inflicta ab omnibus habita fuit : ceteri insulani, etiam qui necis auctores et fautores fuerant, Eidem amplexi sunt, splendidumque de martyrio testimonium praebuerunt; ut hoc mirabili facto denuo confirmaretur, Martyrum sanguinem semen esse Christianorum. Alia non defuerunt de caelo signa quae Martyris gloriam comprobarunt. De hisce omnibus Praefectus Apostolicus Futunensis verbalem Processum condere sollicitus fuit. Quo Romam allato, sa. me. Pius Papa IX ex eo et authenticis documentis a Vicario Apostolico Oceaniae huc transmissis, Informativi Processus loco habiti, iuxta

sententiam specialis Sacrorum Rituum Congregationis a Se ad id constitutae, Commissionem introductionis Causae signavit die vigBsîmaquarta Septembris anni MDCCCLVII.

Confecta deinceps fuere apostolica acta, et rite solutis minoribus quaestionibus, a Sanctissimo Domino Nostro LEONE PAPA XIII concessum est, ut dubium de Martyrio et Causa Martyrii proponeretur una cum altero de Signis, seu Miraculis. De singulis itaque simul ad severioris iudicii normas disquisitio habita est primum in Congregatione Antepraeparatoria, penes ch me. Cardinalem Dominicum Bartolini, Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum et Causae Relatorem xi Kal endas Iulii anni MDCCCLXXXI. Deinde in Congregatione Praeparatoria in Palatio Apostolico Vaticano vii Kalendas Martias MDCCCLXXXVI de more habita. Tertio in Generali Congregatione coram eodem Sanctissimo Domino Nostro LEONE PAPA XIII in Vaticanis Aedibus XII Kalendas Septembris nuper elapsi. In qua per Rmum Cardinalem Angelum Bianchi Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum, et Causae Relatorem, vita functo cl. me. Cardinali Bartolini suffectum, proposito Dubio: *An constet de Martyrio, causa Martyrii, nec non de Signis seu Miraculis, in casu et ad effectum de quo agitur f* Reverendissimi Cardinales et Patres Consultores sententias dixere. Quibus auditis, Sanctissimus Dominus supremum suum iudicium ferre distulit, donec esset omnipotenti Deo aliquanto diutius de more supplicatum.

Hodierna autem Dominica, ultima post Pentecosten, qua hoc anno incidit memoria gloriosae Virginis et Martyris Catarinae, litato incruento Sacrificio, in Pontificia Vaticani Aede solito assidens, adstantibus Rmo Cardinali Angelo Bianchi Sacrae Rituum Congregationi Praefecto et Causae Relatore, una cum R. P. Augustino Caprara fidei Promotore, et me infrascripto Secretario, decrevit : *Constare de venerabilis Servi Dei Petri Aloisii Mariae Chanel Martyrio et causa Martyrii, pluribus Signis ac Miraculis a Deo illustrati et confirmati.*

Atque hoc Decretum publici iuris fieri, et in acta Congregationis Sacrorum Rituum referri iussit, VII Kalendas Decembris anni MDCCCLXXXVIII.

A. Card. BIANCHI *S. B. C. Praefectus*

LAURENTIUS SALVATI S. R. C. *Secretarius.*

EPISTOLA Sanctissimi D. N. Leonis XIII ad Archiepiscopum Turonensem; qua nonnulli ephemeridum auctores monentur de observantia Episcopis debita, ceu gregis fidelium pastoribus.

Est sane molestum et grave, adhibere severius eos, qui loco filiorum diligantur: id tamen vel inviti quandoque faciant oportet, qui aliorum salutem procurare ac tueri sancte debent. Multoque severitatis tunc est necessitas maior, cum non sine causa metuitur ne et graviora fiant incommoda productione temporis, et latius ad offensionem bonorum fluant.

Tales te causae videntur, venerabilis frater, nuper impulisse, ut pro potestate in scriptum quoddam animadverteres, sane reprehendendum, quod esset in sacram episcoporum auctoritatem iniuriosum, neque unum aliquem ex eis carperet, sed plurimos: quorum agendi regendique ratio sic erat acri descripta stilo et prope in iudicium vocata, quasi maximis sanctisque muneribus defuissent.— Profecto non est ullo modo ferendum, laicos homines, professione catholicos, palam in diariorum paginis tantum sibi arrogare, ut licere putent et contendant, de personis quibuslibet, non exceptis episcopis, liberrime, prout visum fuerit iudicare et eloqui: in rebus omnibus, nisi quae fidem divinam attingant, ita sentire uti libeat, et suo quemque arbitratu agere. — In hac causa nihil esse potest, venerabilis frater, cur de assensione et approbatione Nostra dubites. Muneris enim Nostri maxime est vigilare et conniti, ut divina episcoporum potestas omnino incolumis atque inviolata consistat. Nostrum est pariter imperare et efficere, ut ea ubique honore vigeat suo, neve quidquam a catholicis iustae obtemperationis et reverentiae ulla in parte desideret. Divinum quippe aedificium, quod est Ecclesia, verissime nititur, tamquam in fundamento conspicuo, primum quidem in Petro et successoribus eius, proxime in Apostolis et successoribus Apostolorum episcopis: quos qui audit vel spernit, is perinde facit ac si audiat vel spernat Christum Dominum. Ex episcopis constat pars Ecclesiae longe augustissima, quae nimirum docet ac regit homines iure divino: ob eamque rem quicumque eis resistat, vel dicto audientem esse pertinaciter reçuset, ille ab Ecclesia longius recedit (1). — Neque vero continenda obtemperatio est, quasi finibus, in rebus ad fidem christianam

(1) Matth, XIII, 17.

pertinentibus, sed multo amplius proferenda, videlicet ad res omnes, quascumque episcopalis potestas complectitur. Sunt illi quidem in populo christiano fidei sanctae magistri, at praesunt etiam tamquam rectores et duces, atque ita praesunt, ut de hominum salute, quos habent a Deo créditos, ipsi Deo ratio sit ab illis aliquando reddenda. Unde existit illa Pauli Apostoli ad christianos hortatio: *obedite praepositis vestris et subiacete eis; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri* (1). — Liquet enimvero et perspicuum est, duplicem hominum esse in Ecclesia ordinem, alterum ab altero natura sua distinctum, pastores et gregem, id est rectores et multitudinem. Prioris ordinis munus est docere, gubernare, moderari vitae disciplinam, praecepta dare: alterius vero officium subesse, obsequi, praecepta sequi, honorem adhibere.

Quod si, qui subesse debent, partes eorum qui sunt superioris ordinis sumant, illi non modo temere et iniuria faciunt, sed, quantum in ipsis est, ordinem ab auctore Ecclesiae Deo providentissime constitutum funditus pervertunt. — Si vero forte quisquam in ipso episcoporum ordine reperiatur, non suae satid memor dignitatis, qui religionem officii aliqua ex parte videatur deseruisse, nihil ipsi ob eam causam de potestate sua decederet; et quamdiu communionem cum romano Pontifice retinuerit, profecto ex eius ditione liceret nemini observantiam in eum atque obedientiam minuere. Contra inquirere in acta episcoporum , eaque redarguere, nullo modo attinet ad privatos: verum ad eos dumtaxat attinet, qui sacro in ordine illis potestate antecedunt, praecipue ad Pontificem maximum, quippe cui Christus non agnos modo , sed oves, quotquot ubique sunt, ad pascendum commiserit. Ut summum, in gravi aliqua conquerendi materia, concessum est rem totam ad Pontificem romanum, deferre; id tamen caute moderateque; quemadmodum studium suadet communis boni, non clamitando aut obiurgando, quibus modis dissidia verius offensionesque gignuntur, aut certe augentur.

Ista rerum capita, quae potissima sunt, nec convelli queunt, qui Ecclesiae regimen in magnam confusionem perturbationemque compellatur, non semel Nos commemorare habuimus et inculcare. Satis loquuntur et epistola ad legatum Nostrum in Gallia a te iterum commode evulgata, et aliae subinde ad archiepiscopum parisiensem , ad episcopos Belgii, ad nonnullos ex Italia, binaeque

(1) Heb. xiii, 17.

litterae Encyclicae ad episcopos tum Galliae, tum Hispaniae. Hunc ea ipsa documenta rursus commemoramus, rursus inculcamus, spe magna freti, fore quidem ex admonitione et auctoritate Nostra ut animorum motus apud vos per hos dies excitati resideant, confirmentur omnes et conquiescant in fide, in obsequio, in iusta debitaque eorum verecundia, qui sunt sacrae potestatis in Ecclesia compotes. — A quibus profecto officiis non ii solum putandi sunt declinare, qui rectorum auctoritatem aperta fronte répudient, sed ii non minus, qui adversentur et répugnent callide tergiversando et obliquis dissimulatisque consiliis. Obedientiae vera et non fucata virtus non est contenta verbis, sed in animo potissimum et voluntate consistit. — Quoniam vero culpa agitur certae cuiusdam ephemeridis, facere nequaquam possumus quin auctoribus ephemeridum catholicis iterum praecipiamus, ut documenta et praescripta, quorum supra est facta mentio, uti leges sanctas vereantur, neque ab eis ullo pacto discedant. Iidem praeterea hoc in animis persuasum habeant et defixum, se nimirum, si usquam praeterire illud propositum et iudicio suo indulgere non dubitent, sive praeiudicando quod Apostolica Sedes nondum censuerit, sive auctoritatem episcoporum laedendo, sibique eam arrogando quam habere non possunt, frustra omnino confidere, germanam catholici nominis laudem retinere , aut ullo modo prodesse causae sanctissimae nobilissimaeque posse, quam tuendam ornandamque susceperunt. — Iam vero hoc Nos summopere optantes, ut ad sanitatem redeant quicumque erraverint , et obsequium sacrorum antistitum in omnium animis penitus inhaereat, apostolicam benedictionem, tibi, venerabilis frater, cunctoque clero et populo tuo, paternae benevolentiae et caritatis testem, in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum , die 17 Decembris Anno 1888 Pontificatus Nostri Undecimo

LEO PP. XIII.

EPISTOLA Sanctissimi D. N. Leonis XIII. ad omnes Episcopos et fideles catholicae Ecclesiae, occasione qua ad finem properaret annus quinquagesimi sui natalis sacerdotii.

Exeunte iam anno, cum natalem sacerdotii quinquagesimum, singulari munera beneficioque divino, incolumes egimus, sponte respicit mens Nostra spatium praeteritorum mensium, plurimumque

totius huius intervalli recordatione delectatur. — Nec sane sine caussa: eventus enim, qui ad Nos privatim attinebat, idemque nec per se magnus, nec novitate mirabiliis, studia tamen hominum inusitato modo commovit, tam perspicuis laetitiae signis, tot gratulationibus celebratus, ut nihil optari maius potuisset. — Quae res certe pergrata Nobis perque iucunda cecidit: sed quod in ea plurimi aestimamus, significatio voluntatum est, religionisque liberrime testata constantia. Ille enim Nos undique salutantium concentus id aperte loquebatur, ex omnibus locis mentes atque animos in Iesu Christi Vicarium esse intentos: tot passim prementibus malis, in Apostolicam Sedem, velut in salutis perennem incorruptumque fontem, fidenter homines intueri: et quibuscumque in oris catholicum viget nomen, Ecclesiam romanam, omnium Ecclesiarum matrem et magistram, coli observarique, ita ut aequum est, ardenti studio ac summa concordia. — His de caussis per superiores menses non semel in caelum suspeximus, Deo optimo atque immortali gratias acturi, quod et hanc Nobis vivendi usuram, et ea, quae commemorata sunt, curarum solatia benignissime tribuisset: per idemque tempus, cum sese occasio dedit, gratam voluntatem Nostram, in quos oportebat, declaravimus. Nunc vero extrema anni ac celebritatis renovare admonent accepti beneficii memoriam: atque illud peroptato contingit, ut Nobiscum in iterandis Deo gratiis Ecclesia tota consentiat. Simul vero expetit animus per has littera» publice testari, id quod facimus, quemadmodum tot obsequii,: humanitatis, et amoris testimonia ad leniendas curas molestiasque Nostras consolatione non mediocri valuerunt, ita eorum et memoriam in Nobis et gratiam semper esse victuram. — Sed maius ac sanctius restat officium. In hac enim affectione animorum, romanum Pontificem alacritate insueta colere atque honorare gestientium, numen videmur nutumque Eius agnoscere, qui saepe solet atque unus potest magnorum principia bonorum ex minimis momentis elicere. Nimirum providentissimus Deus voluisse videtur, in tanto opinionum errore, excitare fidem, opportunitatemque praebere studiis vitae potioris in populo christiano revocandis. — Quamobrem hoc est reliqui, dare operam ut, bene positis initiis, bene cetera consequantur: enitendumque, ut et intelligantur consilia divina, et re ipsa perficiantur. Tunc denique obsequium in Apostolicam Sedem plene erit cumulateque perfectum, si cum virtutum christianarum laude coniunctum ad salutem conducat animorum: qui fructus est unice expetendus perpetuoque mansurus.

Ex hoc summo apostolici muneris gradu, in quo Nos Dei benignitas locavit, patrocinium veritatis saepenumero, ut oportuit, suscepimus, conatique sumus ea potissimum doctrinae capita exponere, quae maxime opportuna eque re publica viderentur esse, ut quisque, veritate perspecta, pestiferos errorum afflatus, vigilando •cavendoque, defugeret. Nunc vero, uti liberos suos amantissimus parens, sic Nos alloqui christianos universos volumus, familiaeque sermone hortari singulos ad vitam sancte instituendam. Nam omnino ad christianum nomen, praeter fidei professionem, necessariae sunt christianarum artes exercitationesque virtutum; ex quibus non modo pendet sempiterna salus animorum, sed etiam germana prosperitas et firma tranquillitas convictus humani et societatis. — Iamvero si quaeritur qua passim ratione vita degatur, nemo est quin videat, valde ab evangelicis praeceptis publicos mores privatosqüe discrepare. Nimis apte cadere in hanc aetatem videtur illa Ioannis Apostoli sententia, *omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae* **(1). Videlicet plerique, unde orti, quo vocentur, obliti, curas habent oogitationesque omnes in haec imbecilla et fluxa bona defixas: invita natura, perturbatoque ordine; iis rebus sua voluntate serviunt in quas dominari hominem ratio ipsa clamat oportere. — Appetentiae commodorum et deliciarum comitari proclive est cupiditatem rerum ad illa adipiscenda idonearum. Hinc effrenata pecuniae aviditas, quae efficit caecos quos complexa est, et ad explendum quod exoptat infiammata rapitur, nullo saepe aequi iniqui discrimine, nec raro cum alienae inopiae insolenti fastidio. Ita plurimi quorum circumfluit vita divitiis, fraternitatis nomen cum multitudine usurpant, quam intimis sensibus superbe contemnunt. Similique modo elatus superbia animus non legi subesse ulli, nec ullam vereri potestatem conatur: merum amorem sui libertatem appellat.** *Tamquam pullum onagri se liberum natum putat* **(2). — Accedunt vitiorum illecebrae ac perniciosa invitamenta peccandi; ludos scenicos intelligimus impie ac licenter apparatus: volumina atque ephemeridas ludificandae virtuti, honestandae turpidini composita; artes ipsas, ad usum vitae honestamque oblectationem animi inventas, lenocinia cupiditatum ministrare iussas. Nec licet sine metu futura prospicere, quia nova malorum semina continenter velut in sinum congeruntur adolescentis aetatis. Nostis morem scholarum**

(1) I Ep. n, 16.
(2) Iob. XI, 12.

publicarum: nihil in eis relinquitur ecclesiasticae auctoritati loci: et quo tempore maxime oporteret tenerrimos animos ad officia christiana sedulo studioseque fingere, tum religionis praecepta plerumque silent. Grandiores natu periculum adeunt etiam maius scilicet a vitio doctrinae: quae saepe est eiusmodi, ut non ad imbuendam cognitione veri, sed potius ad infatuandam valeat fallacia sententiarum iuventutem. In disciplinis enim tradendis permulti philosophari malunt solo rationis magisterio, omnino fide divina posthabita : quo firmamento maximo uberrimoque lumine remoto, in multis labuntur, nec vera cernunt. Eorum illa sunt, omnia, quae in hoc mundo sint, esse corporea: hominum et pecudum easdem esse origines similemque naturam : nec desunt qui de ipso summo dominatore rerum, ac mundi opifice Deo dubitent, sit necne sit, vel in eius natura errent, ethnicorum more, deterrime. Hinc demutari necesse est ipsam speciem formamque virtutis, iuris, officii. Ita quidem, ut dum rationis principatum gloriose praedicant, ingeniique subtilitatem magnificentius efferunt, quam par est, debitas superbiae poenas rerum maximarum ignoratione luant. — Corrupto opinionibus animo, simul insidet tamquam in venis medullisque corruptela morum, eaque sanari in hoc genere hominum sine summa difficultate non potest, propterea quod ex una parte opiniones vitiosae adulterant iudicium honestatis, ex altera lumen abest fidei christianae, quae omnis est principium ac fundamentum iustitiae.

Ex eiusmodi caussis quantas hominum societas calamitates contraxerit, quotidie oculis quodammodo contemplamur. Venena doctrinarum prodivi cursu in rationem vitae resque publicas pervasere: *rationalismus, materialismus, atheismus* peperere *socialismum, communismum, nihilismum:* tetras quidem funestasque pestes, sed quas ex iis principiis ingenerari non modo consentaneum erat, sed prope necessarium. - Sane, si religio catholica impune reiicitur, cuius origo divina tam illustribus est perspicua signis, quidni quaelibet religionis forma reiiciatur, quibus tales assentiendi notas abesse liquet? Si animus non est a corpore natura distinctas, proptereaque si, intereunte corpore, spes aevi beati aeternique nulla superest, quid erit caussae quamobrem labores molestiaeque in eo suscipiantur, ut appetitus obedientes fiant rationi? Summum hominis erit positum bonum in fruendis vitae commodis potiundisque voluptatibus. Cumque nemo unus sit, quin ad beate vivendum ipsius naturae admonitu impulsuque feratur, iure quisque detraxe-

rit quod cuique possit, ut aliorum spoliis facultatem quaerat beate vivendi. Nec potestas ulla frenos est habitura tantos, ut satis cohibere incitatas cupiditates queat; consequens enim est, ut vis frangatur legum et omnis debilitetur auctoritas, si summa atque aeterna ratio iubentis vetantis Dei repudietur. Ita perturbari funditus necesse est civilem hominum societatem, inexplebili cupiditate ad perenne certamen impellente singulos, contendentibus aliis quaesita tueri, aliis concupita adipisci.

Huc ferme nostra inclinat aetas. — Est tamen, quo consolari conspectum praesentium malorum, animosque erigere spe meliore possimus. Deus enim *creavit ut essent omnia, et sanabiles fecit nationes orbis terrarum* (1). Sed sicut omnis hic mundus non aliter conservari nisi numine providentiâque eius potest, cuius est nutu conditus, ita pariter sanari homines sola eius virtute queunt cuius beneficio sunt ab interitu ad vitam revocati. Nam humanum genus semel quidem Iesus Christus, profuso sanguine, redemit, sed perennis ac perpetua est virtus tanti operis tantique muneris: *et non est in alio aliquo salus* (2). Quare qui cupiditatum popularium crescentem flammam nituntur oppositu legum extinguere, ii quidem pro iustitia contendunt: sed intelligant, nullo se fructu aut certe perexiguo laborem consumpturos, quamdiu obstinaverint animo respuere virtutem Evangelii, Ecclesiaeque nolle advocatam operam. In hoc posita malorum sanatio est, ut, mutatis consiliis, et privatim et publice remigretur ad Iesum Christum, christianamque vivendi viam.

Iamvero totius vitae christianae -summa et caput est, non indulgere corruptis saeculi moribus, sed repugnare ac resistere constanter oportere. Id *auctoris fidei et consummatoris* Iesu omnia dicta et facta, leges et instituta, vita et mors declarant. Igitur quantumvis pravitate naturae et morum longe trahamur alio, curramus oportet *ad propositum nobis certamen* armati et parati eodem animo eisdemque armis, quibus Ille, qui *proposito sibi gaudio sustinuit crucem* (3). Proptereaque hoc primum videant homines atque intelligant quam sit a professione christiani nominis alienum persequi, uti mos est, cuiusquemodi voluptates, horrere comites virtutis labores, nihilque recusare sibi, quod sensibus suaviter delicateque blandiatur. *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixe-*

(1) Sap. I, 14.
(2) Act. iv, 12.
(¿0 Heb. XII, I, 2.

runt cum vitiis et concupiscentiis (1): ita ut consequens sit, Christi non esse, in quibus non exercitatio sit consuetudoque patiendi cum aspernatione mollium et delicatarum voluptatum. Revixit enim homo infinita Dei bonitate in spem bonorum immortalium, unde exciderat, sed ea consequi non potest, nisi ipsis Christi vestigiis ingredi conetur, et ccgi ta tione exemplorum eius mentem suam moresque conformet. Itaque non consilium sed officium, neque eorum dumtaxat, qui perfectius vitae optaverint genus sed plane omnium est, *mortificatione Iesu in corpore* quemque suo *circumferre* (2). — Ipsa naturae lex, quae iubet hominem cum virtute vivere, qui secus posset salva consistere? Deletur enim sacro baptismate peccatum, quod est nascendo contractum, sed stirpes distortae ac pravae, quas peccatum insevit, nequaquam tolluntur. Pars hominis ea, quae expers rationis est, etsi resistentibus viriliterque per Iesu Christi gratiam repugnantibus nocere non possit, tamen cum ratione de imperio pugnat, omnem animi statum perturbat, voluntatemque tyrannice a virtute detorquet tanta vi, ut nec vitia fugere nec officia servare sine quotidiana dimicatione possimus. *Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel forni* tem, haec sancta synodus fatetur ac sentit, quae cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Iesu Christi gratiam repugnantibus non valet; quinimo qui legitime certaverit coronabitur* (3). — Est in hoc certamine gradus fortitudinis, quo virtus non perveniat nisi excellens, eorum videlicet, qui in profiigandis motibus a ratione aversis eo usque proiecerunt ut caelestem in terris vitam agere propemodum videantur. Esto, paucorum sit tanta praestantia: sed, quod ipsa philosophia veterum praecipiebat, domitas habere cupiditates nemo non debet: idque ii maiore etiam studio, quibus rerum mortalium quotidianus usus ir* ritamenta maiora suppeditat: nisi qui stulte putet, minus esse vigilandum ubi praesentius imminet discrimen, aut, qui gravius aegrotant, eos minus egere medicina. — Is vero, qui in eiusmodi conflictu suscipitur, labor magnis compensatur, praeter caelestia atque immortalia,, bonis: in primis quod isto modo, sedata perturbatione partium, plurimum restituitur naturae de dignitate pristina. Hac enim lege est atque hoc ordine generatus homo, ut animus imperaret corpori, appetitus mente consilioque regerentur: eo-

(1) Galat. v, 24.
(2) II Cor. IV, 10.
(3) Conc. Trid. Sess. v, can. 5.

que fit, ut non dedere se pessimis dominis cupititatibus, prestantissima sit maximeque optanda libertas. — Praeterea in ipsa humani generis societate non apparet quid expectari ab homine sine hac animi affectione possit. Utrumne futurus est ad bene merendum propensus, qui facienda, fugienda, metiri amore sui consueverit? Non magnanimus quisquam esse potest, non beneficus, non misericors, non abstinens, qui non se ipse vincere didicerit, atque humana omnia prae virtute contemnere. — Nec silebimus, id omnino videri divino provisum consilio, ut nulla afferri salus hominibus, nisi cum contentione et dolore queat. Revera si Deus liberationem culpae et errati veniam hominum generi dedit, hac lege dedit, ut Unigenitus suus poenas sibi debitas iustasque persolveret. Iustitiaeque divinae cum Iesus Cristus satisfacere alia atque alia ratione potuisset, maluit tamen per summos cruciatus, profusa vita, satisfacere. Atque ita alumnis ac sectatoribus suis hanc legem imposuit suo cruore sancitam, ut eorum esset vita cum morum ac temporum vitiis perpetua certatio. Quid Apostolos ad imbuendum veritate mundum fecit invictos, quid martyres innumerabiles in fidei christianae cruento testimonio roboravit, nisi affectio animi illi legi obtemperans sine timore ? Nec alia via ire perrexerunt, quotquot curae fuit vivere more christiano, sibique virtute consulere: neque igitur alia nobis eundum, si consultum saluti volumus vel nostrae singulorum, vel communi. Itaque, dominante procacitate libidinum, tueri se quemque viriliter necesse est a blandimentis luxuriae; cumque passim sit in fruendis opibus et copiis tam insolens ostentatio, muniendus animus est contra divitiarum sumptuosas illecebras, ne his inhians animus, quae appellantur bona, quae nec satiare eum possunt, ac brevi sunt dilapsura, thesaurum amittat non deficientem in caelis. Denique illud etiam dolendum, quod opiniones atque exempla perniciosa tanto opere ad molliendos animos valuerunt, ut plurimos iam prope pudeat nominis vitaeque christianae : qui quidem aut perditae nequitiae est, aut segnitiae inertissimae. Utrumque detestabile, utrumque tale, ut nullum homini malum maius. Quaenam enim reliqua salus esset, aut qua spe niterentur homines, si gloriari in nomine Iesu Cristi desierint, si vitam ex praeceptis evangelicis constanter aperteque agere recusarint ? Vulgo queruntur viris fortibus sterile saeculum. Revocentur christiani mores: simul erit gravitas et constantia ingeniis restituta.

Sed tantorum magnitudini varietatique officiorum virtus ho-

minum par esse sola non potest. Quo modo corpori, ut alatur, panem quotidianum, sic animae, ut ad virtutem confirmetur, nervos atque robur impetrare divinitus necesse est. Quare communis illa conditio lex que vitae, quam in perpetua quadam diximus dimicatione consistere, obsecrandi Deum habet adiunctam necessitatem. Etenim quod est vere ab Augustino venusteque dictum, trascendit pia precatio intervalla mundi, divinamque devocat e caelo misericordiam. Contra cupiditatum túrbidos motus, contra malorum daemonum insidias, ne circumventi in fraudem inducamur, adiumenta petere atque auxilia caelestia iubemur oraculo divino, *ovate ut non intretis in tentationem* (1). Quanto id necessarium magis, si utilem dare operam alienae quoque saluti volumus ? Christus Dominus, unigenitus Filius Dei, fons omnis gratiae et virtutis, quod verbis praecipit, ipse prior demonstravit exemplo: *erat pernoctans in oratione Dei* (2) saerificioque proximus *prolixius orabat* (3). — Profecto longe minus esset naturae extimescenda fragilitas, nec languore mores desidiaque diffluerent, si divinum istud praeceptum minus iaceret incuria ac prope, fastidio intermissum. Est enim exorabilis Deus, gratifican vult hominibus, aperte pollicitus, sua se munera large copioseque petentibus daturum. Quin etiam invitat ipsemet petere, ac fere lacessit amantissimis verbis : *ego dico vobis, petite et dabitur vobis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis* (4). Quod ut confidenter ac familiariter iacere ne vereamur, maiestatem numinis sui similitudine atque imagine temperat parentis suavissimi, cui nihil potius, quam caritas liberorum. *Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare. filiis vestris, quanto magis Pater vester, qui in caelis est, dabit bona petentibus se f* (5) — Quae qui cogitaverit, non nimium mirabitur si efficientia precum humanarum Ioanni quidem Chrysostomo videatur tanta, ut cum ipsa potentia Dei comparari illam putet posse. Propterea quod sicut Deus universitatem rerum verbo creavit, sic homo impetrat, orando, quae velit. Nihil est rite adhibitis precibus impetrabilius, quia insunt in eis quaedam velut moventia, quibus placari se Deus atque exorari facile patiatur. Nam inter orandum revocamus ab rebus mortalibus animum, atque unius Dei eo-

(1) Matth., xxvi, 41.
(2) Luc VI, 12.
(3) Luc. xxii. 43.
(4) LUÍ. XI, 9.
(o) Matth, VII, 11.

gita tione suspensi, conscientia tenemur infirmitatis humanae: ob eamque rem in bonitate et amplexu parentis nostri acquiescimus, in virtute conditoris perfugium quaerimus. Adire insistimus auctorem omnium bonorum, tamquam spectari ab eo velimus aegrum animum, imbecillas vires, inopiam nostram; plenique spe, tutelam atque opem eius imploramus, qui aegrotationum medicinam, infirmitatis miseriaeque solatia praebere solus potest. Tali habitu animi modeste de se, ut oportet, submisseque iudicandis, mire flectitur Deus ad clementiam, quia quemadmodum superbis resistit, ita humilibus *dat gratiam* **(1). — Sancta igitur sit apud omnes con' suetudo precandi: mens, animus, vox precentur: unaque simul ratio vivendi consentiat, ut videlicet per legum divinarum custodiam perennis ad Deum ascensus vita nostra videamur.**

Quemadmodum virtutes ceterae, ita haec etiam, de qua loquimur, gignitur et sustentatur fide divina. Deus enim auctor est, quae sint homini vera, atque unice per se expetenda bona : itemque infinitam Dei bonitatem, et Iesu redemptoris merita eodem auctore cognovimus. Sed vicissim pia precandi consuetudine nihil est ad alendam augendamque fidem aptius. Cuius quidem virtutis, in plerisque debilitatae, in multis extinctae, apparet quanta sit hoc tempore necessitas. Illa enim est maxime, unde non modo vitae privatorum petenda correctio est, sed etiam earum rerum iudicium expectandum, quarum confiictio quietas et securas esse civitates non sinit. Si aestuat multitudo immodicae libertatis siti, si erumpunt undique proletariorum minaces fremitus, si inhumana beatiorum cupiditas numquam se satis consecutam putat, et si quae sunt alia generis eiusdem incommoda, his profecto, quod alias uberius exposuimus, nihil subvenire melius aut certius, quam fides christiana, potest.

Locus admonet, ad vos cogitationem orationemque convertere, quotquot Deus ad sua dispensanda mysteria, collata divinitus potestate, adiutores adscivit. Si caussae indagantur privatae publicaeque salutis, dubitandum non est, vitam moresque clericorum posse plurimum in utramque partem. — Meminerint, igitur , se *lucem mundi* **a Iesu Christo appellatos, quod** *luminis instar universum orbem illustrant is, sacerdotis animam splende scere oportet.* (2) **Lumen doctrinae, neque illud vulgare, in sacerdote requiritur, quia muneris eius est implere sapientia ceteros, evellere er-**

ti) Petr. v, 5.

(2) S. Io. Chrysoat. De Sac. 1. 3, c. i.

rores, ducem esse multitudini per itinera vitae ancipitia et lubrica. In primis autem vitae innocentiam comitem doctrina desiderat praesertim quod in emendatione hominum longe plus exemplo, quam perora tione proficitur. *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona* (1). Cuius divinae sententiae ea profecto vis est, talem esse in sacerdotibus perfectionem oportere absolutionemque virtutis, ut se tamquam speculum praebere intuentibus queant. *Nihil est, quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt: cum enim a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciuntur, in eos tamquam in speculum reliqui oculos coniiciunt, ex eisque sumunt, quod imitentur* (2). Quare si omnes homines Caveant vigilanter oportet, ne ad vitiorum scopulos adhaerescant, neu consectentur res caducas appetitione nimia, apparet quanto id efficere sacerdotes religiosius et constantius debeant. — Nisi quod nec satis est non servire cupiditatibus: illud etiam sanctitudo dignitatis postulat ut sibimetipsis acriter imperare assuescant, itemque omnes animi vires, praesertim intelligentiam ac voluntatem, quae summum in homine obtinent locum in obsequium Christi cogere. *Qui relinquere universa disponis, te quoque inter relinquenda connumerare memento, imo maxime et principaliter abnega temetipsum* (3). Soluto ac libero ab omni cupidine animo tum denique alacre et generosum studium concipient salutis alienae, sine quo nec satis consulerent suae. *Unus erit de subditis quaestus, una pompa, unaque voluptas, si quo modo possent parare plebem perfectam. Id omnibus satagent etiam multa contritione cordis et corporis, in labore et aerumna, in fame et siti, in frigore et nuditate* (4). Cuiusmodi virtutem semper experrectam et ad ardua quaelibet, proximorum gratia, impavidam mire fovet et corroborat bonorum caelestium contemplatio frequens. In qua sane quanto plus posuerint operae, tanto liquidius magnitudinem munerum sacerdotalium et excellentiam et sanctitatem intelligent. Iudicabunt illud quam sit miserum, tot homines per Iesum Christum redemptos, ruere tamen in interitum sempiternum: divinaeque cogitatione naturae in amorem Dei et intendent sese vehementius et ceteros excitabunt.

(1) Matth, v, 16.
(2) Conc. Trid. Sess. xxii, c. 1, de Ref.
(3) S. Bernard. Declam., c. 1.
(4) Id. lib. iv de Coasid., c. 2.

Est eiusmodi cursus ad salutem communem certissimus. In quo tamen magnopere cavendum, ne qui magnitudine difficultatum terreatur, aut propter diuturnitatem malorum de sanatione desperet. Dei aequissima immutabilisque iustitia et recte factis praemia reservat et supplicia peccatis. Gentes vero et nationes, quoniam ultra mortalis aevi spatium propagari non possunt, debitam factis mercedem ferant in terris necesse est. Utique non est novum successus prosperos peccanti civitati contingere: idque iusto Dei consilio, qui actiones laudabiles, neque enim est ulla gens omni laude vacans, eiusmodi beneficiorum genere interdum remuneraturi, quod in populo romano iudicat Augustinus contigisse. Rata tamen lex est, ad prosperam fortunam omnino plurimum interesse quemadmodum publice virtus, ac nominatim ea, quae parens est ceterarum, iustitia colatur. *Iustitia elevat gentem: miseros autem facit populos peccatum* **(1). — Nihil attinet considerationem hoc loco intendere in victricia facinora: nec exquirere, ullane imperia, salvis rebus suis et ad voluntatem fruentibus, gerant tamen velut in imis visceribus inclusum semen miseriarum. Unam rem intelligi volumus, cuius rei plena est exemplorum historia, iniuste facta aliquando esse tuenda, eoque gravius, quo fuerint diuturniora delicta. Nos quidem magnopere illa Pauli Apostoli sententia consolatur.** *Omnia enim vestra sunt: vos autem Christi, Christus autem Dei* **(2). Videlicet arcano divinae providentiae nutu sic rerum mortalium regitur gubernaturque cursus, ut, quaecumque hominibus accidunt, omnia Dei ipsius gloriae asserviant, itemque sint eorum saluti, qui Iesum Christum vere et ex animo sequuntur, conducibilia. Horum vero mater et altrix, dux et custos est Ecclesia : quae idcirco cum Christo sponso suo sicut intima atque incommutabili caritate copulatur, ita coniungitur societate certaminum et communione victoriae. Nihil igitur anxii Ecclesiae caussa sumus, nec esse possemus: sed valde pertimescimus de salute plurimorum, qui, Ecclesia superbe posthabita, errore vario in interitum aguntur: angimur earum caussa civitatum, quas spectare cogimur aversas a Deo, ei summo rerum omnium discrimini stolida securitate indormientes** *Nihil Ecclesiae par est... Quot Ecclesiam oppugnarunt, ipsique perierunt? Ecclesia vero caelos trascenda. Talis est Ecclesiae magnitudo: vincit impugnata, insidiis appetita superat,., luctatur nec prosternitur, pugilatu certat, nec*

(1) Prov. xiv, 34.

(2) I Cor. III, 22-23.

vincitur (1). Neque solum non vincitur, sed illam, quam perenni haustu a Deo ipso dérivât, emendatricem naturae et efficientem salutis virtutem conservat integram, nec ulla temporum permutatione mutabilem. Quae virtus si senescentem vitiis et perditum superstitione mundum divinitus liberavit, quidni devium revocabit? Conticescant aliquando suspiciones ac simultates: amotisque impedimentis, esto iurium suorum ubique compos Ecclesia, cuius est tueri ac propagare parta per Iesum Christum beneficia. Tunc enimvero licebit experiendo cognoscere quo lux Evangelii pertineat quid virtus Christi redemptoris possit. — Hic annus qui est in exitu, non pauca, ut initio diximus, reviviscentis fidei indicia praetulit. Utinam istiusmodi velut scintilla crescat in vehementem flammam, quae absumptis vitiorum radicibus, viam celeriter expediat ad renovandos mores et salutaria capessenda. Nos quidem mystico Ecclesiae navigio tam adversa tempestate praepositi, mentem animumque in divinum gubernatorem defigimus, qui clavum tenens, sedet non visus in puppi. Vides, Domine, ut undique eruperint venti, ut mare inhorrescat, magna vi excitatis fluctibus. Impera, quaesumus qui solus potes, et ventis et mari. Redde hominum generi pacem veri nominis, quam mundus dare non potest, tranquillitatem ordinis. Scilicet munere impulsuque tuo referant sese homines ad ordinem debitum, restituta, ut oportet, pietate in Deum iustitia et caritate in proximos, temperantia in semetipsos, domatis ratione cupiditatibus. Adveniat regnum tuum, tibique subesse ac servire ii quoque intelligant oportere, qui veritatem et salutem procul, vano labore exquirunt. Inest legibus tuis aequitas ac lenitudo paterna: ad easque servandas ultro nobis ipse suppeditas expeditam virtute tua facultatem. Militia est vita hominis super terram, sed ipse *certamen inspectas, et adiuvas hominem ut vincat, et deficientem sublevas, et vincentem coronas* (2).

Atque his sensibus erecto in spem laetam firmamque animo, munerum caelestium auspicem et benevolentiae Nostrae testem, vobis, venerabiles fratres, et Clero populoque catholico universo Apostolicam Benedictionem, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum ipso die natali D. N. Iesu, Anno MDCCCLXXXVIII. Pontificatus Nostri undecimo.

LEO PP. XIII.

(1) S. Io. Chrys. Or. post. Eutrop. captum habita n. i.

(2) Cf. S. Aug. in Ps. 32.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

ASTEN.

ABSOLUTIONIS, REDUCTIONIS ONERUM ET COMMUTATIONIS

Die 19 Maii 1888.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Familia Migliarli, compatrona beneficii simplicis a s. Angelo, erecti in parochiali ecclesia s. Vincentii in pago ***s. Damiano d'Asti,*** bona huius beneficii a gubernio vindicavit. Et ad hunc effectum, et ut insuper in se consolidaret iura omnium aliorum patronorum, erogavit summam libellarum 37000. Quibus adiungenda sunt nonnulla alia millia libellarum, quae eadem familia expendit in actis iudicialibus et administrativis et ob diuturnam litem cum compatronis.

Dos beneficii constituitur ex domo civili et colonica, ex annuo canone 109 libellarum, et ex fundo valoris 63 millium libellarum.

Onera autem sunt, quatuor missae in ecclesia s. Vincentii, et duae in altera parochiali ecclesia eiusdem pagi dicato ss. Cosmae et Damiano, qualibet hebdomada ; insuper duae missae cantatae quotannis, et adsistentia in sacris functionibus peragendis diebus festis in ecclesia s. Vincentii, ac demum distributio triginta seminationum frumenti, et dimidii frondarum ex ***moris-gelsis*** favore pauperum eiusdem pagi, quoties reditus beneficii id patiatur.

Oneribus missarum nihil satisfactum fuit ab anno 1866 ad 1875, et partialiter, idest in duabus partibus ab anno 1875 ad 1*885, dein vero usque in praesens iterum suspensa fuit absolute celebratio.

Porro patroni conscientiae suae consulere optantes, postulant absolutionem de praeterito, reductionem missarum lectarum a sex ad tres in singulis hebdomadibus, et facultatem libere retinendi bona omnia beneficii, eorum vice Epis-

copo solvendo manualem summam 11 millium libellarum, quarum annualis reditus diriberetur proportionaliter inter duos parochos, paratos ad onera implenda cum expetita reductione.

Episcopus preces veritate niti testatur easque, suffragantibus etiam parochis, s. Vincentii et ss. Cosmae et Damiani commendat.

Disceptatio Synoptica.

Et hoc quidem plurimi pendendum est ad gratiae concessionem. Sicut specialem etiam considerationem meretur oblatio quae a patronis fit. Si enim 11 millia libellarum cumulentur cum 37 millibus fisco et compatronis tributis, aliisque millibus quae dicuntur ob alias necessarias causas erogatis, summa forte amplior 50 millibus libellarum efformantur. Et licet aliquid utilitatis consequi et lucrari exinde patroni utique videantur; nihilominus parcendum videtur humanae debilitati. Hoc enim ratio prudentiae suadere videtur. Cui accedit quod de patronis agitur; qui nuncium mittendo suo privilegio, et liberam disponendi facultatem ecclesiae tribuendo, aliquid de suo remittere videntur, quod quidem in pretio oportet haberi.

Nihilominus contra gratiae concessionem militant rigor iustitiae, positiva ecclesiae lex, abusiva retentio bonorum et gravissima oratorum culpa, qua factum est ut reditus ecclesiasticos perciperent, et oneribus non satisfacerent.

Inter haec duo, iustitiae et prudentiae EE. PP. remissum fuit decernere quid esset statuendum.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re perpensa sub die 19 Maii 1888 censuit respondere: ***Pro gratia absolutionis super praeteritis omissionibus, soluta summa libell. 500 in Missarum celebrationem eroganda; nec non reductionis onerum ad tres Missas per hebdomadam ; item pro gratia compositionis, persoluta summa libell. 12000 ab Episcopo caute et utiliter investienda, ad novam dotationem beneficii s. Angeli constituendam, in adiutorium parochi -s. Vincentii; facto verbo cum SSmo.***

PATAVINA

ABSOLUTIONIS ET CONDONATIONIS MISSARUM

Die 21 Iulii 1888.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Parochia s. Teclae loci ***Este*** 36 legatis missarum ditatur, quae tamen ultimis hisce annis plene non fuerunt satisfacía. Exponunt enim rector et aediles paroeciae ex prae levatione trigesimi pro centenis, ex annuis tributis ***divitiarum mobilium*** et ***manus mortuae,*** et ex litibus in defensionem piarum causarum, licet adversa fortuna actis, sortem ac reditum legatorum fuisse imminutam : insuper ex residuis proventibus saepius distractam fuisse aliquam pecuniae summam, et conversam in subsidium pauperum sacerdotum qui ecclesiae inserviebant, in extinctionem expensarum cultus, et in emptionem paramentorum, quibus ecclesia indigebat.

Hinc usque ad annum 1884, paullatim libellae 11,166 subtractae fuerunt, et in alium finem quam in missarum applicationem conversae. Porro petitur, ut ex hac summa 9384 libellae condonentur, 1782 vero utpote dependentes ab exactionibus factis et faciendis possint, sed intra biennium, distribui in missarum stipendia.

Notandum vero quod provinciae Praefectus gestionem paroeciae revisens, et huiusmodi debitum erga pia legata inveniens, exhortatus est aediles, ut de eo absolutionem a competenti ecclesiastica auctoritate exposcerent, ut administratio recte progredi possit.

Spondent vero hodierni aediles se in posterum haud amplius manus esse apposituros super legatorum reditu, etiam ex eo quod hodie ex elevatione eleemosynae ab 1,23 ad duas libellas pro singulis missis, sufficiens emolumentum datum sit sacerdotibus ad vitam ducendam.

Preces veritate niti testificans Ordinarius, easdem commendavit.

Disceptatio Synoptica.

GRATIA INDULGENDA VIDETUR. DUO itaque sunt momenta, quibus commendatur et consulitur gratia, idest I° necessitas quae adfuit praelevandi aliquam summam ex legatorum reditu iuxta titulos in specie recensitos; 2° impossibilitas actualis et forte perpetua redintegrandi piam causam.

Non enim absque necessitate factum est ut tributa et expensae litium solverentur, neque absque necessitate auctum fuit sacerdotibus stipendium, et nonnulla in cultus emolumentum erogata.

Imo circa hoc punctum animadversum fuit, quod necessitas subsidiorum favore sacerdotum ecclesiam inservientium comprobatur ex ipsa subsequuta gratia, qua ad duas libellas missarum stipendium elevabatur. Si itaque hanc auctionem suo nutu primitus fecerunt aediles, ut sacerdotibus subvenirent, iniuria quidem et abusive fecerunt, non tamen sine causa.

Et qua nvis abstracte sustineri posset aediles una cum ecclesiae fabrica esse obligatos ad indemnem reddendam piam causa **h**, et redintegranda, saltem in nonullis, legata; practice tamen hoc videtur imposs b le. Dictum **6**st ***in nonnullis*** et non in omnibus; quia praelevatio quae facta fuit ad tributa solvenda, ex legatorum censu mer to facienda erat, si quidem tributa ipsam eo'atorum sortem afficiebant. Quoad expensas vero litium conveniri possent aediles, iuxta ***auth. Hoc ius porrectum*** *C.* ***De sac**, ecc .,*** nis ipsi probarent huiusmodi expensas in utilitate ii ecclesiae et piae causae conversas fuisse. Itemque obligata per se maneret ecclesiae fabrica quoad praelevationem factam pro expensis cultus et sacerdotum manutentione.

Nihilominus cum ecclesie abr"ca, tum quia sub tutoria administratione e*t, tum quia divitiis non affi it, ab hac restitutione facienda impediatur, res incidisse in casum impossibilitafs videtur.

GRATIA DENEGANDA VIDETUR. EX alia tamen parte deploranda valde est haec abusiva redituum detorsio contra fundatorum intentionem et legatorum legem. Insuper latet utrum tributa, quae soluta sunt per legatorum censum, gravarent ex integro legata, an legata simul et ecclesiae fabricam, an potius unice fabricam. In priori casu nulla censura inurendi essent administratores ; sed in aliis duobus casibus utique abusiva dicenda esset distractio.

Et quoad impossibilitatem, licet dubitari non possit, quominus ea actu existat, utrum in posterum cessare possit, saltem ex parte, exploratum omnino non est. Remissum itaque fuit Emis. Iudicibus decernere utrum expediret, hanc futuram melioris temporis spem praestolantes, supersedere debitumque legatorum favore inscriptum servare; an potius utile sit male actum absolvere, arbitrariae gestionis memoriam abolere, novamque legitimam administrationem probare.

Quibus praenotatis, quaesitun fuit quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. O. re cognita sub die 21 Iulii 1888 censuit respondere: ***Pro gratia iuxta petita, cauto de fideli adimplemento onerum pro futuro, facto verbo cum SSmo.***

CONCORDIEN.

IURIS NOMINANDI SEU CONVENTIONIS

Die 18 Augusti 1888.

COMPENDIUM FACTI. Capitulum cathedrale concordiense die 25 Iunii 1883 supplicem libellum Episcopo suo praesentabat, quo deprecabatur, redintegrari in veteri iure eligendi atque praesentandi ad praebendas canonicales vacantes.

At quum Episcopus super hoc difficultates moveret, capitulum, spe rem magis gratam Ordinario suo faciendi, et consilio litium dispendia vitandi, unanimi suffragio instantiam primitus factam pro redintegratione in antiquo nomi-

nancti iure revocavit; ac subordinate petiit ut in canonicatuum provisionibus *alternative* ius sibi concederetur, iuxta ea quae tradit Bouix *de capit.*

Eaque de causa quoddam etiam conventionis schema concinnavit, Episcopo proposuit, et ut ab eodem ratihaberetur et subsignaretur, exoravit.

At Episcopus licet huic conventioni contrarius non esset veluti ipsis capitularibus oretenus, vel ab initio significaverat nihilominus censuit, in hac conventione probanda se non posse sola sua auctoritate procedere: ideoque praefatum schema S. C. remisit nonnulla animadvertens.

His habitis merito iudicatum fuit audiendum esse in hac re Emum. Prodatarium: qui quidem litteris diei 18 Augusti 1884 respondit, praefatam conventionem esse in plenam oppositionem Regulis Cancellariae apostolicae, et constitutionibus Romanorum Pontificum quoad reservationes Beneficiorum ecclesiasticorum.

Capitulum illud invocare antiquum ius consuetudinis; ideoque velle, uti abolito concordato inter Sedem apostolicam et austriacum Imperium, per quod moderabatur beneficiorum materia, ad vitam revocarentur antiqua iura et privilegia expresse abolita per eumdem concordatum. Ast ad id assequendum idem Capitulum opportunum censuit, ut resolvatur nonnulla dubia relativa ad concordatum ipsum: utrum id videlicet Apostolica Sedes per idem Concordatum tollere aut tantum suspendere intellexerit iura privatorum; et an sublato Concordato, redeundum sit pure et simpliciter ad ius commune; quod realiter excluderet cuiusvis privilegii redintegrationem, et consequenter haud sequeretur, ceu capitulum putat, quod electio et collatio vacantium praebendarum, nonnullis exceptis, fieri deberet simultanee, aut alternative ab Ordinario Dioecesano et a Capitulo Cathedralis, pari suffragiorum vi et efficacia.

Quamobrem clarum fit, quaestionem hanc non competere Apostolicae Datariae sed Congregationi negotiorum ecclesiasticorum; penes quam actum est quidquid refertur ad eius-

modi Concordatum, et ubi forsan reperiri possent argumenta per quae cognosci et determinari valeret meritum et vim conventionis, de qua sermo fit.

Tum vero die 3 Augusti 1884 rescriptum primum fuit, ut a capitulo afferrentur probationes super asserto iure electionis et praesentationis. Quod statim exequutum est capitulum, documenta trans mittens.

Dein vero R. P. D. a secretis Negotiorum Ecclesiasticorum extraordinariorum rogatus fuit, ut referret utrum Concordatum anni 1856 reputetur in sua vi permanere; et quatenus negative, an per idem Concordatum suppressa vel suspensa fuerint praedicta iura et privilegia quoad provisionem canonicatuum vacantium.

Quibus ita responsum fuit: quoad primum quaesitum animadversum est, Gubernium Subalpinum per litteras circulares diei 24 Aprilis 1860 Cassinis, ministri gratiae et iustitiae, declaravisse praedictum Concordatum sublatum fuisse per ipsum factum annexionis Lombardiae Regno Sabaudo. Ad cognoscendas vero provisiones adhibitas ab Apostolica Sede coram novis adiunctis, Apostolicam Datariam adeundam esse, quae, ut fertur, regulas constituit, ut ius commune ad propriam revocetur vim quoad collationem beneficiorum in provinciis Lombardo-Veneti s.

Quo vero ad quaesitum secundum resolvendum videtur desumi posse lumen ab art. 22 eiusdem Concordati, qui ita se habet: « ***In omnibus metropolitanis seu archiepiscopalibus suffraganeisque ecclesiis Sanctitas Sua primam dignitatem fert, nisi patronatus laicalis privati sit, quo casu secunda substituetur: ad ceteras dignitates et praebendas canonicales Maiestas*** *Sua* ***nominare perget, exceptis permanentibus iis, quae liberae collationis episcopalis sunt, vel iuri patronatus legitime acquisito subiacent.*** »

Unde tandem die 30 Martii 1885 rescribi placuit : « Omnibus perpensis, et attenta praesertim resolutione S. C. C. in ***Campanien. Iuris conferendi canonicatus*** edita sub die 31 Ianuarii 1880, non satis constare de iure capituli circa ele-

ctionem ad memoratas vacantes praebendas, idque notificetur Episcopo. »

At vero quum hoc decretum capitulo communicatum fuit, mirum omnino canonicis visum est, ita S. O. respondisse. Quod ut intelligatur sciendum est, Bouix in *tract, de capit.* sustinere canonicalium praebendarum provisionum, de iure communi ad capitulum cum Episcopo pertinere ; et alternativae electionis praxim, iuxta ea quae in suo conventionis schemate capitulum Ooncordiense proposuerat, aequiorem esse ac faciliorem formam ad ius commune applicandum. Capitulum autem concordiense huic sententiae omnino confidens, putavisse, *alternativam,* utpote rem omnino canonicam, facilissime necessariae concessionis evasuram, praescindendo licet ab antiquis cathedralis ecclesiae privilegiis : unde ne supponebant quidem canonici obstacula adversum eum posse moveri. Quapropter quum primum, die 3 Augusti 1884 praeceptum fuit, ut a capitulo documenta afferrentur super asserto electionis et praesentationis iure, canonici notabant, se ea fore quidem trans miss uros, sed unice in superioris auctoritatis obsequium; quia ceteroquin documenta illa sunt omnino inutilia; dum Capitulum ad consequendam alternativam electionis infra limites a saviis canonibus constitutos exhibere probationes non debet; eo quod agitur de stipulatione quae iure communi innititur.

Novissime vero, quum rescriptum diei 30 Martii 1885 eidem capitulo communicatum est, canonici, novis datis litteris ¿ in antecessum conquerebantur, primitivam suam instantiam super alternativa fuisse silentio praeteritam, ac deinde ita prosequebantur : « ex eo quod Capitulum prospiciat, contra voluntatem, aliquo modo infirmata et imminuta iuridica vis suae antiquae praerogativae, quae non discutiebatur, unanimi suffragio, ad omnem vitandam responsabilitatem, censuit recurrendum esse ad S. C. C. petens, ut recognoscatur suum ius electionis et praesentationis ad praebendas canonicales, eiusque liberum exercitium. Et infra attento etc. exorat ut agnoscatur legitima antiqua consuetudo

Capituli concordiensis eligendi et praesentandi, ***servatis servandis,*** ad praebendas canonicales vacantes, in quatuor mensibus non reservatis per regulas Cancellariae, et ut reintegretur in exercitio iuris eiusdem, excepta dignitate decanatus, quae unica remanet, quaeque ex iure reservatur romano Pontifici.

Disceptatio Synopticaj-

Quoad ius eligendi et praesentandi, capitulum commemorat, saeculo XV Episcopum Felettum impedire et prohibere tentavisse ius electionis et praesentationis, quod iam tum a capitulo concordiensi pacifice exercebatur. Contradicentibus tamen canonicis, litem initiatam esse. At rebus melius perspectis, Ordinarium satius duxisse nuncium intentatae liti mittere per hanc conventionem, ***concordiam*** nuncupatam, quae ex integro heic inseritur : « In Christi nomine Amen. Anno nativitatis eiusdem 1479 Indict. X die lunae 5 Xmbris in Episcopali Palatio concordiensi , in Camera maiori, presentibus etc. Itaque cum lis verteretur inter R. in Xto. Patrem et d. Antonium Feletto, Dei gratia Episcopum concordiensem, et venerabiles viros dd. Decanum et Canonicos Capituli concordiensis super iure eligendi canonicos tempore vacationis in Ecclesia concordiensi, et quoniam indignum est, ut Pater cum Filiis litigare debeat, expensis parcere volendo et evitare inimicitias et alia mala quae ex litibus oriri solent, pro bono pacis ad hoc Concordium devenere dictae partes ; quod videlicet prefatus R. D. Episcopus cedat liti et instantiae promotae a dicto Capitulo super dicto iure eligendi, et expresse renuntiet dicto Capitulo omne ius eligendi seu conferendi Canonicatus et Praebendas, nec molestare dictum Capitulum nec inquietare, quominus valeat libere eligere, tempore vacationis, quinimo promittit electos per dd. Canonicos et Capitulum debite et canonice et iuridice, cum fuerit quaesitus, benigne confirmare secundum formam iuris, sine aliqua contradictione; et hoc etiam potissimum facit, quoniam videt electiones quamplures per tempora prae-

terita per dictum Capitulum celebratas et confirmaciones quamplures suorum Praedecessorum, et intelligit dictum ius eligendi de iure et antiqua consuetudine dicto Capitula conferre, quod alias non constabat suae R. Dominationi, et lis et controversia quae orta fuit inter praefatam suam Dominationem, et praefatum Capitulum potius orta fuit, quia ipse d. Episcopus iura dicti Capituli ignorabat, quam alia ex causa, quoniam sua voluntas nunquam fuit tollere, neque derogare iuribus Capituli sui, imo tamquam bonus pater et gratiosus Dominus augere potius quam diminuere, etiamsi Capitulo dictum ius eligendi de iure vel de consuetudine minime competeret. »

Exinde vero absque interruptione ac pacifice ius suum concordienses canonicos exercuisse, comprobant complura legitima documenta ab anno 1596 ad diem 7 Ianuarii 1805 decurrentia, et ad acta aut in originali aut in authentico exemplari relata. Haec documenta continent, vel antiqua acta capitularia, in quibus de electione ac nominatione ad unam alteramve praebendam agitur; vel episcopales bullas, quibus personae a capitulo electae et praesentatae ab Episcopis acceptabantur et ad beneficia instituebatur; vel tandem peculiares conventiones Episcopum inter et capitulum quoad electionum peragendarum modum.

Interea vero potissimam considerationem merentur quae sub ***n. 2,*** et ***n. 6*** ponuntur, ubi res est de electionibus theologi et poenitentiarii quae a capitulo factae exhibentur et ab Episcopo, praevio examine, acceptatae. Sub ***n. 7*** allegantur Episcopales bullae quibus ipsa praepositura ad capituli praesentationem confertur: sub ***n. 9*** concordia a capitulo cum episcopo inita circa Decani electionem, et acta capitularia diei 22 Maii et 1 Iunii 1789, quibus evincitur hanc concordiam in praxim fuisse rite deductam.

Hoc autem documentum ideo etiam peculiari consideratione dignum est, quia ibi mentio fit de facto quod etiam ab aliis actis constare dicitur, sed ibi ex professo refertur, scilicet concordiense Capitulum ***ab initio*** suum praesentandi

ius, ceu par erat, non exercuisse, nisi in quatuor mensibus non reservatis, iuxta notas Cancellariae regulas : dein vero, ac praecise anno 1769, quum reipublicae Venetae gubernium reservationum papalium observantiam in suis dominiis prohibuisset, capitulum ad omnes canonicatus et dignitates nominavisse.

Atque ita res processerunt usque dum die 13 Septembris 1804 I. et R. Gubernium generale Venetiarum provisionem cuiuscumque canonicatus, sive liberae collationis sive patronatus, ad se avocavit. Quae arbitraria et illegalis dispositio perduravit usque ad solemnem evulgationem concordati anno 1855 S. Sedem inter et Gubernium austriacum initi, sicut ex allegato ad rem documento *n.* ***12*** comprobatur.

Hisce porro documentis et alia plura adiungi potuisse canonici fatentur; se tamen nonnulla tantum ex actis capitularibus et episcopalibus selegisse putantes superfluum plura adhuc adiicere.

Unde ex his omnibus haud temerarie concludi posse videtur ad concordiense capitulum *olim* certe competiisse ius eligendi et praesentandi ad vacantes praebendas. Et, quum allegata a capitulo in suum favorem documenta prorsus legitima appareant, nec quidquam ex adverso obiiciatur, hinc super existentia antiqui capituli iuris otiosa quaelibet ulterior disceptatio videtur.

Pariter in dubium revocari non potest, quinam fuerit effectus violentae legis civilis 13 Septembris 1804, quo I. R. gubernium Venetiarum omnium canonicatuum provisiones ad se avocabat, sibique usque ad annum 1855 adscribebat. Notum enim est, quod, ex una parte, spolium iura legitime acquisita ac possessionis titulos non adimit, et ex altera parte « impeditis tempora non currunt, » et « non valenti agere non currit praescriptio. > Ideoque in hypothesi quod ante annum 1804 ad capitulum concordiense controversum praesentationis ius certe competeret, iam ex illegitimo et violento civilis gubernii decreto hoc iure capitulum expolian non potuit.

At vero difficultas oritur ex his quae sequuntur, ex facto scilicet concordati anni 1855 S. Sedem inter et Austriae imperatorum, initi. Res itaque sedulo studio sub hoc aspectu est consideranda; nam controversiae punctum in hoc potissime verti videtur.

Et quaestio quae proponi posset haec foret, ***utrum scilicet per concordatum anni 1855 ius nominationis et praesentationis capitido concordiensi proprium suspensum tantummodo fuerit, ita ut post concordati cessationem revivisceret ; an potius absolute abrogatum censeatur, adeo ut reviviscere, concordati cessatione, non potuerit,***

At vero huiusmodi quaestionis non una nec facilis est solutio. Etenim si praefata nominandi et praesentandi facultas habeatur ut legitima iuris communis expressio et dispositio, causa quidem acta foret. Cessante enim concordatario regimine, ius commune necessario restitui debet, quoties praesertim ius commune cohaereat cum usu et ecclesiarum statu ante concordatum receptis, veluti apprime contigisset in themate.

Verumtamen haud certa videtur haec theoria, quod scilicet dicta nominandi et praesentandi facultas habetur ut canonica atque ordinaria iuris communis dispositio pro canonicatuum cathedralium provisione. Etenim scitum est ex Fagnano ***lib. I decret. De eieci. c. 31 ;*** quatuor esse canonistarum opiniones circa canonicatuum provisionem ; quarum prima eorum est qui tenent iure communi collationem canonicatum et praebendarum ecclesiae cathedralis ***ad solum Episcopum pertinere;*** altera est eorum qui docent pertinere ***ad Episcopum de consensu capituli;*** tertia est eorum qui volunt spectare ***ad Episcopum de consensu capituli, quoties omnia sunt communia, de consensu vero, ubi omnia sunt divisa',*** quarta demum est illorum, qui censent de iure communi collationem canonicatuum et praebendarum in ecclesia cathedrali ***esse simultaneam, idest spectare ad Episcopum et capitulum simul.***

Nemo autem est qui doceat de iure communi canonica-

tuum provisionem ad Episcopum spectare ***ex nominatione et -praesentatione*** capituli. Unde haec praxis, quae quidem in concordiensi ecclesia viguisse traditur nullo pacto considerari potest qua iuris communis dispositio et expressio.

Potius cum nominatio et praesentatio ad beneficia primum ac potissimum ex patronatus privilegiis constituat, dicendum esset casum veri ecclesiastici patronatus in themate haberi. Et re quidem vera omnia in hunc sensum concurrunt et collimant.

Sane 1. patronatus cum communi sententia definitur « ius nominandi sive praesentandi clericum ad beneficium ecclesiasticum vacans. » ReifFenstuel ***ad lib. 38 n. 3,*** Ferraris ***v. Insuper, art. 1, n. 2.*** Quae nominatio in capitulis necessario fieri debet per receptam electionis seu scrutinii formam; unde ius nominandi in hoc casu cum iure eligendi confunditur.

Cum autem patronatus in sua essentia definiatur esse ius praesentandi; hinc necessario sequitur, eumdem legitime adstrui per praesentationes rite et cum effectu peractas. Ita sane Ferraris ***art. n, 44 seqq. «*** Iuspatronatus probatur variis modis. Et primo probatur ex praesentationibus per 40 annos effectum sortitis... 2. probatur post enunciativas 100 annos et hominum memoriam excedentes.... 3. probatur iuspatronatus ex sententia antiqua Episcopi, qua iudicavit ad praesentationem alicuius patroni beneficium pertinere... 4. probatur iuspatronatus ex litteris institutionalibus Antistitum, quibus attestatur beneficium ad praesentationem alicuius patroni pertinere: per assertionem enim et confessionem Ordinarii in institutione emissam habetur sufficiens probatio iurispatronatus... 6. probatur iurispatro iatus ex consensibus patronorum reservatis et praestitis in pluribus provisionibus.

Atqui haec omnia adamussim verificantur in casu capituli concordiensis : ipsum enim ad rem profert antiquam episcopalem sententiam, qua huiusmodi nominandi et praesentandi ius sibi recognoscitur, acta capitularia, bullasque episcopales, aliaque plura quae produnt huiusmodi ius per plura saecula pacifice exercuisse.

Porro 2. ius patronatus, quod competit clericis, qua clerici sunt, ecclesiasticum est, ***cap.* 4 *De iurep. in VI,*** Schmalzgrueber ***ad eund. tit.* 8.** Unde capituli concordiensis patronatus non est dubium quominus ecclesiasticus vocandus sit.

Tertio denique ecclesiastici patroni apprime subiacent apostolicis reservationibus in ***reg, IX Cancel. Ap.*** contentis, veluti constat ex clara eiusdem regulae dispositione iuncto Riganti ad hanc ***reg. tom.* 2 *pag.* 33 *n.* 444** cum Gonzalez ibi, aliisque passim. Unde patronis ecclesiasticis libera nominandi potestas non patet, nisi in quatuor mensibus collatoribus ordinariis permissis. Et haec precise erat capituli Concordiensis conditio, usque dum reipublicae Venetae gubernium papalium reservationum exercitium in suis dominiis permisit : idque probatur nedum ex capituli affirmationibus, sed et ex documento superius relato aliisque ad acta existentibus.

Retento autem, quod in casu de iurepatronatus ecclesiastico agebatur, iam aliae subordinatae oriuntur quaestiones utrum scilicet hoc iuspatronatus per austriacum concordatum fuerit extinctum aut suspensum, et quatenus affirmative, utrum post concordati cessationem de iure revixerit.

Qua in re praestat in antecessum notare ius patronatus nil aliud esse quam gratiam seu privilegium beneficiorum fundatoribus aliisque personis de ecclesia benemeritis a suprema ecclesiae auctoritate recognitum atque concessum.

Hoc bene illustrat Riganti ad ***reg.* 42 *Cancell. Ap. n.* 184 *seqq.*** et Natalis Alexander ***Hist. eccles, saeculi VI cap.* o, *art.* 3, *n.* 8_,** qui insuper recolit hanc disciplinam in Italia saeculo VIII ex RR. Pontificum gratiosa dispensatione primum inolevisse ; nam ait, « iurispatronatus in beneficiorum collatione vix ulla reperies vestigia in ecclesiis Italiae sexto et septimo saeculo. »

Et licet patronatus ex dictis benemerentiae titulis soleat concedi, nihilominus non cessat esse id quod est, nempe pri-

vilegium. Siquidem in ecclesiae regimine sacrum ac solemne est officiorum et beneficiorum provisionem ad supremum ecclesiae magisterium spectare ; unde nonnisi ex peculiari benevolentiae causa et prudenti oeconomiae consilio nominationem et praesentationem ad haec officia et beneficia privatis personis permitti.

Nec quidquam refert quod patronatus vocetur ius et ministerio iuris, datis certis causis, acquiratur: quippe quoniam hoc nil aliud significat, quam quod patronatus sit privilegium in corpore iuris clausum, veluti pragmatici loquuntur; cuius rei non unum adest exemplum. De cetero gratia licet ex certis rationum momentis certissime conferatur, non ideo gratia esse desinit.

Age vero, si patronatus gratia et privilegium est, nedum suspendi, sed absolute abrogari videtur, quoties per concordatum sanciatur beneficiorum provisiones a privatis patronis in Principem aut Episcopum aut S. Sedem transferri. Docet enim Menochius ***cons. 190 n. 18*** cum Riganti ***De reg. cancel, lib. 1 pag. 9 n. 79,*** quod privilegium statim ac revocatur cessat, quin amplius ex se reviviscere possit : — ibi— «Revocatio statim suum sortitur effectum, et illa privilegia sunt extincta, nec reviviscunt, nisi convalidentur. » Quod ceteroquin ipsi rectae rationi cohaerere prorsus videtur.

At in themate iuspatronatus, de quo quaestio, haud videtur per concordatum abrogatum. Recolantur sane verba ***art.*** *22:* «In omnibus metropolitanis seu archiepiscopalibus suifraganeisque ecclesiis Sanctitas Sua primam dignitatem conferet, nisi patronatus laicalis privati sit, quo casu secunda substituetur. Ad ceteras dignitates et praebendas canonicales Maiestas sua nominare pergit, exceptis permanentibus iis quae liberae collationis episcopalis sunt, vel iuri patronatus legitime acquisito subiacent. »

Porro praebendae cathedralis ecclesiae concordiensis patronatu! legitime acquisito erant, iuxta dicta, subiectae.

Quin dicatur hunc patronatum esse ecclesiasticum : quan-

doquidem citatus concordati articulus non distinguit ; unde utrumque iurispatronatus genus complexum fuisse dicendum est. Eo vel magis quod in antecedenti articuli parte, ubi de primae dignitatis provisione res erat, exceptio et distinctio rite facta fuit per verba « ***nisi patronatus laicalis privati sit.»*** Unde generalis locutio in altera articuli parte servata quasi aliquid oppositum indicat, et maiorem assumit significationem.

Et quin etiam subsumatur, sin minus, ex non usu ab anno 1855, in quo violenta dispositio ab I. R. gubernio Venetiarum iam dudum lata per concordatum cessavit, ad annum 1883, in quo capitulum veteris sui iuris restitutionem primum reclama vit, lapsu nempe 30 annorum, controversum iuspatronatus fuisse peremptum. Responsio enim in promptu est. Siquidem ad patronatum ecclesiasticum praescribendum 40 anni requiruntur; De Angelis ***ad lib. 3 Decret, tit. 38*** cum communi.

Et quin tandem obiiciatur resolutio a S. O. C. data in ***Campanien. iuris conferendi canonicatus 31 Ianuarii 1880.*** Quandoquidem potius optimum exinde nancisci pro re sua argumentum, actor capituli contendit. Ait enim visa quoque sapienti resolutione data a S. O. C. in ***Campanien.*** die 31 Ianuarii 1880, in casu quem comitantur pene identica adiuncta ideo redintegrari in veteri suo iure deposcit.

Iuvat itaque illius causae speciem breviter heic commemorare. In civitate campaniensi Collegiata aderat ecclesia ad cuius Capitulum ius praesentandi ad omnes praebendas ab immemorabili pertinebat. Hoc ius pacifice exercuit usque ad initium currentis saeculi, quo tempore, ob veniente Francorum invasione, Capitulum ab antiqui iuris exercitio prohibitum fuit. Restituta tranquillitate conventio inita fuit anno 1818 inter S. Sedem et utriusque Siciliae Regem, atque in ipsa statutum art. 10 : canonicatus liberae collationis, tum capitulorum cathedralium, tum collegialium, conferretur refpec ive a Sancta Sede et ab Episcopis; idest prioribus sex anni mensibus ab Apostolica Sede, in aliis sex mensibus ab Episcopis.

Exorta controversia inter Archiepiscopum et Capitulum circa interpretationem huius articuli, quaestio delata fuit ad regem, qui, decreto diei 2 Maii 1824, cavit campaniensi Capitulo applicandam esse resolutionem, alias datam pro Capitulis Salernitano, Montiscurvini et Ebulensi; quod scilicet firmo remanente primo semestri cuiusque anni favore apostolicae Sedis, Capitulum praesentaret ad praebendas vacantes in primis quatuor mensibus secundi semestris, et duo postremi menses forent liberae collationis Archiepiscopi. Proposito itaque dubio, ***an et cui competat ius conferendi canonicatus in casu,*** S. C C. respondit: «Affirmative quibus de iure ad formam decreti 2. Maii 1824. »

Hisce itaque aliisque, quae ex proposita factorum narratione scatent, rite perpensis resolvendum propositum fuit

Dubium

An capitulum cathedralis ecclesiae concordiensis redintegrandum sit in exercitio iuris nominandi et praesentandi ad omnes praebendas, in mensibus non reservatis vacantes, una excepta decanali dignitate, in casu.

RESOLUTIO. Sacra Cong. Concilii re disceptata sub die 18 Augusti 1888 censuit respondere — ***Affirmative.***

Ex QUIBUS COLLIGES : I. Iuspatronatus nihil aliud esse quam gratiam aut privilegium beneficiorum fundatoribus, aliisque personis, de Ecclesia benemeritis, a suprema auctoritate concessum.

II. Certum est enim ad supremum Ecclesiae magisterium spectare provisionem officiorum et beneficiorum ; et ideo, nisi ex peculiari benevolentiae causa, privatis permittitur nominatio- aut praesentatio ad beneficia.

III. Qua de re etsi iuspatronatus in corpore iuris contineatur, non cessat esse tale, quamvis certissime conferatur ex certis rationum momentis.

IV. Romanos Pontifices revocare posse eiusmodi privilegia aut gratias, et hanc revocationem statim suum sortiri effectum certum esse.

V. Per concordata revocari et suspendi dicta privilegia, quoties sancitur beneficiorum provisiones a privatis patronis in Principem aut Episcopum aut s. Sedem transferri.

VI. Capitulum concordiense redintegratum rite fuisse in exercitio iuris, quod per varia documenta evicit sese per saecula exercuisse, quodque per concordatum abrogatum non fuisse videtur.

ENGOLISMEN.

FACULTATIS CONDONANDI ET REDUCENDI ONERA

Die 18 Augusti 1888.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Engolismensis Ordinarius S. Sedem sequentia exposuit, quod « nuperrime recurrebat ad eam favore hospitalis civitatis Rupefucaldi, suae Dioeceseos, et obtinebat condonationem missarum in eo fundatarum, et reductionem quoad futurum. Vix autem obtento S. Congregationis Concilii rescripto, et alii duo casus ex aliis Dioecesis locis ipsi delati sunt, qui et ipsi recursum ad S. Sedem exigèrent. Nunc, inquisitione summatim instituta, sat multa per totam dioecesim male ordinata, quae simul exponenda voluit Sanctitati Vestrae, ut succurrere dignetur. »

« Sunt fundationes, quarum fundus dimini tus, vel etiam penitus consumptus, plerumque inculpabiliter, quandoque vero ex inscitia aut negligentia administratorum, qui pecuniam in solvenda ecclesiae debita, vel in eam reparandam consumpserunt; et onera vel de praeterito adimpleta non sunt, vel in praesens non habetur quod eis adimplendis sufficiat. - Quandoque etiam defunctorum haeredes redditus solvere renuunt ad implenda onera, nec utiliter cogi possunt. -- Demum, non infrequenter fundus vel pecunia ab initio legata insufficiens erat, et tamen acceptata fuit ab administratoribus ecclesiarum, absque Episcopi approbatione, imo absque ullo ad eum recursu; quod vitium frequens fuit decursu prae-

sentis saeculi, nec cessavit nisi post saepius inculcatum ius et post iteratas ab Episcopo oratore admonitiones. »

« Fundationes autem huiusmodi, ut plurimum, sunt missarum lectarum tantum, coniunctis tamen aliquando missis cum cantu celebrandis, vel etiam addita obligatione officium defunctorum, certis diebus decantando Interdum occurrunt simul, eiusdem testamenti lege, onera missarum cum aliis oneribus, v. g., certam reddituum parten erogandi in pauperes, aut lampadis coram Sanctissimo ardentis expensis providendi etc. »

« Episcopus orator expedire arbitratur, ut generalis instituatur per totam dioecesim inquisitio de fundationum existentia, conditionibus et implemento, successive tamen et adhibito sui Vicarii generalis auxilio, ne labore revisionis supra modum gravetur, et quaecumque minus recta reperta fuerint, ad iuris et aequitatis regulas, necnon Decretorum Sanctae Sedis sanctiones componantur. >

« Verum et aliud est Sanctitati Vestrae exponendum, quod et eius providentiam requirit. Sanctae enim Sedis indulta, dum reductionem missarum Episcopis concedunt, ut plurimum earum numerum ad taxam eleemosynae missae manualis definiendum volunt. Iamvero eleemosyna missarum manualium in Dioecesi engolismensi, unius libellae ab antiquo constituta, nostris temporibus admodum exigua facta est, nec sacerdotum inopiae sublevandae satis congrua. Licet in multis Galliarum Dioecesibus aucta fuerit, eam tamen universim augere Episcopus orator usque huc reformidavit, ne exitus fieret peior, et adhuc decrescerent paucissimae fidelium suae Dioecesis oblationes ac missarum petitiones. Hinc ubi de oneribus missarum in hospitali Rupefucaldensi fundatarum reducendis recenter actum est, a Sanctitate Vestra obtinuit ut maiorem manuali taxam statuere posset. Idem et nunc expostulandum putat, non tamen omnibus in casibus erit necessarium; nam in quibusdam locis, quorum sacerdotes eleemosynis missarum non carent^ si fundatorum descendentes vel consentiant vel non supersint, etc. forsan con-

sultius erit concedere, ut missae, ad taxam eleemosynae missae manualis reductae, in aliis ecclesiis celebrandae tradantur, docto semper coram Episcopo de fundationis adimplemento.

« His omnibus expositis, instanter supplicat Episcopus engolismensis orator, ut Sanctitas Vestra, amplam sibi concedere velit facultatem, intra quinquennium proximum tantum, per se vel per suos Vicarios generales exercendam, condonandi quoad praeteritum, et reducendi quoad futurum fundationum onera, sive ea in missis lectis, aut cantatis, aut in obligatione cantandi officium defunctorum, vel in aliis oneribus consistant, sive plura huiusmodi onera in eodem casu concurrant, taxata eleemosyna missarum reductarum etiam ad taxam missae perpetuae, iuxta morem Dioecesis, vel, si eleemosyna minor quandoque praefinienda visa fuerit, facta rectoribus ecclesiarum potestate earumdem missarum celebrationem alibi procurandi, ac servatis de cetero regulis a probatis auctoribus, ac signanter a Benedicto PP. XIV in suo opere ***De Synodo*** traditis. »

Disceptatio Syiioptica.

Itaque engolismensis Ordinarius generalem facultatem postal it per quinquennium, qua possit plura onera sive missarum sive aliorum piorum operum reducere quoad futurum et condonare quoad praeteritum, si haec impleta hucusque non fuerint, et in posterum impleri non valeant.

Iamvero in hac materia iuvat recolere quod Tridentinum *sess. 25 cap. 4* considerans « in quibusdam ecclesiis vel tam magnum missarum ce ebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis impositum esse, ut illis pro singulis diebus a testitoribis praescriptis nequeat satisfieri, vel eleemosynam huius nnodi pro i his celebrandis adeo tenuem esse, ut non facile i **i** ve liatur, qui velit huic se muneri subiicere ; unde dep re nt p ae testantium voluntates, et eorum conscientias, aa quos praedicta spectant, onerandi occasio datur... facul-

tatem dat Episcopis, ut in synodo dioecesana— re diligenter perspecta, possint pro sua conscientia in praedictis ecclesiis, quas hac provisione indigere cognoverint, statuere circa haec quidquid magis ad Dei honorem et cultum, atque ecclesiarum utilitatem viderint expedire; ita tamen ut eorum semper defunctorum commemoratio fìat, qui pro suarum animarum salute legata ea ad pios usus reliquerunt. >

Verum quidem est quod S. C. ex patrum consulto diei 21 Iunii 1625, Urbani VIII et Innocentii XII auctoritate firmato per apostolicas litteras ***Nuper*** X kal. Ianuarii 1697 prohibuit atque interdixit « ne Episcopi in dioecesana synodo aut Generales in capitulis generalibus, vel alias quoquomodo reducant onera ulla missarum celebrandarum, aut post idem Concilium, Tridentinum, imposita aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis aut moderandis vel commutandis ad Ap. Sedem recurratur, quae re diligenter perspecta, id statuet quod magis in Domino expedire arbitrabitur. » Verum hoc non tollit quominus ex iusto motivo, ad tempus et pro aliquibus specialibus causis facultas huiusmodi reducendi onera missarum non possit Episcopis, tamquam Ap> Sedis delegatis committi.

Ratio enim ob quam S. C. sustulit Ordinariis potestatem, per oecumenicum Concilium ipsis recognitam, ea potissimum fuit, quia scilicet aliqui graves abusus in hac re irrepserant, ceu clare patet ex tenore litterarum apostolicarum ***Nuper.*** Iamvero praefiniendo tam quoad tempus, quam quoad modum extensionem petitae potestatis, vitari forte possent abusus, qui causa fuerunt privationis huius potestatis. Quod eo vel firmius retinendum videtur in themate, si attendantur postrema Ordinarii verba, in quibus adpromittit se servaturum canonicarum legum praescripta ac doctrinam quam Benedictus XIV quoad hanc rem in opere ***De Synodo*** explanavit.

Et haec quoad reductionem onerum missarum. Relate vero ad alia pia opera, quae iuxta temporum ac locorum exigentias variasque necessitates, prudenti suo arbitrio mo-

derari posse postulat Ordinarius , plura dici possent. Nani disputant inter se doctores utrum Episcopus, tamquam Apostolicae Sedis delegatus, ex gravi et necessaria causa, possit ex se haec onera reducere piaque opera commutare. Conferatur D'Annibale ***Stimm, th. 2 n. 379.***

Quibus animadversis, quaesitum fuit, quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra Cong. Concilii, re cognita, sub die 18 Augusti 1888, censuit respondere: ***Pro gratia iuxta petita ad quinquennium, facto verbo cum SSmo.***

PRAENESTINA

REDUCTIONIS ONERUM

Die 21 Iulii 1888.

Per Summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Die 17 Ianuarii 1888 supremis tabulis quibus decessit Gregorius Chiachiararelli pagi vulgo ***Cave*** reliquit proprio pronepoti, Sacerdoti Ioanni Pasquazi, nonnulla bona, quae singillatim nuncupavit, cum hac lege : volo ut hic sacerdos, dum vivat applicet quotidie Missam pro me meisque parentibus defunctis, in Ecclesia, cui titulus ***Madonna del Campo.*** Et quoniam, ait testator, cuperem quod haec Missae quotidianae celebratio fieret in perpetuum , in praedicta Ecclesia, sic, quin id Iubeam, desiderium hoc meum tantum eidem patefacio, ut consulat, si placet, perpetuitatis Missae huiusmodi.

Deinde instituit suos haeredes, aequis partibus, alios pronepotes, fratres Sacerdotis Ioannis.

Iamvero ex peritia agrimensoris constat, portionem fundorum sacerdoti Ioanni assignatam annuum reditum 672 libellarum dare, et valde inferiorem esse portionibus , quae singulis aliis fratribus obtigerunt. Insuper certum est hos Gregorii Chiachiararelli pronepotes proximiores eius coniunctos ideoque etiam legitimos eius heredes extitisse.

Hoc stante, sacerdos Ioannes, cui praelegatiim illud cum onere missarum assignatum fuit, petiit ab Apostolica Sede, ut Missae ad centumquinquaginta in annum et in perpetuum redigerentur: his innixus rationum momentis: quod si testator mortuus esset absque testamento, orator consecutus esset quotam haereditariam, legato maiorem, et omnino liberam ceu alii fratres ; quod onus missae quotidianae in rurali Ecclesia est omnino grave; dum orator, qui Praenestae domicilium habet, per alium sit coactus huic Oneri facere satis.

Has preces firmat et commendat auxiliaris Episcopus, etiam quia per verba testamenti minime apparet hoc legatum Missarum factum fuisse ad populi commoditatem, sed tantum pro speciali devotione erga illam sacratissimam Imaginem.

Disceptatio Synoptica

PETITIO EXCIPIENDA VIDETUR. EX hac Ordinarii epistola, sicut ex momentis quae in supplici libello proponuntur, plane descendit, gratiae concessionem optimo inniti aequitatis motivo. Siquidem legati assignatio odiosa et gravosa considerari potest: nam per eam sacerdos Ioannes haeredis nomen portionemque haereditatis, quam aliter cum ceteris fratribus aequalem, iuxta omnem probabilitatem, consequutus fuisset, prorsus amisit, ea quotam bonorum ceteris fratrum portionibus inferiorem obtinuit ; nec liberam, sed onere tali gravatam, quo legatum videtur exhaustam. Etenim cum Oratorium ad celebrationem missarum assignatum mille circiter passus ab oppido distet, non tam faciliter nec sine congrua retributione sacerdos, aut ibi commorans, aut illuc celebraturus pergens, inveniri potest. Insuper ex expresso testatoris desiderio eadem bona ad legatarii mortem vinculata adhuc manere deberent ; unde legatarius qui nullo pene beneficio ex legato obtinere valet in vita, neque libera disponendi facultate uti absque offensione poterit in morte. Atqui iustissimi lex est, ut legatarii non onerentur ultra quam onerati sunt ex ***Inst.*** §. ***1 Be legat.***

Aequitas igitur suadere videtur ut oneris reductio fìat. Accedit et prudentiae ratio : nam spondet sacerdos se esse cauturum, ut pium missarum legatum sartum tectumque maneat in perpetuum si ad petitam congruam mensuram reducatur. Dum aliter post mortem suam posset plane, etiam absque plurima conscientiae offensione, disponere ut idem legatum aut maxima ex parte aut etiam totaliter ad alios eosque prophanos usus convertatur. Unde si denegabitur gratia sub aspectu tuendi et curandi maius bonum, brevius minusque beneficium forte obtinebitur.

PETITIO RESPUENDA VIDETUR. At contra militat expressa testatoris voluntas, quae si in omnibus sancte custodienda est, legemquc constituit iuxta utriusque iuris censuram, maxime id verificatur in piis missarum dispositionibus, quae ad animae suffragium sunt directa.

Accedit quod legatum, licet notabile beneficium non afferat, nihilominus onera satis compensât; redit enim 672 libellas. Nec demum plurimum valet adducta ratio ex haeredis qualitate desumpta; nam sacerdos Ioannes non necessarius, sed tantummodo legitimus Gregorii haeres existit; ideoque et poterat impune praeteriri; unde etiam si praelegatum obtinuit, potiusquam liberam haereditariam portionem sicut ceteri fratres, legitimam conquerendi causam non habet.

Quibus animadversis, quaesitum est quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re cognita, sub die 21 Iulii 1888, censuit respondere : ***Pro gratia reductionis, iuxta preces, dummodo legatum, sic reductum, in perpetuum constituatur, modo ac forma ab Emo Archiepiscopo determinandis, facto verbo cum SSmo.***

LÜNEN. SARZANEN.

DUBIA CIRCA ORDINATIONEM REGULARIUM

Die 18 Augusti 1888.

Sess. 23 cap. 8 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Episcopus Lünen. Sarzanen. S. C. C. supplicem dabat libellum sequentis tenoris :

« Regularis quidam privilegio carens, ut a quocumque catholico Antistite ordinari valeat, Ordinarii, in cuius dioecesi extat conventus, ubi Regularis incoli t, attestationes exhibuit extraneo Episcopo, quibus declaratur, ipsum Ordinarium extra tempora statuta ordinationem non tenere. Quaerit:

< I. ***An iuxta Constitutionem Benedicti XIV*** Impositi 27 Febr. 1746 ***Episcopios extraneus possit extra tempora, a canonibus statuta, Regularem, praedicto privilegio carentem, ordinare.***

« II. Quatenus affirmative : ***An sufficiat attestatio Ordinarii dioecesani ut in causa; vel requiratur attestatio, qua declaratur Episcopum loci, quo Regularis degit, non tenere ordinationem temporibus statutis.***

€ III. Et quatenus negative ad primum: ***Consuetudo contraria potestne ab illa constitutione Benedictina derogare? »***

Disceptatio Synoptica

Tridentinum ***Sess. 23 cap. 8 Be reform,*** praecepit ut « ordinationes sacrorum ordinum statutis a iure temporibus > celebrentur. Unusquisque autem a proprio Episcopo ordine» tur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id » ei etiam cuiusvis generalis aut specialis rescripti vel pri» vilegii praetextu etiam statutis temporibus permittatur, » nisi eius probitas ac mores Ordinarii sui testimonio com» mendentur. »

Duo itaque Tridentinum in hoc loco praecipue iubet, scilicet ordinationem 1. statutis temporibus. 2. a proprio Episcopo fieri. Et hanc legem ipsos quoque Regulares afficere

incontroversum est ; qui ideo intra statuta tempora, et a proprio Episcopo promoveri tenentur.

Proprius autem Episcopus relate ad Regulares quinam sit determinat, iuxta veterem disciplinam, ac receptos canones Benedictus XIV *const. Impositi nobis;* ubi firmat decretum a S. O. C. latum die 15 Martii 1596 et a Clemente VIII iam tum sancitum quod ita est: «S. C. C. censuit superiores regulares posse suo subdito item regulari, qui praeditus qualitatibus requisitis, ordines suscipere voluerit, litteras dimissoriales concedere ad Episcopum tamen dioecesanum, nempe illius monasterii, in cuius familia ab iis ad quos pertinet Regularis positus fuerit, et si dioecesanus abfuerit vel non est habiturus ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum, dum tamen ab eo Episcopo, qui ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, et dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissorialium in id tempus, quo Episcopus dioecesanus abfuturus vel nullas habiturus esset ordinationes. Verum cum a superioribus Regularibus, Episcopo dioecesano absente, litterae dimissoriales dabuntur, in eis utique huiusmodi causam absentiae dioecesani Episcopi vel ordinationum non habendarum exprimendam esse. »

Porro sunt regulares qui privilegio fruuntur ordinationes suscipiendi tum a quocumque Antistite, communionem cum A. Sede habente, tum extra tempora. Quae duo privilegia non sunt ita inter se connexa, ut non possi.it seorsim consistere. Imo in themate Episcopus orator hanc distinctionem videtur aperte supponere. Ait enim : « Regularis quidam privilegio carens ut a quocumque catholico Antistite ordinari valeat, » ab extraneo Episcopo petit ut ordinetur : exhibito proprii Episcopi testimonio, quo declaratur, hunc ordinationem extra tempora non esse habiturum, quo posito quaestio primum proponitur, an hic Episcopus praefato regulari sacram ordinationem, extra tempora, impertiri possit. Iamvero cum in specie supponatur, hunc regularem privilegio carere ordinationem suscipiendi a quocumque catholico

Antistite, iam si privilegio quoque ordinationis extra tempora destituentur, nulla esset difficultas; nam huiusmodi regularis beneplacitum proprii Episcopi attendere necessario deberet aut ad S. Sedem recurrere. At e contra si supponatur hunc eumdem regularem, privilegio ordinationis extra tempora pollere, dum altero caret, iam species aliqua difficultatis habetur. Etenim recusante dioecesano Episcopo ordines extra tempora impertiri, regularis qui non potest e Dioecesi discedere suo privilegio ordinationis extra tempora frustraretur. Unde quaestio proposita.

Super qua disputari primum posset, an Episcopus, qui in sua dioecesi religiosas habet familias indulto ordinationum extra tempora fruentes, teneatur eorum postulationibus acquiescere. Etenim religiosi sua indulta praeseferentes et extollentes, quandoque importune et excessive vexavisse Episcopos ad ordinationes habendas, recolit Benedictus XIV *cit. const. Impositi nobis.*

Sed dato quod dioecesanus Episcopus legitimis regularium petitionibus hac illave de causa non consentiat, et proclamet se extra tempora ordinationem non esse habiturum, iam subordinata nascitur quaestio, utrum scilicet regularis ad legitimum sui privilegii exercitium extraneum Episcopum adire possit;- et an sola testificatio proprii Episcopi de ordinationibus extra tempora non habendis sufficiat ad legitimandam alterius Episcopi extraordinariam ordinationem. Sed audiatur Consultor.

VOTUM CONSULTORIS. Ad dubium primum ex propositis ab Illmo et Rmo Episcopo Sarzanensi, censeo in primis animadverti oportere, in allegata Benedictina Constitutione apprime distingui privilegi!'.m concessum a Sede Apostolica quibusdam Ordinibus regularibus recip endi Ordines a quocumque catholico antistite, ab alio privilegio recipiendi ordines extra tempora, communi Ecclesiae lege constituta. Hinc ut dubium propositum, *speciem aliquam habeat difficultatis*, puto supponi, regularem de quo in casu, carere quidem primo privilegio non vero secundo.

Etenim Benedictum XIV haec duo quae dixi accurate distinguere, patet ex eo quod, post definita ea omnia quae pertinent ad legitimam possessionem et canonicum usum prioris privilegii, scilicet I° ut sit concessum ***post*** Conc. Trid. 2° ut habeatur ***directe*** non ***per communicationem,*** ita prosequitur: « ***Praeterea*** volumus atque decernimus, ut superiorum regularium dimissoriae, ***quae ideo ad alium Antistitem directae fuerint, propterea quod Episcopus dioecesanus extra dioecesim commoretur, vel ordinationem non sit habiturus, nullius sint roboris et momenti, nisi illis iuncta fuerit*** authentica attestatio Vicarii generalis, vel cancellarii aut secretarii eiusdem Episcopi dioecesani, ***ex qua constet,*** ipsum a dioecesi abesse, vel clericorum ordinationem habiturum non esse, ***proximo legitimo tempore*** per ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto. Hoc enim ***expresse*** declarari opus est ***ad excludendam nonnullorum arrogantiam, qui quum privilegio gaudeant suscipiendi ordines extra tempora, existimarunt, Episcopos ipsorum voluntati adeo addictos esse debere,*** ur si QUANDOCUMQUE IPSIS PLACUISSET ad ordines promoveri NON STATIM IPSOQUE DIE ab ipsis designato voti compotes fierent, iam dici posset, ordinationem ab Episcopo non haberi, proindeque alius Episcopus pro suscipiendis ordinibus adeundus esset. » Hinc Pontifex, in huius legis transgressores ita decernit: « Quod si aliquis Antistes regularem virum in sua Dioecesi proprium domicilium non habentem, solius ipsius superioris dimissorialibus litteris contentus, ***sine adiuncta praefata attestatione, in forma probante,*** ad ordines promovere praesumpserit, decernimus et declaramus hunc ipso facto incurrere in poenas canonicas, adversus eos constitutas, qui alienum subditum, legitimis dimissoriis destitutum, ordinaverint. »

Quae porro verba Pontificis, evidens est pertinere ***ad omnes omnino regulares*** qui privilegium habeant a Sede Apostolica suscipiendi ordines ***extra tempora, communi Ecclesiae lege statuta,*** quamvis eos suscipere teneantur ***ab Episcopo proprio,*** scilicet illius Dioecesis, in qua sita est domus

regularis, in qua degit is qui ordines suscipere debet; quare ad ***primum*** respondeo :

Affirmative, dummodo regularis, de quo in casu, licet careat primo ex duobus recensitis privilegiis, gaudeat secundo.

Ad haec animadvertendum est, ad secundum dubium quod attinet, in legitimo usu secundi privilegii, scilicet suscipiendi ordines ***extra tempora,*** ut dicitur, unum a Pontifice requiri, ***ut nempe debita servetur reverentia dignitati Episcoporum, ad excludendam nonnullorum arrogantiam etc.*** V. verba superius relata. Hinc patet etiam quid respondendum sit ***ad secundum dubium;*** scilicet:

Sufficit ut constet, adhibita tamen memorata illa cautione, authentica attestatione, Episcopum loci extra tempora ordinationem non habere vel saltem ***proximo legitimo tempore ; nullatenus vero requiri ut constet Episcopum loci ordinationem non habere etiam temporibus statutis,*** quare in secundo dubio respondeo : ***affirmative ad primum, negative ad secundum.***

Evidens enim est, quod in hoc secundo casu, ***regularis numquam uti posset suo privilegio,*** quod omnino repugnat.

Illud enim quod, ut iam animadverti, postulat Pontifex, est, ut regulares nimis importune ordines quolibet tempore non requirant, potissimum vero ***si brevi post tempore ab eorum postulatione, proximo tempore,*** generalium ordinationum tempus recurrat. Ergo ***hac rite servata conditione*** regulares suo privilegio uti poterunt, quemadmodum'et exemptione a lege interstitiorum si ea fruantur. Quare sufficit ut constet ***proximo tempore*** episcopum generales ordinationes non habere.

Denique ad tertium , ***quatenus ad casum propositum pertinet,*** respondeo:

Provisum in primo. Nulla enim opus est consuetudine, ubi diserte privilegium illud ***intra statutos limites*** in ipsa Benedictina Constitutione asseritur. Si vero consuetudo inducta fuisset, ut neque ***illi limites servarentur,*** puto eam non

esse consuetudinem, sed *corru/ptelam,* quae *nervum disrumperet ecclesiasticae disciplinae cap. Cum inter De consuet.* et *cap. Consuetudinem h. t. in* **6.** Adeoque eam legitimam numquam evadere.

Supervacaneum vero foret generalem et abstractam hic aggredi disputationem quando et intra quos limites contraria consuetudine legi possit derogari. De qua re Interpretes et dd. ad *tit.* ***4*** *lib.* ***I*** *Decretalium.*

Hisce praemonitis, proposita fuerunt diluenda ab Episcopo concinnata

Dubia

I. *An iuxta Constitutionem Benedicti XIV* Impositi ***27*** *Februarii* ***1746,*** *Episcopus extraneus possit, extra tempora, a canonibus statuta, regularem praedicto privilegio carentem ordinare in casu.*

Et quatenus affirmative.

II. *An sufficiet attestatio Ordinarii dioecesani ut in casu; vel requiratur attestatio, qua • declaratur, Episcopum loci, quo regularis degit, non tenere ordinationem temporibus statutis.*

Et quatenus negative ad primum,

III. *An consuetudo contraria ab illa constitutione Benedictina derogare possit in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. C. re ponderata sub die 18 Augusti 1888 censuit respondere : Ad I. *Affirmative.* Ad II. *Requiri attestationem, Episcopum proximo legitimo tempore non habiturum ordinationem.* Ad III. *Negative.*

Ex QUIBUS COLLIGES: I. Regularem, privilegio destitutum, quo valeat promoveri ad sacros ordines per quemlibet catholicum Episcopum, sed provisum alio privilegio recipiendi sacros ordines extra tempora, communi Ecclesiae lege constituta, posse, ordinari ab Episcopo extraneo.

II. Requiri tamen ad hoc, ut Episcopus proprius, seu Episcopus in cuius Dioecesi reperitur religiosa familia, ad quam pertinet regularis, testetur se proximo legitimo tempore non habiturum ordinationem.

III. Qua de re non sufficeret ad id ut Episcopus proprius testaretur generaliter sese non tenere sacram ordinationem extra tempora statuta.

IV. Contrariam consuetudinem omnino non admitti, sed haberi ceu corruptelae, quae disciplinae ecclesiasticae nervum disrumperet.

VENTIMILIEN.

TRANSLATIONIS CAPELLANIAE ET ONERUM

Die 18 Augusti 1888.

Per Summaria precum.

COMPENDIUXM FACTI. Sacerdos Franciscus et Rochus Rossi, ille rector, hic patronus cappellaniae s. Rosae loci ***Triora*** Dioecesis ventimilien. suplici dato libello S. Sedi, haec retulerunt: nuperrimi terremotus causa, parvam cappellani s. Rosae, in qua litandae sunt quamplurimae ex Missis praedictae Cappellaniae, gravem subiisse damnum, ita ut reputetur non apta divinis officiis; gravesque exposcere impensas ut in pristinum restitueretur, quod oratores peragere nequeunt. Dictam cappellani variis subiectam esse servitutibus usque ab antiquo, ex proprietariis domorum a quibus circumdato, quaeque evitari nequeunt; Cappellanum dictae Cappellae gravari, praeter Missas, oneribus pecuniariis tum manutentionis, tum eleemosynae respondendae quotannis pauperibus plurium locorum, Missas omnes celebratas, onera manutentionis et eleemosynarum impleta fuisse usque ad annum 1882.

Qua de re oratores exorant absolutionem quoad quamlibet omissionem temporis acti facultatem alienandi dictam cappellani pro usu domestico; celebrandi Missas in Ecclesia paroeciali ceu factum est a pluribus annis, consensu Ordinarii; convertendi pauperum distributiones, pecuniam fabricae et fructus pecuniae ex alienatione cappellae, ad redintegrandum reditum cappellaniae, imminutum per pretium redemptionis solutum Demanio

In calce supplicis libelli Ordinarius hoc testimonium adiunxit precibus apprime favorabile; « quum Nobis constet de veritate precum, et praesertim de gravi aediculae, de qua in precibus, damniñcatione ex terraemotu, ac de dispendio pro restauratione, necnon de modica utilitate, nedum inutilitatem dicamus annuae in pauperes distributionis; quumque conveniens videatur sive piae causae redintegratio, sive missarum celebratio in ecclesia parochiali, piorum oratorum preces Apostolicae benignitati commendamus pro gratia, si ita suprema Sedes iudicaverit. »

Disceptatio Synoptica

Relate ad primum precum punctum nempe ad absolutionem de praeterito, haec evidenter respicit 1. eleemosynarum distributionem, quae ab anno 1882 suspensa est, et 2. contributionem pro fabrica, quae pariter ab anno 1881 intermissa est, licet cappella nonnisi Februario mense anni 1887 terrae motu collabefieret. Relate vero ad translationem celebrationis missarum quam Ordinarius peregit, latet an ex S. Sedis indulto id cont gerit, an potius solo Episcopi nutu, Si hoc alterum verificetur, iam redit quaestio, utrum Episcopus id facere potuerit, quod quidem plures negant, sed alii, data quidem iusta causa et cum consensu patroni vel haeredis, admittunt. Hos inter coanumeratur Ferraris ***v. Legatum 147,*** De Luca ***ad conc. Tnd. discep. 21,*** D'Annibale ***tom. 2 § 379.***

Relate vero ad translationem cappellaniae ab aedicula, quae nunc fatiscit et non potest instaurari, ad aliam ecclesiam, ad rem facit dispositio ***sess. 22 cap. 7 De reform:*** ubi Tridentinum conservationem et restaurationem ecclesiarum summopere commendat « ne ea quae sacris ministeriis dicata sunt temporum iniuria obsohscaat, et ex hominum memoria excidant. » Ad cuius praecepti tramites S. C. C. saepe de-mo litioni ecclesiarum obstitit uti in ***Ravennaten. 29 Iulii 1774,*** et in ***Aesina DemoHtioais 2 ? • Augusti 1780.***

At praedicta Tridentini decreti verba non undequaque

absolutum praeceptum continere videntur; siquidem iidem Tridentini Patres post commendatam Episcopis ecclesiarum restaurationem, quatenus ea expleri nequeat, haec mandant: « quod si nimia egestate omnes patroni, parochiani etc. laborent, ecclesiae et beneficia ad matrices seu viciniores ecclesias transferantur, cum facultate, tam d'ctas parochiales, quam alias ecclesias dirutas in profanos usus, non sordidos, erecta tamen ibi cruce, convertendi. » Unde S. C. C. non semel indultum demolitionis ecclesiarum aut conversionis ad prophanos usus sanxit, hac illave iusta causa existente, maxime si favorabile Episcopi votum accesserit, ceu videre est in *Terracuten.* ***14*** *Aprilis* ***1764,*** ac recentius, aliis omissis, in *Bituntina aediculae* ***22*** *Decembris* ***1866.*** Ex quibus insuper eruitur non unicam ruinae aedium et impossibilitatis restaurationis causam legitimam reddere demolitionem; sed et periculum irreverentiae et profanationis, necessitas publicae sternendae viae, aliaque similia titulum sufficientem ad hoc praebere.

Demum quoad postremum punctum, quo postulatur, ut suspensa interim eleemosynarum distributione, eoque proventu cumulato cum alio fabricae et utensilibus assignato, restituatur sors redemptionis per tributum, *svincolo,* imminuta, remissum fuit prudentiae EE. PP. Animadversum quoque fuit quod si redintegranda sit sors, potius quam missarum celebrationem imminuere, utilius forte videri posset intercipere eleemosynas, quae « modicae utilitatis » imo propemodum inutiles ab Ordinario appellantur.

Quibus praemissis, quaesitum est quid esset precibus respondendum :

RESOLUTIO: Sacra C. Concilii, re cognita, sub die 18 Augusti 1888 censuit respondere: *Pro gratia absolutionis quoad praeteritum et translationis Cappellaniae cum iuribus et oneribus suis ad Ecclesiam parochialem, cum facultate alienandi c n ¡¡pella m- dirutam, et invertendipretium in augmentum dotis.*

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM

Feria VI die 14 Decembris **1888.**

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 14 Decembris 1888 damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera :

Trattato di diritto internazionale di Augusto Pierantoni, professore ordinario delia R. Università di Roma. Vol. I. Prolegomeni. Storia dell' antichità al 1400. Roma , Forzaui e C. , tipografi del Senato, 1881.

Juan Montalvo. El Espectador. Tomo tercero, 15 de Marzo de 1888. Paris , libreria Franco-Hispano-Americana. J. Y. Ferrer, 1888.

La question sociale — Et les Partis politiques — Solutions scientifiques — Collectivisme et Progressisme , par Er. Horion, docteur *en* **sciences, medicine, chirurgie etc. , docteur special en sciences chirurgicales. —** *Decr. S. Off. Fer. IV die 12 Septembris 1888.*

L'Abbé Roca, chanoine honoraire, ancien élève de l'Ecole des hautes études des Carmes. — Le Christ, le Pape et la Démocratie. Paris, Garnier Frères éditeurs, 1884. *Decr. S. Off. Fer. IV die 19 Septembris 1888.*

— La crise fatale et la salut de l'Europe. — Etude critique sur les missions de Saint-Ives, Paris, etc. 1885. *Eod. Decr.*

— La fin de l'ancien monde, les nouveaux cieux et la nouvelle terre. Paris, Jule Levy libraire éditeur, 1886. *Eod. Decr.*

Datum Romae die 17 Decembris 1888.

PLACIDUS MARIA Card. SCHIAFFINO Praef.

Fr. HIERONYMUS Pius SACCHERI Ord. Praed.
S. Ind. Congreg, a Secretis.

APPENDIX I.

In qua plura referuntur Decreta S. Rituum Congregationis.

TEMPLEN.

Magister sacrarum Caeremoniarum et Director Kalendarii pro officio persolvendo sacroque celebrando in Cathedrali Ecclesia Templen, insequentium Dubiorum resolutionem a Sacra Rituum Congregatione humillime exquisivit, nimirum:

DUBIUM I. Quum in insula Sardiniae die XV Ianuarii perpetuo concurrat Festum Sancti Mauri Abbatis ritus simplicis cum Festo Sancti Efisii Martyris, quod in tota insula sub ritu duplicis primae classis celebratur, quaeritur utrum Festum Sancti Mauri Abbatis ad aliam diem transferendum sit?

DUBIUM II. An die XIII Novembris recoli debeat in Sardinia Festum nationale Sancti Antiochi Martyris ritus duplicis minoris, translato Festo Sancti Stanislai Kostkae Confessoris eiusdem ritus; vel potius servandum sit Decretum diei 3 Februarii 1847, quo statutum fuit in italia atque insulis adiacentibus die illa celebrandum esse Officium eiusdem Sancti Stanislai, translato quocumque alio Festo aequalis ritus?

DUBIUM Iii. An liceat initiandis, repugnante quidem consuetudine, sed Episcopo consentiente, in Missis solemnibus sedere, dum canitur ***Gloria*** et ***Credo*** sive Celebrans et Ministri stent, sive et ipsi sedeant, prouti fit in maioribus solemnitatibus?

Dubium IV. An liceat initiandis, ex consensu Episcopi, haud suffragante capitulari statuto et contra voluntatem Capitularium, tempore divinorum Officiorum sedere in Choro subselliis una cum Beneficiariis et Mansionariis, et simul cum ipsis divinas laudes recintare vel canere?

Dubium V. An licite possint Canonici diebus festivis thus et pacem suscipere, capite pileolo obtecto?

Dubium VI. An fas sit Canonicis et Mansionariis adsistere Missae solemni in Choro, qui est post altare maius, capite pileolo obtecto?

Dubium VII. An Episcopis liceat in Dominicis Adventus et Quadragesimae, exceptis tantum illis ***Gaudete*** et ***Laetare,*** occurrente quoque Festo Immaculatae Conceptionis Deiparae, si fiat Officium de Dominica, uti Mitra pretiosa?

Dubium Vili. An tempore Passionis debeant cooperire omnes prorsus sacrae imagines sive pictae sive sculptae atque etiam illae, quas populus singulari veneratione prosequitur?

Dubium IX. An Canonico celebranti in Vesperis solemnibus liceat Amictum et stolam sub Pluviali deferre?

Dubium X. in Expositione in forma Quadraginta Horarum an permittatur singulis diebus sero antequam Sanctissimum Sacramentum reponatur, benedictionem populo cum eodem impertiri?

Dubium Xl. An liceat in una eademque die atque in eadem Ecclesia pluries cum Sanctissimo Sacramento benedici populo?

Dubium XII. An Canonici et Beneficiarii Ecclesiae Cathedralis, qui maxima diei parte tempore Expositionis Quadraginta Horarum Choro interesse tenentur, tum pro divino Officio persolvendo, tum Missae et Vesperis solemnibus adstando, cogi possint ab Episcopo ut orent ante Sanctissimum Sacramentum, praesertim cum, alii praesto sint Sacerdotes liberi, qui eiusmodi orationi vacare queant tempore divini Officii, aut saltem hoc deceat?

Dubium Xlii. An liceat deferre Viaticum absque ulla pompa, ac privata propemodum ratione, quoties ministrandum sit infirmis ab Ecclesia Parochiali valde procul commorantibus, et necesse sit transire per loca invia, dissita et inaccessa?

Dubium XIV. An licite possint Mansionarii, Clerici et Initiandi adsistere sacris Functionibus induti Rochetto vel Superpelliceo formam Rochetti praeseferant!?

Sacra vero eadem Congregatio exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem subscripti Secretarii propositis Dubiis accurate perpensis sic rescribere rata est:

Ad I. Negative.

Ad II. Quoad primam partem Negative; et quoad secundam, detur Decretum diei 3 Februarii 1847.

Ad III. Serventur rubricae Caeremonialis Episcoporum.

Ad IV. Sedeant in subselliis distinctis.

Ad V. Negative, iuxta decreta, praesertim in una Fanen. diei **dd** Novembris 1665.

Ad Vi. Affirmative, exceptis tamen iis Missae partibus, in quibus iuxta decreta et probatos auctores pileoli usus etiam in casu vetitus est,

Ad VII. Negative.

Ad Vili. Orator consulat probatos auctores.

Ad iX. Negative.

Ad X. Affirmative.

Ad XI. Affirmative de licentia Episcopi.

Ad XII. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad XIII. Affirmative, ac serventur praescriptiones Ritualis Ro-

mani, et detur Decretum in una Bisinianen. Diei 23 Maii 1846.

Ad XIV. Negative, et serventur Decreta.

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 12 Ianuarii 1878.

CARCASSONEN.

Sacra Rituum Congregatio in una *Aquen.* diei 2 Septembris 1741 ad VIII proposito Dubio his terminis « Debetne fieri in tota Dioecesi officium, cum octava Titularis Cathedralis aut Patroni ? » respondit Affirmative. Hinc hodiernus Kalendarista Dioeceseos Carcassonensis eidem Sacrae Congregationi sequentium Dubiorum resolutionem humillime quaesivit:

Dubium I. An usus usque ad hanc horam contrarius tolli debeat ?

Dubium II. Utrum in Kalendario Cleri Saecularis Civitatis et Dioecesis Carcassonensis haec legendi formula « *Dedicatio Sancti Michaelis Archangeli Patroni Ecclesiae Cathedralis Dupl. 1. cl. cum octava per totam Dioecesim* » imprimi possit?

Sacra itaque Rituum Congregatio ad relationem subscripti Secretarii ad utrumque Dubium rescribere censuit: Affirmative.

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 30 ianuarii 1878.

MARIANOPOLITANA.

Rmus Dnus Carolus Eduardus Fabre Episcopus Marianopolitanus in Regione Canadensi a Sacra Rituum Congregatione sequentium Dubiorum resolutionem postulavit, nimirum:

Dubium I. Utrum a Clero Collecta pro Episcopo dicenda sit et die consecrationis et die electionis eiusdem Episcopi?

Dubium II. Utrum Episcopus electus dici possit ea die, qua expeditae fuerunt Litterae in forma Brevis, quibus antecessor fuit translatus, an potius ea die, qua ipse Coadiutor fuit nominatus in Consistorio.

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, audito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, his Dubiis sic rescribere censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Diem electionis in casu et ad effectum Collectae ab universo Clero Marianopolitano faciendae, esse diem, qua datae sunt Litterae Aoostolicae in forma Brevis pro Coadiutoria cum futura successione.

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 30 Ianuarii 1878.

LINGONEN.

Rmus Dnus Guillelmus Bouange Episcopus Lingonensis pro Dioecesi sibi commissa humillime postulavit:

Ut in Choro solemniter cantari valeant secundae Vesperae festorum, quorum solemnitas ad Domi-

nicam proximam insequentem transferenda sit.

Sacra vero Rituum Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribere censuit: Nihil obstare, dummodo non omittantur Vesperae Officii currentis ubi adest obligatio. Die 30 Ianuarii **1878.**

IACEN.

Rmus Dnus Gerlandus Genuardi Episcopus Iacensis anceps haerens an nonnullae consuetudines, quas invenit in Dioecesi sibi commissa, tolerari possent, Sacram R. Congregationem pro opportuna declaratione supplex rogavit. Haec itaque per Decretum diei **28** Iulii **1876** praepositis in re ab Episcopo postulatis rite satisfecit. Quoniam vero Parochi seu Archipresbyteri Locorum vulgo nuncupatorum ***Giarre, Piedimonte, Etneo,*** et ***Riposto,*** praedicto Decreto non acquieverunt, ad eamdem S. Congregationem pro illius revocatione recursum adhibuere. Quare allatis rationibus pro tuendis enunciatis consuetudinibus, sequentia dubia definienda proposuerunt, nimirum:

Dubium I. An Parochi seu Archipresbyteri Iacensis Dioeceseos ex Messanensi Dioecesi avulsi in ecclesiasticis functionibus mantelletto violaceo atque annulo gemmis ornato uti possint; et utrum ipsi in Missa solemni adhibere valeant quatuor Ministros Dalmatica vel Tunicella indutos?

Dubium II. An in eadem Dioecesi tolerari queat ut passim a quocumque fere Sacerdote solemniter celebrante presbyter assistens cum pluviali adhibeatur?

Dubium III. An tolerari possit consuetudo quod populus et Clerus dum SSmum Sacramentum expositum manet, sedeant?

Sacra porro eadem Congregatio ad relationem subscripti secretarii hisce dubiis maturo examine perpensis, sic rescribere rata est:

Ad I. Negative ad primam partem; dilata, et audiatur Magister Caeremoniarum quoad secundam.

Ad II. In decisis.

Ad III. In decisis, et quoad Clerum in ecclesiasticis functionibus servetur Caeremoniale Episcoporum.

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. Die 30 Ianuarii **1878.**

SAGI EN.

Rmus Dnus Carolus Fridericus Rousselet Episcopus Sagiensis Sacrae Rituum Congregationi exposuit, in Urbe Sagiensi extare Ecclesiam seu Cappellani publicam minori Seminario adnexam ac sub titulo Beatae Mariae Virginis Immaculatae die VII Maii anni **1872** consecratam. In hac autem Ecclesia, cui inserviunt Sacerdotes minori Seminario addicti, quotidie

plures Missae (privatae quidem) celebrantur, et singulis Dominicis oantantur Missa et Vesperae, excepto tamen tempore feriarum scholarum, mensibus Augusto et Septembri, per quod tempus saltem una quotidie Missa privata celebratur tum in Dominicis tum in aliis diebus. Hinc ab eadem S. G. humiliter exquisivit «utrum festum Immaculatae Conceptionis die VIII Decembris possit et debeat celebrari a Clero dicti Seminarii ut Festum Titularis, idest sub ritu duplici primae Classis cum Octava ct aliis privilegiis ? »

Sacra porro eadem Congregatio audito altero ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem subscripti Secretarii, in casu decernere rata est, Affirmative.

Atque ita decrevit die 30 Martii 1878,

GADITAN.

Ferdinandus Fernandez y Coin Rector Ecclesiae Parochialis S. Antonii Gaditanae Dioecesis in Hispama* Gaspar Rocafull Praefectus, et Ioseph Maria de Falla Secretarius Confraternitatis B. M. V. de Monte Carmelo canonice erectae, a S, R. C. sequentium Dubiorum solutionem humillime exquisierunt, nimirum'.

Dubium L An privilegium in Bulla Clementis VII. Anno 1530 data (quae incipit ***Ex clementis Sedis Apostolicae)*** eiusdem Gonfraternitatis sodalibus concessum celebrandi scilicet sacrosanctum Missae Sacrificium privatis in aedibus vel per se, vel per alios, adhuc vigeat, vel aliquando viguerit*, aut extet eiusdem privilegii Apostolica revocatio aut reformatio?

Dubium II. An saltem praedicti sodales possint, vi eiusdem privilegii aut Bullae Sanctae Cruciatae, praecepto Missam audiendi satisfacere, illis in aedibus, quae ex peculiari Sanctae Sedis concessione hoc privilegio gaudent?

Sacra porro eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, propositis Dubiis, rite perpensis, rescribendum censuit: Obstant Decreta.

Atque ita rescripsit die 30 Martii 1878.

SANCTI CLAUDII.

Hodiernus sacris caeremoniis in Cathedrali Ecclesia Sancti Claudii Praefectus Sacrae Rituum Congregationi quae sequuntur exposuit: < Iuxta ordinem Dioeceseos Sancti Claudii, solemnitas eiusdem Sancti Patroni Civitatis Episcopalis et totius Dioeceseos, cuius festum die VI Iunii agitur, in gratiam Fidelium ad Dominicam proxime sequentem transfertur, et in singulis Paroeciis reipsa habetur. Omni* tamen locus in hac Dioecesi suum proprium habet Patronum, cuius solemnitas pariter in Dominicam sequentem a die incidentiae, ***ti***

Indulti Apostolici die 9 Aprilis 1802 in universo Galliarum Reipublicae territorio concesso, transfertur. Porro ex pluribus Sacrae Rituum Congregationis responsis solemnitas Patroni Dioecesis videtur non esse habenda, cum festum talis Patroni recolendi nulla Fidelibus incumbat obligatio. At vero mos receptus in pluribus eiusdem regionis dioecesibus aliter obtinet.» Hinc Orator haec duo Dubia eidem Sacrae Congregationi pro opportuna resolutione humillime proposuit, nimirum:

Dubium I. Utrum in locis ubi proprii- Patroni solemnitas agitur, etiam Patroni dioeceseos solemnitas in Dominica sequenti debeat haberi ?

Dubium II. Et quatenus negative, an talis usus ad arbitrium Episcopi retineri valeat?

Sacra vero Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, hisce Dubiis rite perpensis rescribere rata est:

Ad I. et II. Negative ad tramites Decretorum, praesertim in una Marsorum diei 12 Novembris 1831 ad 41.

Atque ita rescripsit die 30 Martii 1878.

ALMERIEN.

Hodiernus sacrorum caeremoniarum Magister Ecclesiae Cathedralis Almeriensis Sacrorum Rituum Congregationi exposuit ex antiqua praedictae Ecclesiae consuetudine, quae etiam in nonnullis aliis Hispaniae viget Cathedralibus Matutini lectiones cantaturis non designari a Beneficiato primo caeremoniarum magistro, sed ab alio deputato Chori magistro, hinc humillime exquisivit utrum recensita consuetudo servanda nec ne sit?

Et Sacra Rituum Congr. audita relatione subscripti Secretarii, respondendum censuit: Consuetudinem praedictam servari, posse.

Atque rescripsit. Die 30 Martii 1878.

ALBAE REGALEN.

Rmus Dnus Ioannes Pauer Episcopus Olympius et Vicarius Capitularis Albae Regalen., sede illa vacante, quae sequuntur Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna declaratione humillime proposuit, videlicet: Sacra Rituum Congregatio die 19 Iunii 1700 in una Curien, ad quaestionem: utrum in Ecclesiis parochialibus ruralibus in, quibus per annum plerumque unus tantum sacerdos celebrat et sine cantu, possit dici Missa de Requie quando anniversarium ex te&tatorum dispositione eorum recurrente obitus die, vel quando dies tertius, septimus vel trigesimus incidunt in festum duplex minus? respondit : *Quoad Missas et anniversarium recurrente obitus die, affirmative; in reliquis negative,*

et servetur Decretum generale editum sub die 5 Augusti 1662. Quoniam vero dubium exortum sit, an sub Ecclesiis parochialibus ruralibus intelligi debeant solummodo Ecclesiae parochiales rurales matrices, vel etiam quaelibet aliae Ecclesiae filiales et Cappellae intra ambitum Parochialium ruralium existentes, in quibus plerumque per annum unus tantum sacerdos, interdum a Parocho diversus, celebrat, et sine cantu et in quibus anniversaria ex testatorum dispositione relicta habentur; idcirco Rmus idem Orator humiliter exquisivit : An licentia per supra citatum Decretum iuxta quam, scilicet, quando anniversaria ex testatorum dispositione relicta, eorum recurrente obitus die incidunt in festum duplex minus, potest dici Missa de Requie, etiam ad praefatas Ecclesias filiales et Cappellas intra ambitum Ecclesiarum ruralium existentes extendi possit?

Sacra porro eadem Congregatio, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem subscripti Secretarii, declarare censuit: Affirmative, quatenus anniversaria a fundatoribus instituta sint in Ecclesiis de quibus in casu.

Atque ita declaravit. Die 30 Martii 1878.

PANORMITANA.

Rmus Dnus Michael Angelus Celesia Archiepiscopus Panormitanus sequentia Dubia Sacrae Rituum Congregationi resolvenda subiecit; nimirum:

Dubium I. An in Ecclesia Monialium in quarum coenobio, pro lege suppressionis degit etiam aliqua Communitas alterius ordinis, in occurrentia festis Fundatoris Communitatis hospitatae, Officium et omnes Missae recitari vel celebrari valeant, aut debeant cum ritu duplici primae classis cum octava?

Dubium II. Utrum in casu affirmativo, impedita propria die, hospites claustrales sui Fundatoris solemnitatem ad diem octavam transferre possint, vel celebrare in Ecclesia Coenobii, ubi diversantur, etiamsi claustrales Coenobii, sint diversi ordinis et alterum festum celebrent, et etiamsi in Dioecesi alterius Sancti dies festus agatur?

Sacra vero eadem Congregatio audito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem subscripti Secretarii rescribendum censuit:

Ad I. Negative, nisi adsit privilegium.

Ad II. Affirmative quoad translationem iuxta Rubricas.

Atque ita rescripsit, et servari mandavit. Die 30 Martii 1878.

NETEN.

Ad controversiam definiendam inter Capitulum Ecclesiae Matricis Sancti Georgii Martyris et Capitu-

lum Sancti Petri in Civitate Mothucae Dioeceseos Netensis quoad praecipuum Civitatis ipsius Patronum, utrum scilicet Patroni praecipui honor tribuendus sit Sancto Cataldo Episcopo vel potius Sancto Georgio Martyri prouti a sa: me: Pio Papa IX per decretum Sacrae Rituum Congregationis diei 30 Aprilis 1874 constitutum fuerat, cuius vero Decreti executio suspensa remansit per aliud eiusdem Sacrae Congregationis provisionale Decretum diei 19 iunii 1877, facta interim potestate partibus contendentibus sua iura rite proferendi; Emus et Rmus Dnus Cardinalis Miecislaus Ledochovski huius Causae Relator in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, sequentia Dubia discutienda proposuit:

Dubium I. An iniret arbitrium aperitionis oris adversus decretum diei 30 Aprilis 1874?

Dubium II, Et quatenus affirmative, an Sanctus Georgius Martyr, vel Sanctus Gataldus Episcopus sit Patronus Praecipuus Civitatis Mothucae: ideoque Decretum supradictum diei 30 Aprilis 1874 sit nec ne exequendum in casu?

Emi porro et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi utraque parte voce et scripto informante audita, -visisque iuribus hinc inde deductis, iisque maturo examine perpensis, rescribendum censuerunt:

Ad I. Providebitur in secundo.

Ad II. Ad primam partem Affirmative, ad secundam, Negative; ideoque supradictum decretum esse exequendum et amplius. Die 17 Aprilis 1878.

Facta deinde ab infrascripto Secretario de hisce omnibus Ssmo Dno Nostro Leoni XIII fideli relatione, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Congregationis Rituum ratum habuit et confirmavit. Die 2 Maii eiusdem anni.

SOCIETATIS IESU.

R. P. Vincentius Licalzi Sacerdos Societatis Iesua suis Superioribus deputatus ad componendum Directorium Divini Officii pro duabus provinciis Lugdunensi ac Tolosana eiusdem Societatis a Sacra Rituum Congregatione subsequentium Dubiorum solutionem humillime exquisivit, nimirum;

Dubium I. Quid sentiendum de usu in dies semper invalescente celebrandi Missas coram SSmo Sacramento publice exposito in Ecclesiis, in quibus non desunt alia altaria, item et distribuendi s. Comunionem in iisdem Missis, et extra Missas in eodem altari?

Dubium II. Et quatenus tolerari possit talis usus, an possit agitari campanula decursu Missarum quae leguntur in eodem altari, saltem diebus Dominicis ratione populi pro ea Missa congregati?

Dubium III. Cum adest Sanr clissiinum Sacramentum expositum iiçetne adhibere pro Missis Ministrum laicum absque veste talari et superpelliceo, saltem ubi deest copia Ministrorum qui clerici sint; item aa regula a Clementina Instructione praescripta, qua vetatur ne quis altare expositionis circumeat, quin superpelliceo indutus, obliget pro qualibet expositione?

Dubium IV. Item an liceat perdurante expositione i°, celebrare Missas votivas de Virgine in aliis altaribus; 2°. relinquere in altari expositionis Reliquias aut Imagines Sanctorum, quae ibidem inter candelabra vel iuxta murum ad orr namentum adessent; 3.° superimponere vel saltem affigere tabernaculo candelabra, quae pro ipsa expositione inserviunt; 4.° accendere lumina coram imaginibus Domini No'stri, sive in eodem sive in alio altari; 5.° nuncupare vota religiosa vel solemnes consecrationes?

Dubium V. An liceat pluries in eadem Ecclesia et die impertiri benedictionem cum SSmo. Sacramento occasione piarum Congregationum vel ad devotionem; item an liceat interrumpere expositionem SSmi Sacramenti pro danda benedictione ob causas indictas?

Dubium VI. Cum permittitur ab Ordinario ut detur benedictio SSmi Sacramenti occasione alicuius concionis habendae, potestne ob maiorem utilitatem concioni praemitti benedictio?

Dubium VII. Haud raro ratione maioris solemnitatis solet fieri expositio SSmi*Sacramenti in diebus festivis, quandoque etiam decursu unius vel alterius Missae, an possit talis usus tolerari?

Dubium VIII. Invaluit usus apud Moniales ut clavis tabernaculi non penes Cappellanum, sed inter septa monasterii asservetur etiam cum domus Cappellani finitima est monasterio, an servari possit talis usus ?

Dubium IX. Valetne sustineri usus, aliquarum Ecclesiarum, in quibus ratione concursus ingentis populi, cum non sufficiat multitudini pro S. Communione quantitas hostiarum, iam celebrata nova Missa statim a consecratione reassumitur distributio Communionis?

Dubium X. In quibusdam valetudinariis adest legitime erectum sacellum an Sacerdos ibi litans possit intra Missam Communionem distribuere aegrotis, qui adsunt in cubiculis circa ipsum Sacellum ?

Dubium XI. I° An teneantur Sacerdotes inquirere an Missale, quo utuntur, sit ab Episcopo approbatum vel hoc pertineat ad Rectorem Ecclesiae, et quatenus affirmative ad secundum an possint. 2° Item plerumque accidit ut Sacerdotes affluentes ad Ecclesias Monialium inveniant Missas, proprias eiusdem Monialibus concessas quin sit determinatum an illi uti possint Sacerdotes utriusque cleri: an tunc omnes possint indiscrimi-

natim eas legere si sint de Sanctis; 3° An si de Beatis?

Dubium-XII. Quaeritur: An usus Conopaei super Tabernaculo nunc censeatur obligatorius, et an pretiosa ornamenta ipsius Tabernaculi dispensent ?

Dubium XIII. An pars posterior alicuius altaris praesertim si illud esset altare maius possit adhiberi ad modum armarioli ?

Dubium XIV. An in Processione Corporis Christi liceat adhibere plus quam duos Thuriferarios ; et an tolerandum quod ea die pueri cotta induti circumeant altare spargendo flores et thus offerendo etiam tempore Benedictionis?

Dubium XV. An pro hac Processione tolerari possit, I° usus erigendi plura altaria per vias et adiungendi ***Alleluia*** ad ***f. Panem de coelo praestitisti eis*** tempore Processionis, quae fit in Gallus Dominica post Octavam Corporis Christi; 2° item usus adhibendi eadem occasione instrumento vulgo ***Tambur r o*** etiam intra Ecclesiam ?

Dubium XVI. An occasione primae Communionis puerorum vel ob devotionem erga Sanctum loseph in mense Martio possint altaria ornari floribus, et pulsari organa etiam tempore Quadragesimae; an idem negative dicendum, si effigies Sancti Ioseph sit extra altare exposita; et in hoc ultimo casu an possit relinqui discooperta tempore Passionis ?

Dubium XVII. An possit praescribi contra aliquas Rubricas particulares ex. gr. contra usum intorticii adhibendi in Missis a Consecratione ad Communionem ?

Dubium XVIII. An possit pars anterior Corporalis in Missa explicari tantum ante Offertorium, an potius sensus Rubricae talis sit ut obliget ad illud explicandum ab initio Missae ?

Dubium XIX. An tolerari possit usus cereorum fictorum ex metallo in quibus machina quadam introducitur cereus ?

Dubium XX. An Minister Missae privatae possit quaerere varias partes Missae saltem Communionem in Missali pro commoditate Sacerdotis ?

Dubium XXI. In multis Ecclesiis in die Nativitatis Domini, incipitur Missa ita ut iam Sacerdos sit in puncto Consecrationis pulsante media nocte, an hoc sit legitimum ?

Dubium XXII. An in collatione sacrorum Ordinum cum Sacerdotes imponunt manus ordinandis presbyteris et cum omnes fcircum Episcopum stant elevata manu, an omnes debeant habere necessario stolam ?

Dubium XXIII. In quibusdam regionibus mos est, ut tempore Quadragesimae suspendatur ingens velum caeruleuni, repraesentans Christi passionem, ante ingressum presbyterii in Ecclesiis, quod aufertur in Sabbatho sancto; an talis usus possit tolerari in casu quo

non modo scenico illud auferretur ad cantum ***Gloria in excelsis,*** sed cum Ministri parant altare post cantum Litaniarum Sanctorum?

Dubium XXIV. An teneatur ad repetendam recitationem Officii; qui ex errore recitaverit partem Officii vel etiam integrum officium approbatum tantum pro aliqua Ecclesia particulari ?

Dubium XXV. An possint omittirationemusici concentus quaedam verba orationum ex. gr. ***Ave Maria,*** ita ut in cantu harum Orationum supprimantur aliquae praerogativae Beatae Mariae Virginis ex. gr. ***Mater Dei?***

Dubium XXVI. An conclusio adhibenda pro Oratione Sancti Ignatii de Loyola sit ***per Dominum*** vel ***qui vivis*** etc.

Sacra porro eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, hisce Dubiis mature diligenterque perpensis, respondendum censuit:

Ad I. Ad primam partem, non licere sine necessitate, vel gravi causa, vel ex speciali indulto: ad secundam partem; Negative.

Ad II. Consulat Decretum in una Mechlinien, 12 Septembris 1874 Ad XII.

Ad III. Ad primam partem: consulat probatos auctores; ad secundam partem: detur Decretum in Patavina 12 Iulii 1739.

Ad IV. Ad primam partem: detur Decretum in Varsavien. 7 Maii 1746 ad IX; ad secundam partem: detur Decretum in Aquen. 2 Septembris 1741 ad V; ad tertiam partem: consulat probatos auctores; ad quartam partem: ad primum, Negative, ad secundum Affirmative; ad quintam partem: Affirmative , dummodo amoveatur quaecumque irreverentia.

Ad V. Ad primam et secundam partem: iuxta prudens Ordinarii arbitrium, evitata tamen nimia frequentia, et dummodo non agatur de expositione Quadraginta horarum.

Ad VI. Affirmative iuxta Ordinarii concessionem, et iusta de causa.

Ad VII. Iuxta prudens Ordinarii arbitrium, servatis rubricis in huiusmodi expositionibus praescriptis; quoad vero Missas, provisum in responsione ad Dubium I.

Ad VIII. Negative.

Ad IX. Abusum esse interdicendum.

Ad X. Detur Decretum in Florentina 19 Decembris 1829 ad I.

Ad XI. Ad primam partem: consulat probatos auctores; ad secundam et tertiam partem : Negative, nisi constet de privilegio.

Ad XII. Detur Decretum in Briocen. 21 Iulii 1855 ad Xii.

Ad XIII. Doceat de altaris forma.

Ad XIV. Negative in omnibus.

Ad XV. Ad primam partem ; detur Decretum in Volaterrana 23 Septembris 1820, et addendum :

y. *Alleluia;* ad secundam partem Affirmative, sed tantum per viam.

Ad XVI. Ad primam partem: Affirmative; ad secundam partem: provisum in prima; ad tertiam partem : consulat probatos auctores.

Ad XVII. Consulat Decretum Urbani P*pa@ VIII. appositum in Missali: et quoad exemplum peculiare consulat probatos auctores.

Ad XVIII. Serventur in casu Rubricae.

Ad XIX. Tolerari posse.

Ad XX. Negative, et serventur Rubricae.

Ad XXI. Serventur Rubricae, et contrarios abusus esse tollendos.

Ad XXII. Consulat Pontificale Romanum de Ordinatione Presbyteri.

Ad XXIII. Attenta consuetudine tolerari posse.

Ad XXIV. Consulat probatos auctores.

Ad XXV. Negative.

Ad XXVI. Conclusionem dicendam esse. *Per Dominum Nostrum Iesum Christum.*

Atque ita respondit ac rescrh psit die 11 Maii 1878.

GANDA VEN.

DD. Architecti Gandavenses de Bethune et Verhaegen quum operam suam impendant in aedificatione Ecclesiarum, Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna declaratione humillime exhibuerunt, nimirum:

Dubium T. An tabernaculum in quo asservatur SSmum Sacramentum debeat in altari maiori Ecclesiae necessario collocari?

Dubium II. Et quatenus negative, quaenam regulae prae oculis habendae sint in constructione altaris pro asservando SSmo. Sacramento?

Dubium III. Si in altari maiori adest expositio perpetua SSmi Sacramenti veluti fit in Ecclesiis Sanctimonialium Adoratricum, requiriturne ut in alio altari laterali ponatur tabernaculum in quo extet SSma Eucharistia pro Comunione fidelibus distribuenda?

Et Sacra eadem Congregatio referente subscripto Secretario, hisce Dubiis rescribere censuit:

Ad I. Negative.

Ad II Regulae in casu servandae, prudenti arbitrio Ordinarii determinentur.

Ad III. Affirmative.

Atque ita rescripsit. Die 18 Maii 1878.

VERAE CRUCIS.

Rmus Dnus ioseph Maria Mora Episcopus Verae Crucis a Sacra Rituum Congregatione sequentis Dubii declarationem humillime postulavit, nimirum: Utrum omnia festa Patronorum Nationis et Civitatis in proximam Dominicam transferri possint, aut sua die debeant celebrari. Ratio Dubii est quia extant duo Decreta ipsius S. R. C

quorum alterum diei 17 Iulii 1830 in una Rhedonen. videtur favere translationi, alterum diei 12 Novembris 1831 in Rhedonen. et Cenomanen. praecipiens memorata festa sua die celebrari, externam tantum solemnitatem in Dominicam proxime sequentem transferendo.

Sacra porro Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, declarare censuit: Standum Decreto diei 12 Novembris 1831.

Atque ita declaravit. Die 18 Maii 1878.

ANICIEN.

Rmus Dnus Petrus Marcus Le Breton Episcopus Aniciensis in Gallus a S. R. C. sequentis Dubii declarationem humillime exquisivit, nimirum:

Ex indulto diei 2 Septembris 1858 solemnitas exterior quorumdam festorum transfertur in Dioecesi Aniciensi ad Dominicam sequentem, et celebratur per Missam votivam de festo sub ritu solemniori; ex eodem autem Indulto in Choro, excepta Ecclesia Cathedrali in qua cantari debent Vesperae occurrentes, Vesperas solemniter cantare licet de festo translato, et qui tenentur ad Officium easdem Vesperas privatim absolvere debent de Officio occurrente.

Hinc quaeritur an omnes Clerici in Sacris constituti et Officio divino addicti, qui in Choro Vesperas solemnitatis translatae cantaverunt, Vesperas diei occurrentis privatim persolvere insuper teneantur, vel illi tantum qui in Choro Vesperis solemnitatis non interfuerunt. Ratio dubii iacet in principiis generalibus apud auctores probatos receptis, vi quorum nonnulli ex nostris ab hac duplici recitatione sese excusatos existimant.

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, declarare censuit: In casu omnes tenentur ad recitandas privatim Vesperas de festo in Kalendario occurrente, quoniam Vesperae solemnitatis translatae solummodo devotionis gratia recitandae permittuntur.

Atque ita declaravit. Die 18 Maii 1878.

BISUNTIN.

Rmus Dnus Antonius Iustinus Paulinier Archiepiscopus Bisuntinus a Sacra Rituum Congregatione humiliter exquisivit an in processionibus S. Marci et Rogationum Litaniae interrumpi possint, ut fiat Statio vel ad Crucem, sub dio erectam, vel ad Oratorium vel ad quamlibet Ecclesiam, et resumatur postquam ad stationem ipsam sequens ritus locum habuerit, scilicet:

I. Omnibus e populo geminexis cantatur tractus sequens: *Domine non secundum peccata nostra* etc.

Dum dicitur versus : ***Adiuva nos*** etc... genuflectunt cantores et ministri. Finito versu Celebrans surgens dicit Orationem: ***Deus qui culpa offenderis*** etc.

II. Deinde dat benedictionem cum Reliquiario vel Imagine B. M. V. aut alicuius Sancti sequentia canendo:

f. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

4- Qui fecit coelum et terram.

f. Sit nomen Domini benedictum.

1$. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

Benedicat vos Omnipotens Deus Pater ^ et Filius et Spiritus Sanctus, **R**). Amen.

Sacra porro Rituum Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, audito S. R. C. Assessore, sic respondendum censuit: Quoad partem ritus nihil obstare; quoad vero benedictionem servetur quod a Rituali Romano praescribitur.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die **18** Maii 1878.

LUCEN.

In insigni Collegiata Ecclesia S. Michaelis ad forum Lucense viget consuetudo ab immemorabili tempore inducta, ut quoties in chorali Officio facienda est Confessio, Hebdomadarius se inclinans Decano Praelato qui primum ac distinctum obtinet stallum dicat ***Tibi Pater*** et ***Te Pater,*** et similiter uterque Chorus repetens Confessionem: Decanus autem quando Officium non peragit, faciens Confessionem una cum Choro dicit ***Vobis Fratres*** et ***Vos Fratres.*** Quoniam vero Rmus Dnus Eugenius Nanninius modernus Decanus et Ordinarius ipsius Collegiatae Ecclesiae dubitaverit an eiusmodi consuetudo legitime continuari possit sequentia Dubia Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna declaratione exhibuit, nimirum:

Dubium I. An quando Ordinarius chorali officio assistit, Hebdomadarius dicere debeat in Confessione facienda ***Tibi Pater*** vel potius ***Vobis Fratres ?***

Dubium II. An idem dicere debeat Chorus inclinans se ad Praelatum vel Hebdomadarum?

Dubium III. An Ordinarius dicere debeat ***Tibi Pater*** ad Hebdomadarium vel potius ***Vobis Fratres f***

Sacra porro eadem Congr. ad relationem subscripti Secretarii , audito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis Dubiis respondere censuit:

Ad I. II. et III. Servetur Episcoporum Caeremoniale, ideoque expositam consuetudinem esse abolendam.

Atque ita decrevit ac servari mandavit. Die 25 Maii 1878.

ATRIEN.

Rme Dne uti Frater.

Relatae fuerunt in S. R. C. preces Capituli istius Ecclesiae

Cathedralis Atrien, pro obtinenda venia persolvendi divina officia tempore hyemali in quodam loco, cuius ichnographiam exhibuit, separato ac distincto a Choro con* sueto. Sacra vero eadem Congregatio, postquam rem accurato examine perpenderit atque votum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris in scriptis exquisierit, maximi quoque faciens informationem ab ipsa A. T. desuper traditam, in casu rescribendum censuit: Non licere, sed Episcopus provideat pro sua prudentia. Curet itaque A. T. eiusmodi S. R. C. Rescriptum praefato Capitulo notum reddere, atque simul ea qua praestat sollicitudine atque rerum liturgicarum peritia opportunam provisionem capere. Romae die 25 Maii 1878.

Rmo Dno uti Fratri
Aloisio Martucci Episcopo
Coadiutori Atrien, et Pinnen.

NOVARIEN.

In Vicariatu foraneo ***Intri*** Dioeceseos Novariensis quinque Canonici Curati Collegiatae Ecclesiae Sancti Victoris Civitatis ***Intri*** nonnullis abhinc annis, quotiescumque -ad Congregationes seu Conferentias casuum conscientiae a Parochis praedicti Vicariatus haberi solitas, accedebant, et mozzettam, tamquam Canonici induere et praecedentiam habere prae ceteris parochis etiam antiquioribus autumabant. Id autem quum Parochi Vicariatus extra Civitatem aegre ferrent, factum est ut ad praecavenda gravia dissidia postremis hisce temporibus Congregationes illae suspensae manerent. Nunc vero maximopere cupientes Parochi Vicariatus extra Civitatem, rem in integrum pro bono spirituali restituere, ad eiusmodi controversiam prorsus definiendam, Sacram Rituum Congregationem adi vere sequentis Dubii resolutionem humillime expostulantes, nimirum:

Utrum Canonicis Curatis ***Intri*** competat Insignium Canonicalium usus ac praecedentia quoties intersint congregationibus in casu in Ecclesia Vicariatus ?

Sacra porro eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, auditis partibus interesse habentibus, exquisitoque etiam voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, sic rescribendum censuit;

Quoad primam partem: Detur Decretum in Novarien. Diei 10 Decembris 1707; ad secundam partem: Praecedentiam competere Parochis iuxta singulorum antiquitatem seu antianitatem-

Alque ita rescripsit. Die 25 Maii 1878.

CONSTANTIEN.

Rmus Dnus Abel Anastasius Germain Episcopus Constantiensis S. R. C. exquisivit utrum liceat

cuidam sane Cathedralis Ecclesiae Canonico in Choro super Mozzettam deferre decorationem variis coloribus confectam doctoribus in sacra Theologia ab Universi tate Sorbonica collatam, sed a Sancta Sede non approbatam; Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario respondit: Non licere. Die 26 Iunii 1878.

GOAN.

A Sacra Congregatione de Propaganda Fide transmissa fuerunt Dubia, a Rmo Dno hodierno Archiepiscopo Goano proposita, ad Sacram Rituum Congregationem pro opportuna declaratione, nimirum:

Dubium I. An usus in fere omnibus Ecclesiis Archidioeceseos Goanae adhuc vigens conficiendi sacra linteamina nempe amictus, albas, tobaleas altarium, nec non corporalia, purificatoria, et pallas ex tela ex gossipio composita, attentis circumstantiis hodiernis, tamquam corruptela et abusus reiiciendus sit, iuxta Decretum Generale S. R. Congregationis diei 15 Maii 1819, non obstantibus Indultis olim concessis?

Dubium II. Et in casu affirmativo, an licitum sit praedictis linteaminibus uti ad celebrandam Missam, cum conditione tamen intra biennium ea consumenda ad tramitem Generalis Decreti?

Sacra vero eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, declarare censuit :

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative quoad corporalia, purificatoria et pallas; Affirmative, sed ex gratia, quoad amictus, albas, ac tobaleas altarium.

Atque ita declaravit et indulsit. Die 23 Iulii 1878.

VICARIATUS APOSTOLICI UTRIUSQUE GUINEAE.

Rmus Dnus hodiernus Vicarius Apostolicus utriusque Guineae Sacrae Rituum Congregationi exposuit in regionibus Guinearum Tabernaculum conopoeo decoratum varii generis pnsectis indecenter pollutum saepe saepius reperiri, ita ut etiam quando aperitur, insecta in Tabernaculum ipsum pénètrent; propterea humillime exquisivit utrum in casu permittere possit ut SSmum Eucharistiae Sacramentum recondi queat in Tabernaculo quin conopoeo adornetur.

Sacra eadem Congr., referente subscripto Secretario, re mature perpensa,sic rescribendum censuit: Prudenti arbitrio Ordinarii qui provideat, attentis loci conditionibus.

Atque ita rescripsit. Die 27 Iulii 1878.

Nota. — Decreta haec, et ea quae referuntur in proximis fasciculis per appendiculas, haue i ab Appendice V edita, hoc ultimo decennio, a S. Rituum Congreg, et adiicienda collectioni decretorum a Gardcllini peractae.

V. PIAZZESI *Fp7iem* *m.*

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

Feria Secunda die 11 Februarii 1889

Sanctissimus Dominus Noster Leo PP. XIII in Palatio Apostolico Vaticano habuit Consistorium secretum, in quo tradita ab Emo ac Rmo Domino Cardinali Parocchi Perula sacri S. R. E. Cardinalium Collegii SSmo Dno nostro Papae, qui ipsam fidit Emo ac Pario **Dno** Cardinali Laurenzi pro anno praesente, eiusdem sacri S. R. E. Cardinalium Collegii Camerario, ac optato ab Emo ac Rmo Domino Cardinali Vannutelli Titulo s. Hieronymi Illyricorum, altero dimisso s. Sabinae, praefatus SSmus Dnus noster ita Cardinalibus S. R. E. fatus est

ALLOCUTIO

Nostis errorem sane maximum, per quem multorum animos, libertatis adipiscendae specie deceptos, sensim a Iesu Christo Ecclesiaque secedere nostra videt aetas. Scilicet pravarum doctrinarum fructus temporibus moribusque maturati adolescunt: iamque vitium est parvis magnisque civitatibus fere commune, exuere formam christianam, constituere disciplinam civilem, totamque administrare rem, publicam, religione posthabita. — Tali animorum habitu Nos quidem affecti cura ac sollicitudine summa, cogitare de remedio nunquam intermisimus: vosque ipsi, venerabiles fratres, testes estis, operae Nos diligentiaeque in eo plurimum ponere, ut appareat, quo sit tandem miserrimus iste a Deo discessus evasurus, et ut quotquot ad alia aberraverint, referant sese ad liberatorem suum, Unigenitum Dei, in cuius fide patrocinioque conquiescere perpetuo ac fidenter debuissent. His de causis semper studuimus cum exterarum gentium imperiis eas, quas moris est, vel confirmare necessitudines, vel coniungere. Restituere in praesentia conamur cum potentissimo Russiae imperio: neque diffidimus id, quod est in optatis, ex sententia successurum. Qua in re cogitationes curasque Nostras singulari studio ac pari benevolentia contulimus in rei

catholicae apud Polonos statum: quodque ad ordinandam earum Dioecesium administrationem magnopere pertinebat, aliquot iam episcopi designati sunt. Eos renuntiare hodierna die in hoc amplissimo consessu vestro magnopere libuisset, nisi plus aliquanto temporis tota negotii perfectio desideraret.

Omnino idem iter, quamquam inimicorum opera non raro impeditum, sed tamen idem iter, quantum est in Nobis, perseveranti voluntate tenebimus. Atque in hoc proposito ea Nos cogitatio confirmat, unum esse perfugium animorum, unam spem sempiternae salutis eamque certissimae , Ecclesiam catholicam: propterea que, in hac plena dimicationum vita mortali, Nostrum est omnes homines ad Ecclesiae sinum, tamquam ex aspero mari ad portum vocare, maximeque ad confidendum caritati eius impellere: confugientes enim ad sese semper est materno acceptura complexu, adhibendoque Evangelii lumine sanatura. —• Praeterea in hanc, quae degitur, aetatem tam ancipites incubuere casus, ut fessis communibus rebus omni ope et contentione subvenire necesse sit. Urgent enim undique, quod vel his ipsis postremis diebus in Urbe vidimus, urgent populares cupiditates inflammatae ac furentes ; et crescente rerum malarum audacia, in ipsa civilis societatis fundamenta impetum conantur facere. Silente religionis voce, sublatoque divinarum metu legum, quae ipsos animi motus in officio continere iubent, quaenam vis esset in civitatibus reliqua satis efficax ad propellenda pericula? In hoc igitur, quod datur opera revocandis illuc homininibus, ubi praecepta virtutum ac principia conservandi ordinis incorrupta vigent, verissimo afficitur beneficio respublica, egregieque de salute communi meretur.

Sed est et aliud considerandum, quod opportunitatem habet singularem. Nimirum si contigit unquam alias, ut pacatae res concordi popolorum voto expeterentur, certe expetuntur maxime hoc tempore, cum in ore est omnium pax, tranquillitas, otium. Testantur summi principes, et quotquot per Europam res publicas gerunt, hoc se velle conarique unice, pacis beneficia tu^ri: idque valde assentientibus cunctis civitatum ordinibus, quia revera quotidie magis apparet bellorum populare fastidium. Honestissimum fastidium, si quod aliud : nam certare armis potest esse quandoque necessarium, numquam tamen vacat magna mole calamitatum. Quanto autem calamitosius hodie futurum in tanta copiarum magnitudine, tam longe provecta rei militaris scientia, tam multiplici ad internecionem instrumento? Quae quoties cogitamus, ma-

gis ac magis caritate accendimur gentium christianarum, earumque caussa non possumus non suspenso animo impendentes formidines pertimescere. Nihil est igitur tanti, quanti ab Europa periculum bolli prohiberi: ita quidem ut quidquid in hanc caussam confertur operae, in salutem publicam conferri iudicandum sit. — "Verumtamen ad fiduciam rerum tranquillarum, parum est cupere neque satis inest in mera voluntate praesidii. Similique modo ingentes copiae et vis infinita bellici apparatus hostilem impetum •continere, ne erumpat, aliquandiu possunt, quietem parere securam et stabilem non possunt. Immo vero districta minaciter arma ad alendas sunt, quam ad tollendas simultates ac suspiciones aptiora : percellunt animos sollicita expectatione rerum futurarum, atque illud nominatim pariunt incommodi, ut in cervicibus populorum imponantur onera, incertum saepe utrum tolerabiliora bello. — Itaque quaerenda paci fundamenta sunt et firmiora et coniunctio ra naturae: propterea quod ius suum vi armisque defendere concessum est non repugnante natura: sed illud natura non patitur, vim esse iuris efficientem caussam. Quoniam pax tranquillitate ordinis continetur, consequens est ut quemamodum privatorum, ita et imperiorum concordia in iustitia maxime et caritate nitatur. Violare neminem, alieni iuris vereri sanctitatem, colere fidem benevolentiamque mutuam, perspicuum est vincula concordiae esse firmissima atque immutabilia, quorum adeo pollet virtus, ut vel semina inimicitiarum atque aemulationis nulla esse patiatur. Iamvero utriusque virtutis parentem et custodem Deus esse iussit Ecclesiam suam : quae idcirco nihil habuit, neque est habitura sanctius, quam conservare iustitiae caritatisque leges, propagare, tueri. Hoc proposito terras omnes Ecclesia peragravit: dubiumque est nemini, quin barbaras gentes, iniecto amore iustitiae mitigatas, ab immanitate studiorum bellicorum ad pacis artes humanitatemque traduxerat. Tenues, potentes, qui parent qui imperant, aeque omnes iubet servare iustitiam, nec quicquam pro iniuria contendere. Ipsa est, qua populos universos, quantumvis vel locis dissitos, vel genere differentes, necessitudine et caritate fraterna coniunxit. Ac probe memor legum atque exemplorum divini auctoris sui, qui *rex pacificus* appellari voluit, cuius ipsum natalem caelestia pacis praeconia nunciavere, quiescere vult homines in pulcritudine pacis ac multa prece studet contendere a Deo, ut belli discrimina a capite fortunisque populorum defendat. Quamdiu autem et opus fuit et per tempora licuit, nulla in re libentius,

interposita auctoritate sua, laboravit, quam in reconcilianda concordia, regnisque pacandis.

His rationibus caussisque maximis et sanctissimis in omni consilio Nostro movemur, venerabiles fratres, hisque paremus. Quoscumque tempora casus in vexer int, qualiacumque hominum vel iudicia futura sint vel acta, ad eamdem normam dirigetur omnis actio Nostra: ab hac via certum est non discedere. Ad extremum, de incolumitate pacis si mereri alia ratione non licuerit, certe perseverabimus ad Eum, nemine prohibente, confugere, qui potest voluntates hominum, unde vult, torquere, quo vult, inflectere: enixeque precabimur, ut depulso omni bellorum metu, ac debito rerum ordine benignitate sua restituto, veris eisdemque stabilibus firmamentis Europa quiescat.

Ceterum, venerabiles fratres, priusquam veniamus ad novas Episcoporum cooptationes, adlecturi in perhonorificum Ordinem vestrum sumus tres viros, quorum non ignota vobis ornamenta animi: nimirum IOSEPHVM BENEDICTVM DVSMET ex Ordine Benedictinorum Cassinensium, Archiepiscopum Cataniensem, dignis Episcopo virtutibus, maximeque prudentia et caritate spectatum : IOSEPHVM D'ANNIBALE Episcopum Tit. Charystiensem, S. R. et U. Inquisitionis Assessorem, probitate, modestia, doctrinae copia clarum : ALOISI VM MACCHI Domus Nostrae Pontificalis Praepositum, morum integritate probatum, variisque muneribus atque honoribus nitide functum.

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipontentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, creamus et publicamus S. Ii. E. Cardinales ex Ordine Presbyterorum

IOSEPHVM BENEDICTVM DVSMET
IOSEPHVM D'ANNIBALE

Ex Ordine Diaconorum

ALOISIVM MACCHI.

Cum dispensationibus, derogationibus, et clausulis necessariis et opportunis. In Nomine Patris et Filii £G et Spiritus ffc Sancti. Amen.

Qua peracta Allocutione, Sanctitas Sua sequentes proposuit Ecclesias :

METROPOLITANAM ECCLESIAM FLORENT, vacan, per obitum bo. me. Eugenii Cecconi, postremi illius Archipraesulis, extra romanam curiam defuncti, favore Emi ac Rmi Domini Augustini, ex Ordine Praedicatorum, S. R. E. Diaconum Cardinalem Bausa, retenta Diaconia S. Mariae in Domnica.

ECCLESIAM TITULAREM ARCHIEPISCOPALEM SIDEN, vacan, per promotionem R. P. D. Iulii Lenti ad patriarchalem Ecclesiam pariter titularem Constantinopolitanam, favore R. P. D. Fr. Seraphini Milani, ex Ordine Minorum Observantium S. Francisci, Antistitis Apuani.

ECCLESIAM TITULAREM ARCHIEPISCOPALEM RHODIEN. ac Sedem Cathedralem Meliten, invicem perpetuo canonice unitas vacan, per obitum bo. me. Carmeli Scicluna, ultimi illarum Antistitis, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Petri Pace Episcopi Gaudiensis.

METROPOLITANAM ECCLESIAM SEÑEN, vacan, per obitum bo. me. Ioannis Pierallini, ultimi illius Archipraesulis extra romanam curiam defuncti, favore R. P. Celestini Zini Presbyteri Florentini. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Florentiae progenitus, et sexagesimum tertium aetatis suae annum supergressus, Ordini Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum a prima iuventa dato nomine, ibique solemnia nuncupatus vota et sacro dudum auctus est Presbyteratus caractère. Florentiae ad praesens usque philosophiae atque historiae Antecessor ipso in Lyceo adlectus, inter pro-synodales examinatores Fesulanos adscitus, in suo Ordine Rectoris et pro Hetruria Provincialis munere hucusque perfunctus est.

ECCLESIAM TITULAREM ARCHIEPISCOPALEM SELEUCIEN. vacant, per obitum bo. me. Camilli Santori, ultimi illius Archipraesulis apud romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Tancredi Fausti presbyteri Romani. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Romae progenitus et in octavo supra quinquagesimum aetatis suae anno constitutus est. Inter Cleri Romani, praeter alia munera, Examinatores, atque Urbanos Antistites adscitus, nuperrime Emi ac Rmi Domini Cardinalis Archipresbyteri Patriarchalis Archibasilicae Lateranensis Vicarius renunciatus est.

ECCLESIAM TITULAREM ARCHIEPISCOPALEM TRAPEZUNTIN. vacan, per

obitum bo. me. Georgii Errington, ultimi illius Archipraesulis,. extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Edmundi Stonor Presbyteri dioeceseos Birmingamiensis. Qui ex legitimis , catholicis, nobilibusque parentibus in Castro nuncupato *Stonor* dioeceseos Birmingamiensis progenitus et in quinquagesimo octavo aetatis suae anno constitutus, Romae alumnis adiunctus Pontificiae Academiae nobilium ecclesiasticorum, ibique in facultate iuris canonici lauream assequutus, a sa. me. Pio Papa IX. inter Urbanos Antistites, atque Apostolicos Protonotarios adnumeratus, nec non Patriarchalis Archibasilicae Lateranensis Canonicus ad praesens usque renunciatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM SUA.NEN. PITILIANEN. invicem perpetuo canonice unitas, vacan, per dimissionem a R. P. D. Antonio Sbrolli, modo vita functo, ultro libenterque in Manibus SANCTITATIS SUAE peractam, ac per eius subsequentem promotionem ad titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Naupactensem, favore R. D. Iulii Matteoli Presbyteri dioeceseos s. Miniati. Qui ex legitimis, catholicis, nobilibusque parentibus in Castrofranco dioeceseos S. Miniati progenitus et in quadragesimo octavo aetatis suae anno constitutus, in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus est. Penes seminarium dioecesanum philosophica in facultate Antecessorem et in theologica Magistrum agens Substitutum, Examinatoris ac etiam in Sancti Miniati curia causis dirimendis Iudicis munere aliquando perfunctus est. Inter SANCTITATIS SUAE Cubicularios ornamentarios adscitus, et in nativitatis loco Archipresbyter-Parochus hucusque renunciatus fuit.

CATHEDRALEM ECCLESIAM APUAN. vacan, per dimissionem a R. P. D. Fr. Seraphino Milani, ex ordine Minorum Observantium S. Francisci, ultro libenterque in manibus SANCTITATIS SUAE peractam et ab EADEM admissam, ac per subsequentem eiusdem Antistitis promotionem ad titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Sidensem, favore R. D. Davidis Camilli, Presbyteri archidioeceseos Lucanae. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen *Ghiviszano,* Lucanae archidioeceseos progenitus, et quadragesimum secundum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus ; Mutilanae dioeceseos Vicarius in spiritualibus generalis , et Examitator pro-Synodalis adlectus, inter socios vel Congregationis Synodi, vel academiae phiiosophico-medices a S. Thoma Aquinate adnumeratus, dioeceseos Visitator, apud seminarium et Episcopale

Collegium studiis Praefectus, illaque in Cathedrali Canonicus-Archidiaconus ad praesens usque renunciatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM CASSANEN. vacan, per obitum bo. me. Antonii Pistocchi, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. Fr. Evangelistae a Caletro, Ordinis Minorum Capulatorum S. Francisci, Presbyteri Compsanae archidioeceseos. Fr. Evangelista a Caletro, in saeculo Michael Antonius di Milia, ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in terra Caletri archidioecesis Compsanae progenitus et quadragesimum septimum aetatis suae annum supergressus, ad ecclesiasticas obeundas functiones, signanter qua Missionarius Dei verbum gallico, anglico, ac italico sermone praedicando, pro archidioecesi Hydruntina inter Examinatores pro-Synodales adscriptus, ad S. Laurentii extra Urbis moenia Praeses constitutus /est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM MILETEN. vacan, per obitum bo. me. Aloisii Car velli, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore E.. D. Antonii De Lorenzo, Presbyteri Rheginensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Rhegio Iulio progenitus, et quinquagesimum tertium aetatis suae annum supergressus, iater Examinatores pro-Synodales adnumeratus , in tribunali Rheginensis Curiae Promotor Fiscalis, illiusque metropolitanae Canonicus titularis hucusque renunciatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM PLEBIS, vacan, per obitum bo. me. Emygdii Foschini, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. Pauli Gregorii presbyteri dioeceseos Civitatis Plebis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in plebata paroeciae S. Silvestri Terrae Plagari dioeceseos Civiplebensis progenitus et in quinquagesimo nono aetatis suae anno constitutus; Perusina in archidioecesi paroecialem et plebatam Ecclesiam Castilionis Fasci prius, alteramque dein S. Mariae de Colle administra vit Perusina in urbe, cuius in metropolitana Canonicus et Parochus hucusque renunciatus, Examinator pro-Synodalis, et casuum moralium in Parochorum et Confessariorum Congregationibus Definitur effectus est. Post assumptionem ad S. Petri Cathedram Leonis Papae XIII ab Eius Apostolico Administratore in regimine Perusinae dioeceseos Pro-Vicarius in spiritualibus generalis conrstitutus, ac inter Sanctitatis Suae intimos Cubicularios ad honores adscitus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM NARNIEN. vacan, per obitum bo. m. Vitalis Gralli, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti,

favore R. D. Caesaris Boccanera Presbyteri Romani. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Romae progenitus et in quadragesimo nono aetatis suae anno constitutus, ac tum in philosophia, tum in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, penes Basilicam s. Marci de Urbe Curionem aliquando agens, plurimis abhinc annis ad praesens usque apud Patriarchalem Basilicam Liberianam Parochus insimul et Beneficiarius renuntiatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM LINCIEN. vacan, per obitum bo. me. Ernesti Müller, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Francisci Salesii Doppelbaur, Presbyteri dioeceseos Linciensis, ad nominationem Francisci Iosephi I Austriae Imperatoris. R. P. D. Franciscus Salesius Coppelbauer ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in Waizenkirchen dioecesis Linciensis progenitus et quadragesimum tertium aetatis annum supergressus; in Iuris utriusque facultate laurea doctorali donatus, Cancellarii Ordinariatus et pro Iudiciis ecclesiasticis in rebus litigiosis et poenalibus Consiliarii munere perfunctus est. Romae antea Capellanus, Vice-Director et hucusque Rector apud Imperiale et Regium Institutum Teutonicum ad S. Mariae de Anima renunciatus, ac inter Sanctitatis Suae Urbanos Antistites adscitus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM SEPTEMPEDANAM, seu S. Severini vacan, per dimissionem a R. P. D. Francisco Mazzuoli libere et sponte in manibus Sanctitatis Suae peractam, et ab Eadem admissam, atque per ipsius Antistitis translationem ad titularem Ecclesiam Episcopalem Himesiensem, favore R. P. D. Aurelii Zonghi, Presbyteri Fabrianensis. Qui ex legitimis, catholicis , honestisque parentibus Fabriani progenitus , et in quinquagesimo nono aetatis suae anno constitutus, in sacra theologia et in utroque iure dudum doctorali laurea donatus est. In patrio seminario iuris utriusque professorem agens, convisitatoris, Episcopalis mensae negotiorum gestoris, examinatoris prius pro-Synodalis, et hucusque Synodalis muneribus perfunctus est. Vicarius Lateranensis, ac Praeses Congregationis Sacerdotum ad mutuum exhibendum charitatis subsidium adlectus, inter Sanctitatis Suae urbanos Antistites adscitus, et ad praesens usque Canonicus Fabrianensi in Cathedrali renunciatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM REATIN. vacan, per translationem R. P. Fr. Aegidii Mauri ex Ordine Praedicatorum S. Dominici ad sibi invicem unitas Ecclesias Auximanam et Cingulanam, favore R. P. D. Caroli Bertuzzi Presbyteri bononiensis Archidioeceseos. Qui ex

legitimis, catholicis, honestisque parentibus in oppido Cento bononiensis Archidioeceseos progenitus, ac sexagesimum secundum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, patria in Collegiata Canonicus olim adlectus, nonnullisque doctis ac literatis academiis adscriptus, pluribus officiis ac delegationibus apud Cerviensem Sedem explendis perfunctus est. Theologiae moralis Cerviensi in seminario Antecessorem agens, illius civitatis ac dioecesis Vicarius in spiritualibus generalis hucusque renunciatus, inter Sanctititatis Suae domesticos Praesules adscitus est.

ECCLESIAM EPISCOPALEM TITULAREM HIMERIEN. sub Archiepiscopo Edesseno vacan, per obitum bo. me. Francisci Vitagliano, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Francisci Mazzuoli Episcopi Cathedralis Ecclesiae S. Severini.

CATHEDRALEM ECCLESIAM AQUEN. provinciae Pedemontanae, vacan, per obitum bo. me. Iosephi Mariae Sciandra, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Iosephi Marello Presbyteri Astensds dioeceseos. Qui ex legitimis , catholicis , honestisque parentibus Augustae Taurinorum fortuito progenitus et quadragesimum quintum aetatis suae annum supergressus; in suae originis oppidum S. Martini ad Tanarum, Astensis dioeceseos translatus , Sacrarum Virginum nosocomiis inservientium , seminarii alumnorum, conservatorii puellarum, aliorumque" excipiens sedulitate sacramentales confessiones, pio operi chronicis alendis et curandis se totum addixit. Canonicus ornamentarius, ac dein S. Philippi de Messinis ab Astensi Capitulo Canonicus electus ibique secunda ditatus est ad praesens usque Archidiaconatus dignitate.

CATHEDRALEM ECCLESIAM GAUDISIEN, vacan, per translationem R. P. I). Petri Pace ad sibi invicem perpetuo canonice unitas Ecclesias Rhodiensem ac Melitensem, favore R. P. Fr. Ioannis Camilleri, Ordinis Eremitarum s. Augustini. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in civitate Vallettae dioeceseos Melitensis progenitus et in quadragesimo sexto aetatis suae anno constitutus. Romae ad Collegium S. Augustini philosophicis ac theologicis peractis studiis Lectoris, et Regentis obtinens gradus, doctorali laurea ditatus est. In praedicta Notabilis urbe ad sui Ordinis studium regendum deputatus in Provincialem electus est. Ad Urbem reversus tum moralis, tum dogmaticae theologiae Antecessorem agens, atque inter sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium Consultores adscitus est.

Post haec Emus ac Rmus Bausa stetit coram SSmo Dno nostro instanter , instantius ac instantissime postulans sibi tradi Pallium, de Corpore B. Petri sumptum pro Ecclesia Fiorentina, ad quam electus fuit, et habito a Sanctitate Sua responso « ***Propediem dabimus*** » idem Emus iuramentum fidelitatis praestitit coram praefata Sanctitate Sua.

Feria Quinta die 11 Februarii 1889

Fuit Consistorium publicum in Aula Regia ad Aedes Vaticanas, in quo SSmus Dnus noster Leo Papa Xiii tradidit Galerum rubrum Emis ac Rmis Dfiis Cardinalibus Iosepho Benedicto Dusmet, ex ordine Benedictinorum Cassinensium, Archiepiscopo Cataniensi, et Aloisio Macchi Domus Pontificiae Praeposito, nudius quartus creatis ac declaratis una cum Iosepho D'Annibale Episcopo titulari Charystiensi, S. R. ac U. Inquisitionis Assessore , qui aegra valetudine detentus absens fuit. Inibi eques Hilarius Alibrandi, advocatus Consistorialis, causam egit pro tertia vice Beatificationis Venerabilis Famulae Dei Mariae Rivier, e Vivariensi, Fundatricis Congregationis a Praesentatione Bmae Virginis Mariae, decretum implorans Beatificationis. Cui petitioni obstans R. P. D. Augustinus Caprara, Promotor Fidei, et orans ut causa prius a Sacra Rituum Congregatione examinaretis, Sanctitas Sua dignata est respondere his verbis « ***Ad Sacram Rituum, Congregationem ut videat, et referat.*** »

Publico expleto Consistorio, in superioribus Palatii Vaticani aedibus habituai fait Consistorium Secretum , in quo Emus ac Rmus Dnus Augustinus, ex Ordine Praedicatorum S. R. E. Cardinalis Bausa, nuper ad metropolitanam Sedem Florentinam evectus, obtenta venia a Sanctitate Sua, gradum faciendi a Diaconali ad ordinem Presbvteralem , ac dimissa Diaconia s. Mariae in Domnica, optavit Titulum S. Sabinae, SSmus Dominus noster, clauso, ut moris est, ore Emis ac Rmis Cardinalibus Dusmet ac Macchi, ne propriam possint

proferre sententiam, in Consistoriis, Congregationibus, aliisve Cardinalitiis functionibus, proposuit Ecclesias, quae sequuntur:

METROPOLITANAM ECCLESIAM COMPOSTELLAN. vacan, per obitum IDO. me. Victoriani Guisasola et Fernandez , ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Iosephi Mariae Martin de Herrera et de la Iglesia, Archiepiscopi S. Iacobi de Cuba ad praesentationem Serenissimae Reginae Catholicae Regentis.

METROPOLITANAM ECCLESIAM CAMERACEN, vacan, per obitum bo. me. Francisci Eduardi Hasley, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Odonis Thibaudier Episcopi Suessionensis ad nominationem perillustris Viri Francisci Mariae Sadi-Carnot, G-allicae Reipublicae Praesidis.

METROPOLITANAM ECCLESIAM S. IACOBI DE CUBA in America Meridionali vacan, per translationem R. P. *D.* **Iosephi Mariae Martin de Herrera et de la Iglesia ad Sedem pariter Metropolitanam Compostellanam, favore R. P. D. Iosephi Mariae de Cos et Macho, Episcopi Mindoniensis ad praesentationem Serenissimae Reginae Catholicae regentis.**

CATHEDRALEM ECCLESIAM PICTAVIEN. vacan, per obitum bo. me. Iacobi Edmundi Henrici Philadelphi Bellot des Minières , ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. *D.* **Augustini Hu berti luteau, Presbyteri archidioeceseos Turonensis ad nominationem perillustris Viri Francisci Mariae Sadi-Carnot, Galliarum Reipublicae Praesidis. R. D. Augustinus Hubertus luteau ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen** *Benais* **Turonensis archidioeceseos progenitus, et in quinquagesimo aetatis suae anno constitutus, Vicarius Parochialis adlectus ad S. Mauritium in urbe** *Chinon,* **ac ad S. Iulianum Turonensi in civitate, Parochus exinde tum loci vulgo** *Sovigny,* **tum successive S. Iuliani et Francisci in urbe Turonensi, eiusque Capituli Canonicus ornamentarius ad praesens usque renunciatus est.**

CATHEDRALEM ECCLESIAM TIRASONEN. vacan, per obitum bo. me. Cosmae M'arrodan et Rubio, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Ioannis Soldevila et Romero Presbyteri dioeceseos Zamorensis, ad praesentationem Serenissimae Reginae Catholicae Regentis. R. D. Ioannes Soldevila et Romero ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen *Fuente la peña,* **dioeceseos Zamorensis progenitus et quadra-**

gesirnum quintum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, Triplicis paroeciae Curatus Oeconomus renunciatus, Vallisoletano in Capitulo metropolitano Archipresbyteri munere ad praesens usque perfunctus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM CURIEN, vacan, per obitum bo. me. Francisci Constantini Rampa, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Ioannis Fidelis Battaglia, Presbyteri dioeceseos Curiensis , in Episcopum Curiensem ab ipsius Ecclesiae RR. DD. Capitulo et Canonicis de more electi, et iuxta decretum Sacrae Congregationis Consistorialis a Sanctitate Sua adprobatum. R. D. Ioannes Fidelis Battaglia ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Praesantii dioeceseos Curiensis progenitus et in sexagesimo aetatis suae anno constitutus. Romae alumnis Collegii Germanici adiunctus, ibique studiis philosophicis, theologicis, ac iuridicis peractis, puerorum seminario Professorem agens, Parochi, Directoris spiritualis Sororum SSmae Crucis in Ingenbohl, Cancellarii Episcopalis, et Curiensi Antistite aegro tante etiam Officialis munere perfunctus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM DE TRUXILLO in Peruviana ditione Americae Meridionalis, vacan, per obitum bo. me. Iosephi Dominici Armestar, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Emmanuelis Iacobi Medina Presbyteri Limani ad praesentationem perillustris Viri Andreae Avellini Caceres, Peruvianae Reipublicae Praesidis, vigore indulti Apostolici. R. D. Emmanuel Iacobus Medina ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Limae progenitus et quinquagesimum tertium aetatis suae annum supergressus, theologica iri facultate dudum assequutus lauream doctoralem , Capellanus maior Sanctimonialium Ordinis Eremitam S. Augustini , et monasterii S. Catharinae visitator Apostolicus Limae adlectus est. Inibi Iudicis ecclesiastici, Promotoris Fiscalis, a Secretis Camerae et Gubernii Archiepiscopatus perfunctus muneribus , pro Bulla Cruciatae Commissarius deputatus est. Eiusdem Capituli Canonicus a Mercede, Magistralis, et hucusque Praecentor successive renunciatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM PUNIEN. in Peruviana ditione Americae Meridionalis, favore R. D. Ismaelis Puirredon Presbyteri Limani, ad praesentationem perillustris Viri Andreae Avellini Caceres Praesidis Peruvianae Reipublicae, vigore indulti Apostolici. R. D. Ismael Puirredon ex legitimis , catholicis , honestisque parentibus Limae progenitus, ac in quarto supra trigesimum aetatis suae anno con-

stitutus, Presbyteratus ordine et in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, a Secretis pro eligendis vi concursus ad paroecias, et Pro-Secretarii in dioecesi Puniensi muneribus perfunctus, Vicarius Foraneus pro de Azancari provincia, simulque Parochus ad S. Hieronymum de Asillo Puniensis dioeceseos ad praesens usque renunciatus est.

ECCLESIAM TITULAREM EPISCOPALEM IULIOPOLITAN. sub Archiepiscopo Nicaeno, vacan, per translationem ad Archiepiscopalem Sedem Scopiensem R. P. D. Andreae Lagorezzi, favore R. D. Huberti Antonii Fischer Presbyteri archidioeceseos Coloniensis. Qui. ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Iuliaei archidioeceseos Coloniensis progenitus et in quadragesimo nono aetatis suae anno constitutus, in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, Sanctimonialibus regundis addictus et in animarum cura aliquando versatus, in gymnasio Essendiensi Coloniensis archidioeceseos Praeceptoris religionis munere perfunctus est.

Ceteras exinde Sanctitas Sua pandidit Ecclesias per Litieras in forma Brevis, a postremo Consistorio ad praesens usque provisas, scilicet :

R. P. D. Andream Lagorezzi a titulo Iuliopolitano ad Sedem Archiepiscopalem Scopiensem promovit.

Hobartoniensis Ecclesiae, a praefata Sanctitate Sua Metropolitica auctae honore , renunciavit Archipraesulem R. P. D. Danielem Murphus, antea Sedis eiusdem Episcopum.

A Natchetensi ad metropolitanam Sedem Novae Aureliae evexit R. P. D. Franciscum Ionssens.

Titulo Archiepiscopali Cirrensi honestavit R. P. D. Andream Navarre, Episcopum Pentanomiae, Apostolicum pro Melanesia ac Micronesia Vicarium.

R. P. D. Guglielmo Scarisbrich , qui Ecclesiae Portus Aloisii valedixit, titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Cyzicensem attribuit.

Archiepiscopalem titulum Pelusii contulit R. P. D. Guido Corbelli, Minorum Observantium, Apostolico pro Aegypti et Arabiae Orientalibus Delegato, ac pro Latinis Aegypti Vicario.

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Claudiopolis contulit R. P. D. Iosepho Adulpho Gandy, Episcopo Tricensi et Archipraesulis Pondicheriensis Coadiutori.

Episcopali titulo Adrianensi honestavit It. .P. D. Rodensindum Salvado, Ordinis Benedictini, Abbatem Novae Nursiae, qui Portus Victoriae Sedem dimisit.

Phacusitensem Ecclesiam titularem concessit P. P. .D. Graspari Henrico Borgess, Detroitensiis Sedis dimissionario.

R. P. D. Ioanni Iosepho Keane, qui Richmondiensi Sedi valedixit, concessit titularem Ecclesiam Iassensem.

Ab Emorpiensi Ecclesia ad Sedem Malacensem, per eamdem Sanctitatem Suam in Cathedralem erectam, transtulit R. P. D. Eduardum Grasnier.

R. P. D. Symphorianum Monard , Ordinis Minorum Capulatorum, titularem Episcopum Gydoniensem, ad Sedem transtulit Lahorensem, per ipsam Sanctitatem Suam Cathedralitatis fastigio ditatam.

A Peterboronghensi ad Sedem Hamiltonensem transtulit R. P. D. Iosephum Thomam Bowling.

Cathedralem Ecclesiam de Sinaloa Mexicana in ditione Americae Septemtrionalis, vacatae per obitum bo.me. Iosephi a Iesu et Maria Uriarte, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. Fr. Iosephi Mariae Portugal, Seraphici Ordinis Minorum S. Francisci, Presbyteri Mexicanae urbis. R. P. Fr. Iosephus Maria Portugal ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in urbe Mexici progenitus et in quinquagesimo aetatis suae anno constitutus, Commissarius Generalis sui Ordinis a Secretis adlectus Mexicana in ditione, eiusque Commissariatus vices hucusque gessit. Plures per annos animarum curam administrans, et in archidioecesi de Guadalaxara Parochus ad praesens usque renunciatus est.

Chicontimiensem Ecclesiam, per Sanctitatem Suam ab archidioecesi Quebecensi seiunctam et in Cathedralem erectam, contulit R. D. Ludovico Nazano Bigin, eiusdem archidioecesis.

Cathedralem Ecclesiam Basileen. cui aeque principaliter canonice adiuncta est Cathedralis Ecclesia Luganensis, vacatas per obitum bo. me. Friderici Fiala, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Leonardi Haas , Presbyteri dioeceseos Basileensis, a RR. Capitulo et Canonicis illius Cathedralis unanimiter electi. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in pago Horvae, dioeceseos Basileensis ac districtus Lucernensis progenitus et quintum supra quinquagesimum aetatis suae annum supergressus, Cooperatoris munere perfungens vel Parochi natalis loci, vel Lucernensi in urbe, ac etiam Turici in dioecesi Curiensi, ubi et

in *Dietikon* **rexit paroeciam. Pluribus annis theologiae moralis et pastoralis Cathedraticus Lucernensi in academia, Parochus adlectus Hitzkirchii eiusdem pagi, et ad praesens usque insignis Collegiatae ad S. Leodegarium, Lucernensi in urbe Canonicus, ac seminarii dioecesani Rector renunciatus est.**

Pulatensem Antistitem effecit R,. P. D. Laurentium De Petris Dellammare, Protonotarium Apostolicum.

De Natchensi Ecclesia providit R. D. Thomam Heslin.

Peterboronghensi Ecclesiae, per Sanctitatem Suam in Cathedralem erectae, praeposuit Antistitem R. D. Richard O'Connor.

Wichitensem Antistitem constituit R. D. Ioannem Hemessy.

Ad Sedem Detroitensem promovit R. D. Ioannem Foley.

Uticensem titulum Episcopalem contulit R. D. Leontio Bri doux, Algerii Missionario, Apostolico in Tanganika Vicario.

De persona R. D. Iacobi Cronzet, Congregationis Missionis, Apostolici in Africa Orientali Vicarii, providit titulari Ecclesiae Zephyriensi.

Colophonemis Ecclesiae titularem Episcopum effecit R. P. Beniaminum Christiaens, e Minoribus Reformatis, Apostolicum pro Hu-pé Deciduo-Meridionali Vicarium.

Ad titularem Ecclesiam Episcopalem Surensem promovit R. D. Petram Paulum De Marchi, Minorum Observantium, Apostolicum in Kan-tong Septentrionali Vicarium.

Episcopum titularem Corycensem constituit R. D. Michaelem Comerford, in dioecesi Kildaniensi Parochum et Vicarium Foraneum, in perpetuum Coadiutorem assumptum Antistitis Kildariensis.

In Auxiliarem Cardinalis Archiepiscopi Sydneyensis cum titulo Antiphellensis Ecclesiae deputavit R. D. Iosephum Higgins.

Postea SSmus Dnus noster aperuit os, de more, Emis ac Riïiis Dûis Cardinalibus Dusmet ac Macchi, ut in Consistoriis , Congregationibus , aliisque functionibus Cardinalitiis, quibuscumque in locis, propria valerent pandere vota; et ab Advocatis consistorialibus facta instanter, instantius, instantissime postulatione Pallii pro Ecclesiis provisis in utroque Consistorio, et in secundo etiam patefactis, scilicet Rhodiensi unitae Melitenensi, Senensi, Compostellanae, Cameracensi, S. Iacobi de Cuba , Scopiensi , Hobartoniensi , atque Novae

Aureliae, pretiosum annulum eisdem Emis ac Rmis Dominis Cardinalibus donando concessit et assignavit pro titulo Cardinalibus :

Emo ac Rmo Dno Cardinali DUSMET Ecclesiam S. Pudentianae, et

Emo ac Rmo Dno Cardinali MACCHI Diaconiam S. Mariae in Domnica.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

FIRMANA

IURIUM PAROCHIALIUM

Die 7 Aprilis 1883 et 16 Iunii 1888.

Sess. 24 cap. 13 De ref.

COMPENDIUM FACTI. In firmana Dioecesi amplum habetur territorium, collibus et aquarum rivulis interiectum, decem circiter millia passuum latum ac totidem et amplius extensum, quod inter mare Adriacum et interiores terras Montis Granari et Monturani continetur, et duobus fluminibus Chienti et Tenna hinc inde ad mare pergentibus circumcingitur.

Ab oppido s. Elpidii, quod principale ibi est, et ad interiores terras proximum iacet, Elpidianum hoc territorium appellatur.

Ab initio tres ibi numerabantur paroeciae, S. Michaelis scilicet, S. Andreae et S. Bartholomaei; sed ab anno 1591, haec divisio cessavit, et unicus per totum territorium paroecialis titulus constituebatur ecclesia s. Elpidii abbatis, quae in oppido eiusdem nominis a Gregorio XIV eo quidem tempore in collegiatam erigebatur.

Porro anno 1745 Alexander Borgia, Archiepiscopus firmanus in actu s. Visitationis deprehendi t, portionem populi fidelis Elpidiani territorii carere necessaria spirituali adsistentia « et propter populi multitudinem, agrique amplitudinem, aliquos sine sacramentis ecclesiae, plerosque vero sine sacerdotali ope in extremo agone decedere, ac praesertim in partibus ab oppido remotioribus puerosque ac puellas in agro commorantes rudimentis fidei christianae non imbui; (ideoque) de erigendis aliquibus capellaniis curatis in eodem agro cogitare > coepit.

Primamque erexit in regione ***de corva*** nuncupata, ubi capella habebatur sub invocatione B. Mariae V., quam suis impensis auxit, exornavit et domunculam pro curato instruxit.

Regio autem ***de corva*** est ad oram maritimam et circa flumen Tennam quod ad meridiem descripti territorii decurrit.

Itaque audito prius archipresbytero et capitulo, designatisque accurate limitibus, eiusdem regionis incolas « a collegiata et parochiali ecclesia S. Elpidii, prout habet erectionis bulla, ***dismembravit*** et huic novae capellaniae Curatae S. Mariae ***de corva*** cum omni iure parochiali, excepto fonte baptismatis, quod salvum remanet ecclesiae matrici, ***subiecit.*** » Decrevit insuper, ut nova capellania curata, sic enim paroeciam dismembratam vocavit, praevio concursu et regulari examine conferretur: « quinque frumenti rubra quae annuatim subministrabuntur a sindacis eiusdem ecclesiae ex familiis rusticorum circumpositis » pro stipendio capellani assignavit: « in signum vero iurisdictionis capellani curati pro tempore » cathedraticum quinque Iuliorum Archiepiscopo solvi iussit: ac demum « ad debitum honorem matrici servandum » praecepit ut capellanus curatus in die S. Elpidii vesperis et missae solemni, in festo vero S. Corporis D. N. I. C. solemni supplicationi apud matricem ecclesiam interesset.

Anno 1758 idem Antistes vigore etiam decreti S. C. C. sub die 28 Februarii 1750, aliam capellaniam curatam erexit ¿isdem in s. Visitatione motus rationibus, quae ad paroe-

ciam ipsam S. Mariae ***de corva*** constituendam prius determinaverant. Selegit itaque regionem ***Ar eliam*** ad oram pariter maritimam, sed circa flumen Chienti quod septentrionales territorii fines constituit. Atque ibi construi curavit ecclesiam quam ss. Angelis Custodibus dedicavit.

In erectione huius novae paroeciae omnia eodem modo peregit ac determinavit sicut pro alia s. Mariae ***de corva.*** Tantummodo capellano curato assignare potuit, non quinque, sed quindecim frumenti rubra, quorum decem a societate ***S. Mariae de Misericordia*** solvenda pollicebantur : unde huic potestatem concessit tam pro prima vice, quam in posterum praesentandi tres sacerdotes, et unus, iuxta formam approbatus, ad paroeciae regimen ab Ordinario constitueretur.

In possessionem huius novae paroeciae primus parochus immissus fuit sacerdos Pennesi adstantibus aliquibus collegiatae ecclesiae canonicis, ac Archipresbytero, qui concione facta, novum capellanum curatum populo commendavit. Hoc factum fuit die 3 Februarii anni 1758.

Die 14 eiusdem mensis et anni Archipresbyter et canonici, mutato consilio, non solum impugnarunt erectionem novae capellaniae ss. Angelorum Custodum, sed etiam anteriorem s. Mariae de Corva. Causa delata ad S. C. C. ac mature discussa, duobus quaesitis propositis, nempe : I. ***An dismenbratto facta a reverendissimo archiepiscopo Firmano substineatur in casu?*** II. ***An constet de attentatis, et quomodo sint purgando in casu?*** S. C. die 15 Decembris 1759, respondit: Ad I. ***Affirmative et amplius.*** Ad II. ***Negative et amplius.***

Sacra igitur C C . utramque ***dismembrationem,*** ac utriusque capellaniae curatae institutionem, prouti ab Archiepiscopo firmano facta fuerat, plenissime probavit. Et licet capellanus s. Mariae de Corva nihil fecerit penes S. Congregationem, ut sua iura tueretur, sententia tamen a S. C C. prolata, ipsi etiam favet, quia contra utramque capellaniam capitulum S. Elpidii agebat.

Non obstante definitiva sententia a S. C. C. prolata

canonici novam audientiam obtinuerunt. Coepit igitur causa ipsa, quae definitiva sententia decisa videbatur, apud S. C. C. acrius agitari inter capitulum et SS. Angelorum capellanum curatum, capellano curato S. Mariae de Corva non interveniente.

Videtur tamen quod nova hac causae propositione pendente, vires litigantium defecerint, ac consequenter de concordia pertractare coeperunt.

Die igitur 4 mensis Maii anni 1763 rogatum fuit inter partes publicum ***Concordiae*** instrumentum, ac stante etiam •declaratione Firmani Archiepiscopi, qua dixit se voluisse reservare favore ecclesiae matricis, praeter ***ius baptizandi etiam ius tumulandi et decimando*** convenerunt partes quod reservatum maneret, favore ecclesiae matricis ius baptizandi, decimandi et tumulandi. Insuper convenerunt quod incolae portionis territorii assignati paroeciae SS. Angelorum Custodum, satisfacere possent praecepto communionis paschalis, tam in ecclesia SS. Angelorum Custodum cum reservatione dispensationis texerae vulgo ***Biglietti Pasquali,*** favore ecclesiae Matricis.

Hanc concordiam Clemens XIII sua auctoritate communivit ac ex integro inserendam voluit in bulla sub die 23 -Iunii anni 1763 expedita.

Sopita paulisper controversia inter capitulum et capellanum curatum ss. Angelorum Custodum anno 1772 alia agitari coepit inter ipsum capitulum et capellanum curatum **S.** Mariae de Corva Iosephum Ripari, qui capitulum in iudicium, vocavit ut manuteneretur in pacifica possessione et perceptione decimarum, a plebe sibi et capellaniae curatae assignata. Sed archiepiscopale tribunal sententiam tulit, qua statuit, « non competiisse, neque competere R. D. Iosepho Ripari, capellano curato, memoratae ecclesiae S. Mariae de Corva ullam manutentionem, in asserta possessione iuris exigendi decimas. » Perpetuumque super hoc silentium imposuit.

Per caput vero separatum, uti dicitur, eadem sententia

definivit « capitulum insignis collegiatae S. Elpidii manutenendum fore et esse in quieta et pacifica possessione tumulandi, ac explendi exequias ac funera omnium defunctorum, tam in eodem oppido, quam intra totius territorii fines. >

Post emanationem dictae sententiae, concordia quaedam die 17 Martii 1773 intercessit inter capitulum S. Elpidii et capellanum curatum S. Mariae de Corva, in qua capellanus curatus non solum cessit iuri decimandi et tumulandi, sed etiam dispensandi texeras pro satisfactione paschalis praecepti, sicut ac omnino eodem modo, quo fecerat capellanus curatus alterius ecclesiae SS. Angelorum Custodum.

Notatu dignum est quod dum haec concordia sancita fuit die 17 Martii anni 1773, eodem anno sub die *22* Decembris, vacante capellania curata S. Mariae de Corva ob renunciationem Iosephi Ripari, Archiepiscopus qui tunc erat Urbanus Parracianus, praemisso concursu, novum capellanum curatum instituit, ***ad formam bullae erectionis.***

Sed quidquid sit de hoc triennio transacto a supradicta sancita concordia inter capitulum S. Elpidii et capellanum curatum S. Mariae de Corva, iterum quaestio insurrexit inter ipsum capitulum et capellanum curatum ss. Angelorum Custodum. Fatiscente enim ecclesia cum domo parochiali, disputari coepit, cuiusnam sumptibus utraque restauranda esset. Causa delata iterum fuit ad S. C. C. quae die 7 Septembris anni 1776 sententiam tulit, qua statuit, restaurationem, et quatenus opus esset, reaedificationem tum ecclesiae, tum domus ad capitulum spectare. Quaesito enim proposito:

I. ***An, et ad quos ultra rubra 10 frumenti praestanda a societate S. Mariae Misericordiae, spectet praestatio aliorum rubrorum 5 frumenti, olei pro lampade, nec non manutentio ecclesiae ac aedium pro capellano curato SS. Angelçrum Custodum in casu.***

II. ***An, et a quibus praedicta onera sint exigenda, et consignanda capellano curato dictae ecclesiae in casu.***

III. ***An, et quatenus habitatores et coloni territorii S. Elpidii, assignati dictae ecclesiae SS. AA. Custodum teneantur subire onus dictarum praestationum, et teneantur persolvere decimas ecclesiae matrici in casu.***

IV. ***An et ad quos pertinet reaedificatio ecclesiae et aedium pro capellano curato SS. Angelorum Custodum.***

S. C. C. respondit:

Ad I. Praestationem rubrorum quinque et olei pro lampade spectare ad parochianos; manutentionem vero aedium parochialium et ecclesiae spectare ad collegiatam S. Elpidii.

Ad II. Frumentum et oleum esse exigendum a syndicis dicti loci Arellae ad formam repartimenti approbandi ab Emo Archiepiscopo et amplius.

Ad III. Affirmative ad formam resolutionis primi dubii.

Ad IV. Spectare ad capitulum S. Elpidii.

Quinquennio iam elapso ab emanatione dictae sententiae, cum capitulum ipsam exequi haudquaquam curaret; tunc capellanus curatus, iterum recursum habuit ad S. O. C, quae audita prius Archiepiscopi Firmani informatione, instantiam capellani curati ad ipsum Archiepiscopum remisit cum rescripto sub die 12 Maii 1781. « Ostendatur capitularibus et Archiepiscopus procedat prout de iure contra eosdem, pro sollicita reparatione ecclesiae aediumque parochialium. »

Et Archiepiscopus iussa S. C. C. faciens sollicite capitulo determinatum temporis spatium pro restauratione ecclesiae et aedium parochialium praefìniit. Pariter operam dedit ut alia concordia ini er partes litigantes sanciretur, quod et factum fuit per publicum instrumentum diei 26 Iunii 1781; et licet usque tum quaestio inter capitulum et capellanum curatum SS. Angelorum Custodum tantummodo versa esset; nihilominus placuit etiam capellanum curatum S. Mariae de Corva in concordiae partem vocari. Communi igitur consensu statutum fuit; quod firma permanente obligatione Capituli quoad materialem conservationem domorum et Ecclesiarum SS. Virginis Mariae ***delia Corva;*** pariterque retento tunc ***et*** pro una vice, capitulum teneri ad praestandas utrique

capellano curato aliquas sacras supellectiles, in posterum vero* ipsi capellano teneantur providere et conservare sacras supellectiles, firmo permanente onere perpetuo praestandi a capitulo quotannis obulos 75 cuilibet ex duobus capellanis; imposito ab Episcopo perpetuo silentio.

Exinde partes diu quievisse videntur: aut saltem per subsequentes 64 annos contendisse non constat.

Interim tamen in eodem territorio duae novae paroeciae constituebantur, a capitulo S. Elpidii omnino independentes;. « salvo tamen et intacto remanente,, favore eiusdem capituli, iure immemorabili declinandi. » Harum altera erecta fuit die 1 Maii 1823, eique assignata fuit universa zona litoranea a flumine Chienti ad Tennam decurrens ad iurisdictionem duarum capellaniarum S. Mariae et SS. Angelorum prius pertinens, quae arcta quidem est, sed ultra 8 kilómetros longa et in cuius medio habetur portus maritimus ubi ecclesia dominibus pluribus circumsepta iamdiu existebat.

Altera paroecia constituta fuit die 30 Ianuarii 1826 in regione nuncupata ***Mostrapiede*** ad septentrionem oppidi S. Elpidii in loco a mari remotiore.

Quapropter hoc tempore, quod etiam nunc servatur, tota regio Elpidiana, ita divisa erat, ut universa eaque arcta litoranea zona ad paroeciam Portus pertineret: deinde succe-r derent duae capellaniae curatae SS. Angelorum Custodum et S. Mariae ***de Corva,*** altera ad septentrionem, altera ad meridiem: demum adhuc interius duae aliae paroeciae venirent ***Mostrapiede*** nempe et S. Elpidii, prior pariter ad septentrionem, altera ad meridiem.

Hisce omnibus intelligentiae ergo praepositis ad originem et naturam controversiae, quae hodie agitur enarrandam properandum est.

Iam ab anno 1845 duo capellani curati S. Mariae et SS. Angelorum conquerebantur apud Ordinarium, ex eo quod iuxta dicta superius, iure baptizandi, tumulandi, Schedas paschales distribuendi, et decimandi carerent.

Sed anno 1884 sacerdos Cabiti, S. Mariae capellanus,

considerans quod privatio eiusmodi iurium, causam semper dederit quamplurimis perturbationibus, quae tamen augentur in dies, S. Sedem adiit postulans, ut haec iura sibi restituerentur aut recognoscerentur, pluraque in sui intentionis favorem documenta transmittens..

Huic petitioni cito se adiunxit et alter capellanus SS. Angelorum nomine Mallio. Interim Archiepiscopus ad rem rogatus respondebat : « Praecisione facta a iuris quaestione, negare nequit, plura ex iis quae parochus lamentatur damna et inconvenientia comprobari. Hinc optandum profecto esset, ut aliquo temperamento seu remedio iisdem prospiceretur. Reditus vero illius parocieae, S. Mariae ***de corva,*** adeo tenues sunt, ut vivendo pares censeri nequeant ; quo factum est, ut post longum vacationis tempus brevi intervallo duo parochi renuntiaverint. Quorcirca sin minus ex iure, saltem ex gratia, aliqua in decimis participatio parocho tribui posset; ad minus in canonicatuum vacationibus ea decimarum portio parocho adsignari posset quae superstitibüs accresceret.

Capitulum autem in omnibus obsistebat. Unde cum duo parochi actores ob suam paupertatem rem oeconomice pertractari petiissent, documenta hinc inde allegata Consultori transmissa fuerunt, ut mentem suam in hac re aperiret. Ipse autem, omnibus perpensis, in has conclusiones devenit:

« 1. ***Corollarium.*** Collegiata Ecclesia S. Elpidii, retinet, iura verae ac propriae dictae Matricitatis, relate ad Capellaniam curatam S. Mariae de Corva, et etiam relate ad aliam SS. Angelorum Custodum.

« 2. ***Corollarium.*** Collegiata Ecclesia S. Elpidii, rebus ita remanentibus, tenetur ac debet non solum manutentionem utriusque Ecclesiae ac aedium Parochialium curare, sicuti iam determinatum fuit a Sac. Cong. Concilii; sed etiam tenetur ac debet utrumque Capellanum curatum de necessariis ad vitae sustentationem providere, quatenus opus sit et in mensura ab Ordinario statuenda. »

Et nonnullis aliis tum in iure tum in facto perpensis ita votum absolvebat : « ***Conclusio*** : ad subveniendum spi-

ritualibus necessitatibus populi fidelis, inhabitantis territorium iam ab anno 1745 designatum, capellaniae curatae S. Mariae ***de Corva,*** si non absolute et omni ex parte necessarium vel maxime profecto expediens est, quod dictae capellaniae concedantur ***omnia iura parochialia cum fonte baptismali.*** Et cum militent eaedem rationes pro altera capellanía curata SS. AA. Custodum, inibi videtur expediens, quod etiam isti omnia iura parochialia concedantur, inclusive pariter ad fontem baptismalem. »

Et infra: « Omittendum haud dußo, quod in Conclusionibus, quibus meam subordinatam sententiam expressi circa maximam convenientiam concedendi utrique capellaniae curatae ***omnia iura parochialia,*** ac consequenter illas veri nominis Paroecias constituendi, ab Ecclesia matrice independentes, nullam mentionem fieri de iure decimandi, et hoc quia ipsa S. Congregatio implicite apud Ecclesiam Matricem permanere recognovit; ipsique Matrici Ecclesiae onus imposuit manutentionis Ecclesiarum S. Mariae de Corva et SS. Angelorum Custodum ac respectivorum aedium Parochialium, quia etiam Archiepiscopus Firmanus in erectione alterius Paroeciae SS. Annunciationis, quae anno 1828 locum habuit, ius decimandi Ecclesiae Matrici, reliquit. Unde videtur quod adsint speciales rationes, quae suadent, Matricem Ecclesiam in possessionem iuris quod ab immemorabili possidet, manutenendam. Nullum ergo videtur adesse grave inconveniens si hoc ius Mitrici Ecclesiae reservetur. Ast remanente hoc iure penes Ecclesiam Matricem, aequum est ut onus pariter maneat, manutentionis Ecclesiarum ac aedium parochialium. Et quatenus honestae sustentationi parochi S. Mariae de Corva non sufficiant emolumenta quae ex exercitio iurium parochialium, tumulandi ac baptizandi provenire possunt, ultra bona ac redditus quos iam ex primaeva institutione possidet, mihi videtur obligandam esse Matricem Ecclesiam ad subministrandum illud quod deest. >

Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO CAPITULI. Qui Capituli partes agit, satius duxit quaedam typis edere documenta, seorsim distribuenda, atque manu scriptam exhibere allegationem, in qua praemonet, memoratum Capitulum ex bulla ipsa erectionis iure frui baptizandi, funerandi, decimandi, necnon texeras paschales distribuendi pro toto Elpidiano territorio.

Dismembrationem vero, subiungit, iuxta vulgata iuris principia rem odiosissimam esse; quae idcirco nonnisi ex necessitate est admittenda, et quidem in rebus necessariis, propter quas facta est: in praefatis autem iuribus Capitulum manutenendum esse contendit, cum necessitas dismembrationis in themate non habeatur.

Atque ad decimandi ius quod attinet, in dismembratione quamtumvis plenissima decimas non comprehendi, nec transire ad ecclesiam noviter erectam, nisi expresse et individue huic per Ordinarii ministerium applicentur in terminis tradit Ferraris v. *Dismembratio num.* ***27,*** Reiffenstuel *tit. De decimis num.* ***104.*** aliique una cum sexcentis S. Rotae decisionibus, nec non authentica declaratione S. C. C. quae anno 1617, FagnanO teste in cap. *Cum contingit, De decimis n.* ***52*** ipso secretarii munus obeunte, « articulo accurate discusso, censuit, decimas ad ecclesiam matricem pertinentes, non transire ipso iure in parochialem ecclesiam noviter erectam, sed remanere apud ecclesiam matricem, nisi eas Episcopus novo parocho ad praescriptum Concilii, quod est in ***sess. 21*** *cap.* ***4*** *de reform,* assignaverit.

Porro in Bulla, qua Archiepiscopus firmanus capellaniam S. Mariae de Corva erexit, ne verbum quidem de decimis occurrit: contrarium imo ex eadem colligitur, dum certa portio, quae competens, ni dicam superabundans, ceu inferius, pro divini cultus expensis et capellani sustentatione assignatur.

Idipsum veluti a priori retinendum esse autumat orator

de funerandi iure ob rationis paritatem hoc inter et baptizandi ius, quod ecclesiae matrici expresse fuit reservatum.

Ius itidem paschales distribuendi texeras plenissime evinci contendit Orator Capituli ex documentis, quae unum quoque et alterum ex praecedenter memoratis iuribus mirifice confirmant.

Atque huc revocat ea omnia quae in specie iam praeoccupata sunt; iudicatum scilicet S. C. C. anni 1759, quo dismembratio duarum paroeciarum sanciebatur quidem; sed, prout vult orator, iuxta modum cum limitationibus scilicet, quas Ordinarius ponendas intellexerat circa ius decimandi, funerandi, baptizandi, et Schedas paschales distribuendi. Declaravit enim expresse Archiepiscopus, « se eiusdem collegiatae ecclesiae ultra praefatum ius baptizandi etiam ius decimandi et tumulandi reservasse. »

Commemorat subinde patronus sententiam Firmanae Curiae diei 1 Martii 1722 capellano S. Mariae ***de Corva*** omnino contrariam, quaeque transivit in rem iudicatam ob non interpositam appellationem, necnon solemnem transactionem paulo post initam: appellat ad iudicatum anni 1776, aliamque concordiam anni 1781, et ad Bullam Clementis XIII concordiae confirmativam; ex quibus omnibus capituli iura invicte comprobari ac tueri sustinet.

Eadem capituli iura recognita itidem fuisse ab Emo Archiepiscopo Brancadoro, qui novam erigens paroeciam SSmae Annuntiationis per Bullam die 1 Maii 1823 voluit, ***intactum remanere favore capituli ius immemorabile decimandi,*** licet eidem Capitulo reservare non existimaverit ius baptizandi et funerandi « prout provisum extitit in erectione ruralium paroeciarum, unius nempe sub SS. Angelorum et alterius sub S. M. ***delia Corva*** invocationibus ». Demum Emus Archiepiscopus De Angelis genuinam utriusque capellaniae conditionem tradidit atque expressit, dum neutram capellaniam inter paroecias recensere existimavit.

Inutiliter subinde textum Bullae erectionis capellaniae S. M. de Corva in alienum sensum ex adverso detorqueri

existimat orator. Difficultatem namque neque novam, neque semel ad trutinam revocatam, nihil unquam proficere potuisse, ceu satis apparet ex superius dictis, quae heic repetita vult Orator cum iis quae coram S. C. C. idem Capitulum ad rem deduxit.

Huc autem rebus perductis, in praecipua ex adverso obiecta animadvertere satagit Capituli defensor, ne suo munere deficere videatur, ubi fortius praesidium invenisse fingit adversarius. Perperam in primis, nec cum veritatis sensu congruae insufficientiam obiici ait. Neminem enim latet quod ex notissimas dispositionibus Concilii Tridentini ***cap. 2 sess. 6, cap. 5 et 7 sess. 7, cap. 18 sess. 24, cap. 16 sess. 25, cap. 4 et 6 sess. 21,*** in Ordinarii arbitrio sit competentem portionem assignandi: quodque, semel assignata huiusmodi portio, praesumi debeat sufficiens, ita ut non sit amplius locus novae assignationi vel augmento, sicuti nec diminutioni. Ferraris p. ***Congrua, num. 25 ad 30,*** - ibi - « Congrua ab Episcopo assignata praesumitur sufficiens, nisi probetur diminuta; Rota ***part. 9 tom. 1 Decis. 222 num. 15, et part. 15 Decis. 347 num. 4....*** Unde con-* grua semel assignata non debet amplius assignari vel augeri, Rota ***part. 2 Decis. 239 num. 1, et part. 13 Decis. 48 num. 2;*** sicuti non potest amplius diminuì, Rota ***part. 18 tom. 1 Decis. 81 num. 50.*** » Quanam insuper quantitate contineri se debeat Ordinarii arbitrium, declaravit S. Pius V in Constitutione ***Ad exequendum*** ita, videlicet « ut non maior centum, nec minor quinquaginta scutorum annuorum summa, computatis etiam incertis emolumentis et aliis obventionibus communiter percipi solitis, eis omnino assignetur. » Cui quidem sanctioni cohaerent plures S. C. C. resolutiones, quas inter nuperrima ***Hieracen. Erectionis paroeciae 27 Martii 1886,*** ubi novae paroeciae erectionem petentibus in loco ***Gioiosa Marina*** cum congrua libellarum 340, EE. PP. responderunt « Emissa prius a benefactoribus obligatione in forma iuris valida, persolvendi supplementum congruae usque ad libellas 500, statim ac paroecia

fuerit erecta, Episcopum procedere posse ad dismembrationem et erectionem novae paroeciae. »

Iamvero congruam portionem, qua capellanus Catini fruitur, iuxta sanctionem Bullae erectionis longe excedere annuam summam libellarum 500, studuit demonstrare capituli defensor.

Querelas itidem quae ex adverso moventur, quoad ius baptizandi ecclesiae matrici reservatum, flocci faciendas esse sustinet orator. In primis enim cum huiusmodi ius matrici ecclesiae expresse reservatum fuerit in ipsa Bulla erectionis capellaniae S. M. de Corva, iam apparet nullam necessitatem adfuisse praefatum quoque ius tribuendi eidem capellaniae. Ast si necessarium tunc id non fuit multo minus necessarium dici potest in praesens: nam viae nunc sunt optimae, dum antiquae erant pessimae.

Obiectum vero obstetricis testimonium, quo edicitur eamdem ab anno 1822 ad annum 1845 baptizare debuisse 60 infantes, idest minus quam tres infantes in quolibet anno, nullum relevare inconveniens nihilque probare subdit, cum non ratione itineris ad ecclesiam matricem id acciderit, sed alia prorsus de causa, quae undique et ubique verificari saepe saepius solet.

Inconvenientia praeterea quae contra ius funerandi a capellano Catini lamentantur, quin iudicentur, satis superque praeoccupata fuisse ex testimonio sacerdotis, quo fidem ipse facit de modicissimis impensis quibus funera ad matricem ecclesiam ducuntur ac magno decore explentur.

Gratis insuper eodemque decore servato pauperum funera •ducuntur, prouti idem sacerdos testatur.

Haec autem nullatenus cum eadem decentia praestari posse in ecclesia S. M. de Corva, vel certe non sine expensarum triplicatione.

In unum demum praefata iura complectens orator, ad regionis mores necnon ad ecclesiae matricis maiestatem et decorem attendendum heic vel maxime esse, dicit, iuxta ea quae tradit Card. De Luca in ***Adnot. ad Conc. Trid. Disc.***

16 num. 2. Agitur enim de sartis tectisque servandis iuribus insignis ecclesiae collegiatae et matricis.

Quod si ulterius consideretur Elpidiani territorii incolas , continuam negotiis dare operam cum civitatis habitatoribus, assuetum vero iter vix animadverti solere, pro nihilo reputandam esse difficultatem ex distantia petitam, prouti factum est in ***Feretrano: 4 Aug. 1883,*** licet in facti specie perhibentur quod distantia septem kilómetros aequaret, quodque oppidani S. Anthimi « ad oppidum et paroecialem ecclesiam S. Marini accedere nequeant nisi tribus viis ad rupis latus pergentibus ac per anfractus salientibus. » Idque eo fortius urgendum esse, themate, tum quia nullus Firmanus Praesul sit qui ***magnum itineris incommodum*** persenserit, vel eidem non satis consultum duxerit per capellaniae curatae institutionem; tum quia de facto commodiores habentur viae ad matricem quam ad duas paroecias dependentes.

DEFENSIO DUORUM PAROCHORUM. Favore istorum praemonitum fuit in primis, Tridentinum ***sess. 21 cap. 4*** voluisse ut Episcopi « in omnibus ecclesiis parochialibus vel baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis » cogèrent rectores « sibi tot sacerdotes adiungere quot sufficiant ». Sed « in iis vero ecclesiis, in quibus ob locorum distantiam sive difficultatem, parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta et divina officia audienda accedere non possunt, novas parochias, etiam invitis rectoribus.... constituere possint. > Atque additum est: « Illis autem sacerdotibus qui de novo erunt ecclesiis noviter erectis praeñciendi competens assignetur portio, arbitrio Episcopi ex fructibus ad ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus. »

Porro dismembratio, de qua heic agit Tridentinum, est ea quae odiosa censetur in iure, quia beneficium ipsum, idest praebendam, ex qua sacerdos sustentatur, minuit, quod gratum neutiquam est.

Sed dismembratio quae dotem beneficii non afficit, et

tantummodo territorialem iurisdictionem ad maiorem subditorum commoditatem dividit et limitat, huius vel alterius ambitiunculam vanamque gloriolam offendere quidem potest, sed beneficiati interesse revera non laedit, cui plerumque accepta esse deberet, quia onera beneficii reducit, quin reducat, saltem ordinario, nisi in minima parte, proventus; nec dismembratae detrahit eclesiae, quia eius decori facile per matricitatem consulitur, sed potius animarum bono prospicere valde potest, dummodo aequa, rationalis et non excessiva sit.

Quapropter dum ad dismembrandum beneficium ad possibilitatem absolutam veramque populi necessitatem attendi merito debet; e contra ad territorialis iurisdictionis divisionem, quoties dos pro nova paroecia suppetat, absque veteris paroeciae laesione, attendenda potius atque unice videtur •divisionis congruentia et utilitas, ne scilicet ***iis quae bene constituta sunt contrariis ordinationibus detrahatur. Trid. sess. 25 cap. 5 de reform.***

Hisce in genere dictis ad praestituendum quae de odio dismembrationis retinenda videtur, si ad casum de quo agimus gradum faciamus, aperte eruitur 1. quaestionem modo non esse de dismembratione territorii; nam dismembratio territorii ab initio legitime facta et S. C. O. consulto probata, ut dictum est in specie, nunquam revocata fuit, licet rectorum seu capellanorum curatorum iura imminuta deinde fuerint ex partium conventione et pontificia Clementis XIII sanctione: 2. nec principaliter agitur de dismembratione beneficii, sed tantummodo subsidiarie; nam duo parochi actores quaestionem de decimis subordinate promovent, eaque praesertim ducti ratione, quia alter ipsorum vitae necessariis omnino eget, alter vero paulo meliori causa ditatur. Itaque 3. potissimum controversiae punctum verteret circa spiritualia iura baptizandi, funerandi, et Schedas paschales distribuendi, quae iura Archipresbyter et capitulum Blpidianum hoc vel alio titulo, quod nunc quaerendum non est, utique possident, et sibi servare omni nisu contendunt; quae tamen iura esse

sibi potius tribuenda actores tuentur. Itaque principalis quaestio est de dismembratione iurisdictionis.

Porro ad eam concedendam non modo congruentiae utilitatisque ratio militare videtur, quae tamen ad dicta superius sufficeret, sed grave etiam necessitatis motivum.

Sane ecclesia matrix distat ab ecclesia S. Mariae ***de Corva*** kilómetros 7,333, ab ecclesia vero SS. Angelorum 5,700 : et cum huiusmodi duae ecclesiae in centro ferme sui districtus existant, hinc fit ut incolae qui extrema territorii trans aedes parochiales et prope mare habitant kilómetros 8 et amplius peragere debeant ut ad collegiatam accedant.

Notandum insuper est quod regio marinis ventibus et imbribus aperta, collibus insuper et fluviis aquarum interiecta est, unde difficilior fit gressus iter facientibus.

Et quamvis dicatur, in praesentiarum municipium plures stravisse vias, quae olim non erant; ideoque hodie accessum ad oppidum faciliorem esse, quam antea; hoc tamen non videtur concludere; nam distantia magna semper est, eaque hyemali et aestivo tempore aeque gravis ac antea: insuper plures familiae dissitae ab itineribus sunt, et ideo parum ea novis viis iuvantur : ac demum populus auctus est ; et ideo incommodum quod pauciorum olim erat, nunc vero plurium, factum est magis sensibile maioresque querimonias movet.

Iamvero distantiam posse esse legitimam dismembrationis causam non ambigitur: hoc enim expresse disponit citatum Tridentini caput, et ***cap. ad audientiam*** ibi a Tridentino renovatum, ubi nedum territorii, sed ipsa beneficii parochialis dismembratio probatur ex eo quod regio quaedam « tantum perhibetur ab ecclesia parochiali distare, ut tempore hyemali cum pluviae inundant non possint parochiani sine magna difficultate ipsam adire. »

Quae autem distantia ad id requiratur, non est definitum in iure, et iudicis arbitrio merito relinquitur definiendum: nihilominus in ipsa ***Feretrano,*** ex adverso producta docetur, longinquitatem duorum vel trium millium passuum ordinario

visum fuisse sufficientem. Quod si in citatae Feretranae casu hoc non valuit, id contigit, quia dos pro nova paroecia non aderat, et prohibebatur veteris beneficii lucra partiri.

De cetero in themate non duo vel tria, sed quatuor et quinque millia passuum intervalli est.

Accedit quod duae novissimae paroeciae ***Portus et Mostrapiede*** dismembratae sunt propter gravissima incommoda, quae prius dum unitae erant lamentabantur. Ita sane Ordinarius loquebatur in erectionis decreto alterius ex hisce paroeciis.

« Cum interim non modo spiritualis utilitas, sed absoluta necessitas tot tantisque modis ab inhabitantibus in ora maritima S. Elpidii ad mare expressa et demonstrata urgeat novae Paroeciae instituendae iis legibus et conditionibus, quas capitulo proposuimus, ideo, non obstante eiusdem capituli irrationabili dissensu, Nos, viso instrumento dotationis Novae Paroeciae erigendae, viso consensu Parochorum finitimorum, ... novam paroeciam_____erigimus. » Porro ecclesia loci ***Mostrapiede*** distat a collegiata kilómetros 5,723 ; ecclesia vero ad Portum octo circiter kilómetros iuxta periti mensuram a parochis productam. Si autem huiusmodi distantiae ad dismembrationem suffecerunt, aequales vel maiores, in eademque regione positae, non videntur censendae insufficientes.

Quin imo quam maxime sufficientes declaratae sunt nedum in decretis Archiepiscopi Borgia, quo duae capellaniae curatae erigebantur, sed ab ipso S. C. C. iudicato diei 15 Decembris 1759.

Quod si fons baptismalis ab initio duabus novis paroeciis non fuit concessus, si deinde longo dissidio fessi rurales curati, insigni oppidi capitulo diutius resistere non sunt ausi, et nonnullorum aliorum iurium cessionem fecerunt, hoc videtur facilem explicationem invenire, nec plurimam facere difficultatem: siquidem praesentes realesque necessitates sunt attendendae. Et pensandum insuper est quod spiritualis iurisdictio non est privata possessio, sed superioris potestatis

in bonum fidelium data concessio, quae, licet legitime tributa, licet recognita quibuslibet sententiis conventionibusque sancita, nihilominus a superiori tolli aut moderari potest, quoties bonum publicum, in cuius finem est constituta, hoc postulet. Salus enim animarum suprema lex est.

Videndum igitur in themate superest utrum vera exigentia habeatur auferendi a matrice controversa spiritualia iura, eaque filialibus ecclesiis concedendi. Hoc porro praesumi generaliter posset ex ipsis hucusque dictis quoad distantiae rationem; sed luculentius probari videtur, nonnulla quoad singula iura aduciendo. Et primum quoad baptismatis fontem.

Olim baptismales ecclesiae ipsae erant cathedrales ecclesiae; sed paroeciis circa saeculum XI erectis, iis quoque hoc ius concedi coepit; adeo ut hodie licet absolute necessarium ad paroeciae naturam baptisterium non renuncietur. nihilominus valde congruum et connaturale habetur. Siquidem expedit omnino ut singuli pastores sua» cognoscant oves quae per primum baptismi sacramentum in C. D. gregem cooptantur et in ecclesiae sinu excipiuntur, prout advertit Rota in ***Romana Iuris baptizandi 12 Ianuarii 1733 cor. Samminiato*** et S. C. C. sublata etiam contraria consuetudine, decrevit in ***Fabrianen. Fontis baptismalis die 14 Novembris 1733.***

At in themate non modo expediens est haec fontis erectio; sed necessaria omnino videtur, ceu colligere est ex depositionibus obstetricum et medicorum. Obstetrices enim duarum paroeciarum asserunt : permultos debuisse baptizare infantes domi, reputantes contra prudentiam eosdem deferre ad matricem, ob longum iter, absque baptismo; per multos detulisse ad viciniorem ecclesiam ne perirent in itinere ceu pluries evenit: permultos vero perire ex eadem causa longi itineris, post aliquos dies a baptismo recepto.

Medici vero illius loci aiunt; pueros exponi variis morbis quum deferuntur per longum iter: et mortalitatem puerorum notabilem illius territorii, tribuendam esse frigori quo

iidem afficiuntur pueri per viam, dum ad Ecclesiam pro baptismo deferuntur. Ex quibus incommodis quaerimoniae quamplurimae fiunt a genitoribus, qui his de causis eo perveniunt ut renuant filios baptizare.

Hinc ait defensor, omissis aliis patrum familias quaerimoniis, consultius videri concludere verbis ipsius consultoris, nempe, salutem aeternam unius infantis plus valere, quam privilegia et praeeminentias, quas collegiata ecclesia tueri conatur. »

Omittit pariter, quod ipse consultor commemorat, quod nempe cum Romae lacrimabilis nonnullos ante annos contigisset casus, ut infans qui ad S. Petri Basilicam e suburbana ss. Rosarii paroecia deferebatur, in itinere ante baptismum moreretur, statim S. P. Pius IX iussit tam in ea quam in duabus aliis suburbanis paroeciis fontem baptismalem erigi, iura ac privilegia perinsignis Basilicae derogans. Et merito; nam ad sartas tectasque servandas praeeminentias alicuius ecclesiae, creandae non sunt difiicuHates fidelibus in iis quae ad salutem sunt necessaria; cum ipse honor ecclesiarum debeat potius in lucrum animarum converti.

Quoad funera vero praeterquamquod eadem reservata non constat in initio dismembrationis, dicendum insuper videtur, quod reservatio funeris ad matricem ***et*** incommoda incolis sit et curatis iam arcte viventibus modica stolae nigrae emolumenta insuper subtrahat.

Demum ratio communionis paschalis peragendae, et necessitas sacramenti schedulas obtinendi a matrice, praeterquamquod nullum lucrum, sed unice incommodum matrici confert, nocere insuper videtur sapienti principio a Tridentino, ***cap. 9, sess. 14,*** promulgato; « quia iure optimo distinctae fuerunt dioeceses et parochiae, ac unicuique gregi proprii attributi pastores, et inferiorum ecclesiarum pastores, qui suarum quisque ovium curam habeat, ut ordo ecclesiasticus non confundatur.... non sine gravi incommodo eorum, qui subditi sunt. > Unde alio loco, idest ***cap. 13, sess. 24,*** idem Tridentinum haec iussit: « In iis quoque civitatibus

ac locis ubi parochiales ecclesiae certos non habent fines, nec earum rectores proprium populum quem regant, sed promiscue petentibus sacramenta administrant, mandat S. Synodus Episcopis, pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas propriasque paroecias unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, et a quo solo licite sacramenta suscipiant. >

Quod casui in quaestionem apprime convenire videtur; nam exponunt duo parochi quod ex inolita in hac re disciplina, sequatur ut incertum plerumque sit, aut lateat quinam paschali praecepto satisfecerint.

Relate demum ad decimarum punctum pauca animadversa sunt. Nam licet eae in dismembratione possint novae paroeciae assignari, prout fuse probat Ferraris ***De decimis art. 2 n. 17 seqq.*** adducto etiam Tridentino; licet in genere id congruum videatur « cum perceptio decimarum ad parochiales ecclesias de iure communi pertineat » ex textu expresso in ***cap. Cum. contingat 29 De decim.*** cum communi, et cum proprio sacerdoti in recognitionem et ut honeste vivat, potissimum sint solvendae; licet demum in themate haec decimarum dismembratio iusta iudicari potuisset, attenta necessitate fundandi novas paroecias, easque dotandi ad normam ***cit. cap.*** *4,* ***sess. 21*** Tridentini etiam per dismembrationem dotis veteris parochialis beneficii, nihilominus in themate hoc factum non fuit.

Utrum in praesentiarum hoc facere aut ex parte aut ex integro expediret remissum fuit EE. Patrum iudicio, attenta utriusque novae paroeciae paupertate.

Uterque parochus, et ille praesertim S. Mariae ***de Corva,*** quanta rerum penuria prematur, adductis sumptuariis rationibus, aliis ab iis quas capitulum producit, ostendere satagit. Sed quin plurimam fidem nectamus, hisce sumptuariis rationibus, fallaci arte saepenumero confectis, et in themate non omnimode exploratis, attendenda sunt facta quae Archiepiscopus ad probandam paupertatem praesertim beneficii S. Mariae in suo voto commemorat.

Quod autem semel constituta congrua non debeat amplius assignari et augeri, veluti ex adverso dicitur, verum quidem est, si congrua primitus stabilita sufficiens sit; sei si probetur dotem primitus assignatam sufficientem non esse, eam augeri debere certa sententia est, quam idem Ferraris ***v. Congrua n. 30 seqq.*** tuetur, ubi ita ipse auctor prosequitur: « In tali casu, si nempe congrua novae paroeciae assignata probetur insufficiens, aut paupertas dein superveniret, parochus non potest nisi ad supplementum agere, et Episcopus debet prius arbitrari circa reditus ecclesiae, si sufficiant, et postea in subsidium cogere populum, vel alio modo providere; Rota ***p. 4, t. i, dec. 595, num. 1.*** S. C. EE. et RR. in ***Interamnen. 27 Martii 1601*** etc. »

Quibus adnotatis in utramque partem; proposita fuere dirimenda

Dubia

I. ***An Capitulum S. Elpidii manutenendum sit in iure baptizandi, funerandi, decimandi, nec non texeras paschales distribuendi relate ad Capellanías curatas S. M. de Corva, et SS. Angelorum in casu.***

Et quatenus affirmative quoad ius decimandi.

II. ***An, et quomodo providendum sit in casu.***

RESOLUTIO. Sacra O. Concilii re cognita sub die 15 Septembris 1888 censuit respondere: ***Ad I Quoad decimas affirmative, distracta tamen et attributa utrique paroeciae filiali, utraque enim vere paroecia cum omnibus iuribus parochialibus est, quota decimarum respectivi territorii, quae prudenti Archiepiscopi iudicio satis esse queat ad complementum utriusque congruae, intuitu nedum honestae*** *sustentationis* ***parochi, sed etiam manutentionis Ecclesiae et domus parochialis; computatis tamen in congrua incertis utriusque stolae, et sublata quavis ulteriori matricis obligatione in futurum. Quo vero ad reliqua, negative et amplius. Ad II Provisum in primo.***

Ex QUIBUS COLLIGES I. Iubere Tridentinum, ut Episcopi, pro tutiori animarum eis commissarum salute, distincto populo in certas propriasque paroecias, unicuique suum perpetuum, peculiaremque parochum assignent... a quo solo licite sacramenta suscipiant.

II. Hinc iure optimo distinguendas esse paroecias, et unicuique pastores dandos, praeditos omnibus paroecialibus iuribus, qui suarum quisque ovium curam habeant, ii qui subditi sunt sine gravi incommodo sacramenta, aliaque divina obtinere valeant.

III. Quum salus animarum suprema lex sit, proinde praesentes et reales populorum necessitates sunt attendendae, et animadvertendum quod spiritualis iurisdictio non est privata possessio, sed concessio superioris potestatis, data in bonum fidelium; quaeque a superiore tolli, aut moderari potest, non obstantibus sententiis, aut conventionibus quibus sancita fuerit, quoties bonum publicum hoc postulet.

IV. Paroeciarum dismembrationem et novarum erectionem fieri posse quoties bonum animarum id exposcat, seu quoties evincatur adesse graves causas ad eam peragendam (1).

V. Pro dismembratione in themate et pro erectione duarum paroeciarum cum omnibus iuribus propriis, et independenter a Matrici, adesse graves causas facile deprehendi, ex incommodis quibus subditi istarum praemuntur, ut matricem petant loco propriarum paroeciarum.

(1) Quoad paroeciarum dismembrationem recoli possunt Vol. I, pag. 520 et 543, Vol. III, 396 appendix de parochi, populique consensu in paroeciarum dismembratione. Vol. XII, 287, Vol. XIII, CO et 293. In eodem volumine XIII, 289 ad'st Appendix VI de potestate Ordinariorum, deque iurisprudentia qroad paroeciarum dismembrationem. Confer etiam Vol. XV, 569.

SECCOVIEN. SEU ORDINIS S. BENEDICTI

UNIONIS

Die 15 Septembris 1888.

Sess. 24 cap. 13 De Reform»

COMPENDIUM FACTI. Abbas monasterii Seccoviensis congregationis Beuronensis O. S. B. supplici libello S. Sedi haec referebat ac deprecabatur, nempe: « Parochia Seccoviensis, in dioecesi Seccoviensi Styriae superioris sita, anno 1143. sub titulo S. Iacobi Apostoli a canonicis regularibus sub regula S. Augustini militantibus, qui ex fano S. Mariae in valle Feistricensi huc transierant, erecta et ab iisdem possessa et administrata est, usque ad annum 1782; quo anno ipsorum Conventus, capituli cathedralis iuribus et privilegiis decoratus, ab imperatore Iosepho II dispersus est. Creata nova Graecii (Gratz) Ecclesia Cathedrali et antiqua S. Iacobi ecclesia parochiali exstincta, antiqua Ecclesia Cathedralis sub titulo B. M. V. Assumptae abhinc in parochialem mutata in possessione et sub cura presbyterorum saecularium fuit.

« Anno 1883 vocati, a nunc regnante Reverendissimo Domino Episcopo Seccoviensi, celsissimo Principe Ioanne Zwerger, monachi aliquot Congregationis Beuronensis, ingressi sunt in vetus et derelictum monasterium, ibique prioratum constituerunt, qui assentiente sua c. r. Maiestate die 3 Iulii 1887, a Sanctitate Tua ad Abbatiam Congregationis Beuronensis evectus est. >

« Anno post erectionem praedicti prioratus, parochia quoque Seccoviensis, cum parochus, qui tunc eam administrabat, ob aetatem provectam a cura muneris sui removeri petiisset, a Reverendissimo Domino Episcopo patribus Benedictinis monasterii Seccoviensis administranda tradita est. Rebus spiritualibus parochiae hucusque a duobus patribus Benedictinis providetur, pro qua cura monasterium, quatenus oeconomus seu administrator parochiae, accipit temporalia beneficii, quae partim ex parochialibus proveniunt. Sed quoniam

monasterium Seccoviense iam ad Abbatiam evectum firmam stabilemque quandam conditionem nactum est, tempus, esse videtur, ut etiam quae intercedit inter monasterium parochiamque relatio ex eo statu, qui ad tempus erat constitutus, iam in stabilem fixumque ordinem transeat. Quod ut perficiatur, optimum factu abbas supradictus consentiente Reverendissimo Domino Episcopo esse putat, si parochia Secoviensis pleno iure monasterio Seccoviensi incorporetur.

« Quapropter abbas supra scriptus Sanctitatem Tuam humillime rogat, ut Oratoris precibus benignissime annuens concedat, ut dicta parochia Abbatiae Seccoviensi pleno iure, id est quoad officium et beneficium incorporetur et ut potestas perficiendi hanc incorporationem, in quantum ad ipsum pertinet Episcopo nunc regnanti Reverendissimo Domino Ioanni Zwerger tribuatur. »

Episcopus has preces transmittens supplicationem suam facere profitebatur ob causas, quas ita enumerat:

« I° Parochia Seccoviensis fundata fuerat a canonicis regularibus, qui parochiam administrabant usque ad annum 1782, quo monasterium per Gubernium deletum est. Incorporatio petita ergo pristinum statum restituet. »

« 2° Basilica Secco vie asís nunc de facto parochialis ecclesia est. Congruit, ut presbyteri regulares qui officiis divinis funguntur, curam quoque animarum in parochia gerant. »

« 3° Incorporatio exoptata differentiis occurrit, illasque ab initio procul fert, quae facile inter saeculares et regulares sacerdotes oriri possent, si in una eademque ecclesia officiis diversis operam dare deberent. »

« 4° Incorporatio petita etiam Episcopo Seccoviensi Oratori pergrata eveniret ; laborat enim dioecesis iam per multos annos haud parva penuria sacerdotum saecularium. »

« 5° Denique ab anno 1884 curam parochialem provisorio modo imposui sacerdotibus monasterii. Testor, illos officio imposito laudabiliter satisfecisse et cum omni salutari effectu. »

Demum canonicus Harlon, qui parochialis ecclesiae Secoviensis patronus se dicit, syngrapham transmittit qua declarat se consentire ut petita unionis gratia fiat.

Disceptatio Sjnoptica

Tridentina Synodus ***sess. 24 cap. 12 de reform,*** cavet, ut « in unionibus quibuslibet seu ex supradictis , seu aliis de causis faciendis ecclesiae parochiales monasteriis quibuscumque, aut abbatiis seu dignitatibus sive praebendis ecclesiae cathedralis_____non uniantur. »

Imo parochialis unio ita est a Concilio prohibita, ut quaelibet licet parva pars fructuum distrahi a paroecia, et monasterio aut alii causae piae adnecti prohibeatur, prout referunt decisum fuisse a S. C, C. Garcías ***cap. 2part. 12 n. 87*** et Barbosa ***alleg. 66 n. 30.***

Et merito quidem, nam uniones odiosae in iure censentur, et pene instar alienationum habentur, De Luca ***De parochus discep. 35 n. 6,*** Reifienstuel ***ad tit. 5 lib. 3 n. 68.***

Quod si in quolibet unionis casu procedit, potissimum valere debet in casu unionis perfectae, quoad beneficium scilicet et officium, seu ***extinctivae*** ac ***translativae tituli,*** quae in themate exquiritur.

Unde S. C. C. aliquando, licet recognita iusta unionis causa, uniones perfectas haud voluit sancire, sed quod minimum potuit concessit, veluti in ***Cracovien. 30 Iunii 1740,*** et in ***Compostellana 20 Septembris 1692:*** in quarum prima collegio Societatis Iesu inopia laboranti, et in altera conventui PP. Dominicanorum ex simili causa, parochiam uniri permisit quidem, ita tamen ut ad paroeciam regendam vicarius perpetuus saecularis deputaretur.

Quin dicatur in casu de quo quaerimus magis quam unionem haberi restitutionem ad antiquum statum ex imperiali Iosephi II decreto violenter turbatimi. Responderi enim potest, quidquid sit de antiquo statu ecclesiae S. Iacobi, et de illegitimo procedendi modo Iosephi II, circa quae non quaerimus et elementa iudicandi desunt; videtur tamen su-

premam S. Sedis potestatem in hoc intervenisse. Attente enim legenti supplicem monachorum libellum, licet in hac parte paululum obscurum, haec tamen ibi asseverata esse videntur, nimirum ecclesiam S. Iacobi ab Augustinianis antiquitus possessam cathedralis iuribus et privilegiis decoratam extitisse: Iosephum II monasterium avertisse: Graecium sedem episcopalem constituisse: et exinde cathedralem S. Iacobi ecclesiam titulum et gradum mutavisse, idest parochialem sub titulo B. M. V. Assumptae,, factam fuisse. Porro, si haec ita sint, dubitari non potest, quominus in conversione ecclesiae S. Iacobi in novam inferioremque hanc conditionem non intercesserit S. Sedis beneplacitum: sine eo enim cathedrales destrui novaeque constitui non possunt : quapropter concludendum quoque videtur novam inferioremque hanc conditionem ecclesiae S. Iacobi legitimam modo esse.

o

Quo stante, inutile videtur de antiquo hu'us ecclesiae statu quaerere; sed potus videndum est, utrum iustae causae adsint, quibus possit a lege conciliari derogari, et id peragi quod odiosum et pene instar alienationis habetur.

Uniones eaim ex magna et evidenti utilitate fieri posse, obvia doctrina est, quam illustrare supervacaneum est, et constat ex ***cap. 33 De praeb.,*** nec non ex ***cit. Tridentini cap. 13 sess. 24.***

Recolere pariter omitto, quod conditio ad legitimam unionem faciendam requisita est consensus capituli, prout cavet textus expressus in ***dénient. Si iena 2 De reb. eccl. non alien.***

Verum haec regula viget in unionibus per Episcopos faciendis, et ne in omnibus quidem casibus, e. g. si adsit alicubi legitima consuetudo dictam unionem sine requisito capituli consensu faciendi, prout tradit Ferraris v. ***Unio n. 39 seqq.:*** adeoque non videtur urgeri posse in themate; quia agitur de unione privilegiata, quae a S. Sede unice fieri potest.

Potius necessitas cathedralis capituli interrogandi posset desumi ex alio Tridentini capite ***sess. 7 de reform, cap. 6,*** ubi cautum legitur uniones viribus carere, « nisi eas ex le-

gifimis causis coram loci Ordinario, ***vocatis quorum interest**** verificandis, factas fuisse constiterit. » Atqui dubitari posset, num capituli in themate intersit, antiquam hanc cathedralem ecclesiam monasterio uniri.

At vero cum sedes translata sit, et ecclesia S. Iacobi in simplicem parochialem redacta reperiatur, credi verosimiliter potest, nullum speciale interesse erga ipsam capitulum posse proferre.

Hisce perpensis propositum fuit diluendum

Dubium

An petita unio concedi possit in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. recognita sub die 15 Septembris 1888 censuit respondere: ***Affirmative, facto verbo cum SSmo.***

EX QUIBUS COLLIGES. I. Etsi beneficiorum seu piarum fundationum uniones in iure reputari soleant odiosae, quia immutatur status eorumdem beneficiorum, subvertuntur fundatorum dispositiones, imminuuntur sacra patrimonia, tamen si adsit necessitas aut evidens utilitas, Apostolica Sedes indulgere solet, ut huiusmodi uniones fiant.

II. Unioni in themate favere utilitatem Ecclesiae et quamdam necessitatem ex penuria Sacerdotum Saecularium ortam, qua laborat Dioecesis illa, Episcopo testante.

AQUÉN.

LIBERATIONIS

Die 18 Augusti 1888.

Per summaria precum

COMPENDIUM FACTI. In pago Fontanile Dioeces*s Aquensis adest quoddam beneficium patronatus laicalis; cui adscriptum est onus quatuor missarum singulis hebdomadis. Patroni, praeter sacerdotem beneficio in vestitum, sunt Carolus Mauritius et Ioseph Prato. Hi autem post mortem actualis beneficiati, tertia parte beneficialis sortis fisco soluta, iuxta

notum civilis legis latrocinium, beneficiariae dotis évadent absolute domini.

Ordinarius retulit quod sacerdos beneficiatus, qui -et patronus et Carolus, post mortem suam disponere nequibunt de quota dotis beneficii, quae eis obveniret, quia aere alieno oberati sunt. Mauritius declaravit soluturum quod proportionaliter spectat pro onerum implemento quando ille aut eius filii consequentur partem dotis sibi debitam ; Ioseph vero,, quartus patronus, cui obveniret pars dotis beneficii, quae aequaret 5000 libellas , hanc pecuniae vim offert, etiam in praesenti, ut Ecclesia paroecialis Fontanile, vetustate indecora, instauretur. Parochialis Ecclesia spondet sese accepturam esse conditiones, quas, quoad hoc, Ordinarius imponat.

Ordinarius autem de precum veritate testificans, usque ab initio commendabat preces, adpromittens, quum beneficium primo vacet, consulturum iuxta leges fundationis ipsius beneficii. Atque alibi, postquam ceterorum patronorum conditiones ac propositum retulisset, ita pariter concludebat : videtur quod oblatio 2000 libellarum excipi possit, quoniam sic in tuto ponitur saltem una dotis beneficii pars, dum Ecclesia paroecialis adpromittit servaturam iussa Ordinarii quoad hoc.

Disceptatio Synoptica.

Porro überaus ac pia dicenda videtur Ioseph Prato propositio, tum eo quia per eam paroeciae necessitati occurri potest, tum quia statim contribuii quod differre diu forte licite posset.

Insuper eadem propositio voluntati fundatoris saltem in sua substantia, cohaerere optime potest ; nam si fabrica ecclesiae , quae Ordinarii mandatis stare spondet , onus suscipiat missarum quotae bonorum adscriptorum respondens, laicalis capellaniae dispositio, saltem pro parte huius patroni salva omnino fieret.

Quibus praemissis, quaesitum est, quomodo preces essent dimittendae ;

RESOLUTIO. Sacra Cong Concilii, revisa, sub die 18 Augusti 1888, censuit respondere: ***Solutis libell. 5000 emissaque renunciatione iuri patronatui, pro gratia petitae liberationis , tributa insuper Ordinario facultate, ut praevio investimento summae capitalis pro annua celebratione missarum 52, reliquam summam investire queat in Ecclesiae fabricam, facto verbo cum SSmo.***

CATACE N.

IURISPATRONATUS

Die 15 Decembris 1888 et 19 Ianuarii 1889.

Sess. 25 cap. 9 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Die 15 Ianuarii 1880 ex violenta morte parochi Octavii Gentile, praeter parochiam, vacabat etiam simplex beneficium S. Iosephi, erectum in ecclesia parochiali loci ***Sersale,*** de patronatu activo et passivo eiusdem familiae Gentile.

Porro duo de familia, nempe Caietanus Gentile Raphaelis filius, et Antonius Gentile filius Alexandri ad beneficium ferre cuperent sacerdotem Felicem Antonium Gentile suum respective fratrem ac nepotem.

At Iacobus Colosimo maritus Mariae Rosae Gentile, et Marianna Talarico vidua Aloysii Gentile eiusque filii dissentiunt; et si ad nominationem deveniendum sit alicuius beneficiati, asseverant, se nequaquam Felicem Antonium Gentile, sed potius sacerdotem Pascualem Ferri esse electuros.

Notandum autem, has duas modo nuncupatas familias de facto detinere beneficii bona, quae forsan civilis legis successionis iure, post mortem parochi Octavii obtinere valuerunt. Etenim occisus parochus frater erat Mariae Rosae Gentile et defuncti Aloysii Gentile.

Patronis itaque non convenientibus, tandem Aprili mense 1886 sacerdos Felix Antonius Gentile ad S. Sedem recurrit petens, ut qua fundatori consanguineus et passive vocatus, ad beneficii possessionem admitteretur.

Remissis precibus ad Episcopum pro informatione et voto, et ut, auditis interesse habentibus, referret super bono oratoris iure, retulit, vera esse quae orator exposuerat; ast interesse habentes, qui bona beneficii possident, responsum istud fecisse: si dominus Felix iura habere iactitat, tribunalia adeat.

Alii vero duo voluntatem suam in sacerdotem Felicem iterum iterumque, datis etiam formalibus litteris, confirmarunt.

Quapropter die 12 Iunii 1886 rescriptum iterum fuit Episcopo ut referret « an patroni parati sint obtemperare in casu sententiae S. C. C. »

Et paulo post cum duo patroni qui nominaverant Felicem insistèrent, aliud prodiit rescriptum nempe : « Episcopo qui enunciati beneficii detentoribus praefigat terminum gd deducenda iura sua, quo inutiliter elapso provideat ad tramitem iuris. »

Disceptatio Synoptica

QUAE ADVERSANTUR SACERDOTI FELICI GENTILE. Adversarii huius presbyteri referunt : Paulum Gentile reliquisse, praeter alia, proprio nepoti Iosepho tres parvos fundos, qui administrarentur ab eo, eiusque descendentibus in perpetuum, cum onere unius Missae in qualibet hebdomada, et celebrandi cum solemnitate festum S. Ioseph: in cuius honore altare erexit in Ecclesia matrici. Disposuit quoque, ut aliis praefertur Sacerdos bonis commendatus moribus, qui a Iosepho descenderet. Aliter descendentes possent eligere sibi benevisum quemque.

Pluries, aiunt, capellaniam hanc collatam fuisse per descendentes a Iosepho usque ad quintam generationem; post quam Sacerdos Felix Gentile nullo obstringitur ligamine consanguineitatis cum e'sdem descendentibus. Referunt etiam ultimum investitum eiusdem capellaniae iuisse parochum Octavium Gentile, qui consilio et opera Sacerdotis Felicis Gentile, barbare necatus est. Qua de re, prosequuntur, si ius habentes ad nominationem alicuius Sacerdotis procedere deberent numquam nominarent presbyterum Felicem Gentile, qui requisitus ab agentibus iustitiae repertus fuit inter duas prostitutas.

QUAE FAVENT SACERDOTI FELICI GENTILE. Contra haec argumenta respondet sacerdos Gentile ostendendo, se in primis ab utroque crimine tum inhonestae vitae, tum intentatae in avunculum Octavium Gentile occisionis, innocentem prorsus existere. Idque propulsât orator, adductis 1. Uteris Episcopi S. Nicastri, quibus fides fit eum laudabiliter in seminario vixisse; 2. attestationibus undecim parochorum Catacensium et loci ***Sersale,*** qui omnes vitam eius et moralem et laudabilem praedicant, ac merae calumniae hominum scelestorum tribuunt accusationes contra sacerdotem Gentile motas, relate ad mortem parochi Octavii; 3. subscriptionibus ssxaginta ex principibus Cataci civibus, qui pariter de oratore et honestatem vitae et constantem de eius innocentia ab impacto crimine opinionem laudant.

Ceteroquin quoad alteram accusationem, satis dixisse sibi videtur sacerdos Felix Gentile, si docuerit, se, coram iudice laico accusatum et in vincula coniectum, libertati tandem fuisse restitutum, eo quod nullum potuerit contra ipsum probari criminis vestigium. De qua re a Cancellario tribunalis Catacensi iuridicum exhibetur testimonium.

Ex parte tandem Curiae Catacensis talia habentur quae et innocentiam a crimine et honestatem vitae in oratore confirmant.

Hoc itaque offendiculo de candidati indignitate amoto, ad aliud orationis caput adstruendum ipse sacerdos Gentile accedit; et contendit se qua passive vocatum, et unicum in familia, praeteriri non posse, sed esse absolute instituendum.

Atque ad effectum recolit in primis fundatoris legem. Siquidem Paulus Gentile, parochus locis Sersale, supplicibus litteris ad Episcopum datis sub die 20 Decembris 1678 proponebat instituere censum emphytheuticum, seu ius patronatus perpetuum pro se suisque haeredibus et successoribus; petiitque ab Ordinario facultatem construendi in Ecclesia paroeciali altare dicandum S. Iosepho; in quo beneficium erigeretur; idque obtinuit. Petiit quoque ut praesentare posset ad hoc beneficium, quemlibet ex consanguineis etiam 14 annis minorem. Item quatenus votorum distinctio haberetur inter successores et patronos, ille praeferendus esset, qui a familia Gentile praesentaretur, et qui natus esset in eodem pago, quamvis minorem suffragiorum numerum consecutus fuisset.

Hanc piam voluntatem Catacensis Episcopus formali decreto diei 26 Martii 1679 recognovit, firmavit ac ratam, habuit; et sic beneficium S. Iosephi sub conditionibus a fundatore positis rite erigebatur.

Fundator autem testamento diei 3 Maii 1709, institutis haeredibus Luca, Ioanne Baptista, Michaele et Antonio, suis ex Octavio fratre nepotibus, nec non Iosepho et Leonardo , ex alio fratre Francisco nepotibus, circa iuspatronatus activum huius beneficii prima et secunda vice diversimode voluntatem propriam pandidit.

At demum supremis quibus decessit tabulis diei 2 Maii 1713, renovata eorumdem haeredum institutione, voluntatem suam tum quoad iuspatronatus activum, tum etiam quoad passivum clarius et cohaerenter magis ad institutionem hisce manifestabat iubendo ut ius praesentandi esset apud suos nepotes Michaelem, Antonium, iosephum et Leonardum; qui nominare valerent quemlibet, eisdem benevisum e sua familia, si adesset, aliter alium quemcumque ad arbitrium.

Ex clara itaque fundatoris lege consequitur, de ecclesiastico beneficio heic agi; et ad id a compatronis esse eligendum clericum, si quis sit, de familia; eumque esse ceteris praeferendum, licet in concursu minora obtinuerit suffragia.

Quae conclusio firmatur ex praxi plusquam saeculari; nam ab initio elapsi saeculi, usque in praesens, ab ipsomet fundatore usque ad compatronos, qui ultima vice ius suum exercuerunt, clericus vel sacerdos de familia Gentile constanter praesentatus, et subinde ecclesiastica ratione institutus invenitur. Hoc orator evincit successivas institutionis bullas ab Episcopis ad rem datas ex ordine proferendo.

Ultimus beneficii possessor, ut de ceteris sileam, fuit ipse parochus loci Sersale Octavius Gentile, qui institutus ab Episcopo fuit ad praesentationem fratrum suorum Brunonis et Aloysii Gentile, reclamante primum, sed consentiente dein ac votum suum aduciente altero consanguineo Felice Gentile.

Atqui sacerdos Felix Gentile est de familia, et insuper praes ntatus nedum a minore suffragiorum numero, sed ab aequali. Siquidem duo suffragia ipse obtinuit aeque ac extraneus sacerdos Ferri. Ergo ex aperta testatoris voluntate videretur admittendus. Passive enim vocatum « non indigere

praesentatione patronorum, sed dici praesentatum per fundatorem » certa doctrina est, ab omnibus recepta, quam fuse tuetur Pitonius ***De contr. patr. alleg. 85 n. 2,*** et Rota ***cor. Pamphil. decis. 99 n. 2.*** Quod a fortiori valere debet in themate, quia sacerdos Gentile et praesentatus fuit a medietate patronorum, et fundator iussit, eum esse admittendum qui sit de familia, quamvis a paucioribus compatronis vocatus.

Tum praesentatum , Sacerdotem Felicem , tum présentantes esse de descendentia et consanguineitate post indagationem de mandato Curiae peractam, dubitari nequit.

Insuper ipse sacerdos Felix Gentile schema genealogicum producit, quod vidit et approbavit curia Catacensis, quo plane demonstratur, oratorem tam ex parte paterna quam ex parte materna coniungi cum Iosepho Gentile, fundatoris nepote atque haerede.

Sed quod magis est, qui ultimi ius patronatum exercuerunt, hi fuerunt, nempe Bruno, Aloysius et Felix Gentile. Porro Felix Gentile avus est oratoris sacerdotis Felicis nominati, et Antonii Gentile nominantis.

Quo circa in hoc puncto neque videtur ab adversariis moveri quaestio; nam ii potissimum iuxta relatas litteras insistunt aut in indignitate sacerdotis Felicis, aut in natura fidecommissaria beneficii, aut demum in quadam interpretatione testamenti, qua contenderent in unum exclusive Iosephum ius patronatus esse cumulatum.

Ex officio tandem animadversum fuit quod cum beneficialium bonorum detentores de facto sint duo patroni, qui oratori adversantur, iam attenta tristi praesentis temporis rerum conditione contingere omnino potest, ut observatione supremae voluntatis testatoris perfectius urgere volendo, tota ipsius fundatoris voluntas in discrimen ponatur, ac pereat.

Quibus praenotatis propositum fuit diluendum

Dubium

An sacerdos Felix Antonius Gentile instituendus sit ad beneficium S. Iosephi in casu.

RESOLUTIO. Sacra Cong. Concilii, re ponderata sub die 19 Ianuarii 1889 censuit respondere: ***Negative et amplius.***

EX S. RITUUM CONGREGATIONE

FORMULA

benedicendi et imponendi scapulare B. M. V.

de Monte Carmelo

ab omnibus adhibenda sacerdotibus facultatem habentibus adscribendi Christifideles Confraternitati eiusdem Scapularis.

f. **Ostende nobis Dñe misericordiam tuam.**
:R). Et salutare tuum da nobis.
f. **Due exaudi etc. . . .** *f.* **Dnus vobiscum.**

OREMUS

Domine Jesu Christe, humani generis Salvator, hunc habitum quem propter tuum tuaeque Genitricis Virginis Mariae de Monte Carmelo amorem servus tuus devote est delaturus, dextera tua sanctifica, ut eadem Genitrice tua intercedente, ab hoste maligno defensus in tua gratia usque ad mortem perseveret: Qui vivis.

Deinde aspergat aqua benedicta habitum et postea ipsum imponat dicens :

Accipe hunc habitum benedictum precans Sanctissimam Virginem, ut eius meritis illum perferas sine macula, et te ab omni adversitate defendat atque ad vitam perducat aeternam. Amen,

Deinde dicat:

Ego, ex potestate mihi concessa, recipio te ad participationem omnium bonorum spiritualium, quae, cooperante misericordia Iesu Christi, a Religiosis de Monte Carmelo peraguntur. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Benef dicat te Conditor coeli et terrae Dens omnipotens, qui te cooptare dignatus est in confraternitatem B. Mariae V. De Monte Carmelo, quam exoramus, ut in hora obitus tui, conterat caput serpentis antiqui; atque palmam et coronam sempiternam haereditatis tandem consequaris. Per Christum D. N. Amen.

Aspergat aqua benedicta.

A. Card. BIANCHI *S. R. C. Praefectus*

Ex Decret. S. R. C. diei 24 Iulii 1888.

LAURENTIUS SALVATI S. R. C. *Secretarius.*

DECRETUM

approbans breviorem formulam benedicendi etc. supra relatam.

Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a SSmo Dno **nostro Leone PP. XIII tributis, ad Instantiam plurium sacerdotum, praesertim Congregationis SS. Redemptoris, suprascriptam breviorem formulam benedictionis et impositionis Scapularis Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo a sacerdotibus adhibendam, qui facultate gaudent adscribendi Fideles Confraternitati eiusdem Deiparae sub enunciato titulo, a Rmo Assessore ipsius Sacrae Congregationis revisam, approbavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 24 Iulii 1888.**

A. Card. BIANCHI S. R. C. *Praefectus.*

(L. S.)

LAURENTIUS SALVATI S. R. C. *Secretarius.*

APPENDIX IL

In qua plura referuntur Decreta S. Rituum Congregationis.

DERTHUSEN.

Sacrarum Caeremoniarum Magister Cathedralis Ecclesiae Derthusensis, ut in recitatione divini Officii ac Missae celebratione omnia iuxta Rubricarum praescriptiones peragantur, a Sacra Rituum Congregatione sequentium Dubiorum declarationem humillime postulavit, videlicet:

Dubium I, Quum iuxta Decretum in una Gerunden, diei 27 Ianuarii 1877 recitandum sit officium de Festo B. M. V. de Guadalupe die 26 Februarii, utpote in Kalendario assignata, etiam anno bissextili quatenus non impedita die 25 eiusdem mensis; quaeritur an hoc in casu elogium huius festivitatis descriptum IV Kalendas Martii anticipandum sit ad V Kalendas vel annuntiandum ipsa IV Kalendas Martii, quando festum iam fuit celebratum?

Dubium II. In permultis Hispaniae Parochiis iuxta ultimum Concordatum existunt Coadiutores amovibiles Ordinarii nutu destinati ad Parochos adiuvandos in Sacramentorum administratione aliisque parochialibus functionibus; quaeritur itaque an huiusmodi Coadiutores in Paroecia, licet ad tempus adscripti, possint et debeant recitare Officium Titularis Ecclesiae Parochialis, vel solus Parochus teneatur?

Dubium III. Quum a Sacra Rituum Congr. decisum fuerit die 12 Novembris 1831: quod *Celebrans in Missa solemni, cum sibi est sedendum ad eos versículos ad quos sibi est inclinandum, caput detegat;* quaeritur an debeat tantum caput detegere ad eos versículos qui cantantur in Choro, vel etiam ad illos qui ab organo supplentur, et recitantur secreto ab assistentibus in Choro?

Dubium IV. Iusta Caeremoniale Episcoporum Lib- I Cap. 18 n. 4: *Si. . . . .quispiam Canonicus superveniat, inchoato iam Officio vel Missa.... statim genuflectit versus Altare parumper orans;* quaeritur an si quis e Choro egreditur ob aliquam necessitatem, et iterum ingrediatur officio perdurante, teneatur ad genuflexionem et orationem toties quoties Chorum ipsum ingrediatur, an tantum prima vice.

Sacra itaque Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum. Magistris, declarare censuit:

Ad I. Servetur praescriptum rubricae Martyrologii Romani.

Ad II. Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam, et detur Decretum in una Oveten. diei di Augusti 1877.

Ad III. Caput semper detegendum.

Ad IV. Orator consulat probatos auctores. Atque ita declaravit. Die 27 Iulii 1878.

SANCTIMONIALIS! ORDINIS VISITATIONIS BEATAE MARIAE VIRGINIS

A Sanctimonialibus Ordinis Visitationis Beatae Mariae Virginis Monasterii Civitatis vulgo ***Paray-le-Monial*** inter fines Dioeceseos Augustodunen. S. R. C. sequentia quaesita pro opportuna responsione fuerunt exhibita, nimirum:

.1. Utrum festum Visitationis quod est proprii Ordinis praecipuum ritu duplici primae classis celebrari ab ipsis possit?

II. An idem festum praestet festis quibuscumque secundae classis v. g. Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. G. quod aliquando in eadem die ac festum Visitationis occurrit?

III. Quotiescumque in eamdem diem 2 Iulii incidat Dominica, ad quam transferenda sit solemnitas SS. Apostolorum Petri et Pauli, debetne Missa solemnis cum cantu de hac solemnitate celebrari ?

Sacra vero Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, sic respondit :

Ad I. Negative, nisi ex speciali indulto.

Ad II. Serventur Rubricae; et quoad Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. detur decretum in una Congregationis Scholarum Piarum diei **26** Martii 1859 ad I.

Ad III. Curent Oratrices ut duae celebrentur Missae, altera Conventualis de Officio currente, altera de translata festivitate. Atque respondit ac servari mandavit. Die 27 Iulii 1878.

SANCTI IACOBI DE CHILE.

Metropolitanae Ecclesiae Sancti Iacobi de Chile Archidiaconus a Sacra Rituum Congregatione insequentis Dubii resolutionem humillime exquisivit, nimirum:

An in Missa Conventuali Dignitates et Canonici ad Confessionem et Benedictionem stare debeant etiam et quando sacris vestibus non sunt induti?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, huic Dubio respondendum censuit: Affirmative iuxta alias decreta. Atque ita respondit. Die 27 Iulii 1878.

SENONEN.

Superior Societatis Sacerdotum Oblatorum a Sacro Corde Iesu et Sancto Edmundo nuncupatae, atque in Senonensi Dioecesi existentis, Sacrae Rituum Congregationi duo sequentia Dubia resolvenda humillime proposuit, nimirum :

Dubium I. Super Oratorium praedictae Societatis, in quo Missae quotidie celebrantur atque asservatur SSmum Eucharistiae Sacramentum, adest locus ad ambulandum destinatus, camera tamen lapidea ac crassa ab Oratorio ipso separatus, cui loco superextructum est cubiculum pro habitatione Novitiorum. Quaeritur an talis locorum dispositio licite servari possit?

Dubium II. in Coemeterio Paroeciae Sacellum funebre eiusdem Societatis sic ordinatur: in crypta loculi mortuorum ita disponuntur, ut sursum in Sacello proprie dicto a crypta camera separato extet altare ubi aliquando Missa celebratur. Quaeritur an licitum sit in hoc altari sacrosanctum Missae Sacrificium peragere quamvis in linea recta sint cadavera in crypta, quae est ab Oratorio prorsus separata?

Sacra porro eadem Congregatio, audita relatione a subscripto Secretario facta, atque inspecto etiam locorum typo, utrique Dubio rescribendum censuit: Affirmative. Atque ita rescripsit. Die 27 Iulii 1878.

BERGOMEN.

Canonicus Primicerius Cathedralis Ecclesiae Bergomensis a S. R» C. humillime exquisivit:

I. An quotiescumque tempore Quadragesimae ex speciali Indulto recitatur in Choro die Dominica post Vesperas et Completorium Matutinum cum laudibus insequentis Feriae II, ad preces feriales ac suffragia Sanctorum standum sit sicuti in antiphona feriali B. M. V. in diebus Dominicis?

II. Obtento nuperrime a praefata Cathedrali Ecclesia Indulto celebrandi extrinsecum festum in honorem Sacratissimi Cordis Iesu Dominica proxima feriae VI post Octavam SSmi Corporis Christi insequentis cum omnibus Missis tum solemni tum lectis illius propriis, utrum liceat eiusmodi Indultum acceptare quoad Missas lectas tantum, ne duae Missae solemnes in Choro cani debeant?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario atque audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, sic declarare censuit :

Ad 1. Negative.

Ad II. Attenta praxi in eiusmodi indultis a S. Sede concedendis, non licere. Atque ita declaravit. Die 3 .\ugusti 1878.

BELLUNEN. ET FELTREN.

Rme Due uti Frater. Quum Amplitudo Tua anceps haereat utrum ista Cathedralis Ecclesia Bellunensis nova indigeat consecratione, non tantum ob reparationem novissime ibidem peractam, sed ob defectum alicuius monumenti, quo indubie constet in sua prima dedicatione ritum praescriptum fuisse servatum, a Sacra R. C. opportunam in casu petiit declarationem.

Sacra porro eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, auditoque altero ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, censuit supradictam Cathedralem Ecclesiam omnino esse consecrandam, attamen nulla facta immutatione diei pro eiusdem Dedicationis anniversario peragendo, quod eliam in posterum Dominica II post Pascha celebrandum est.

Romae die 1$ Augusti 1878.

Rmo Dno uti Fratri
Episcopo Bellun. et Feltren.

SYRACUSANA.

Rev. D. Blasius Bellasai Archidiaconus Ecclesiae Collegiatae sub titulo Annuntiationis Deiparae in oppido vulgo ***Comiso,*** inter limites Archidioeceseos Syracusanae, quum a suo Archiepiscopo prohibitus fuerit stolam deferre extra jsacramentorum administrationem, Sacrorum Rituum Congregationem adiit humillime petens, ut, attenta antecessorum suorum consuetudine, qui stolam semper tamquam insignia propriae dignitatis habuerint in supradicta Collegiata Ecclesia, huiusmodi privilegium sibi suisque successoribus retinendum declararet.

Sacra porro eadem Congregatio, audita sententia Rmi Archiepiscopi Syracusani de informatione et voto requisiti, ad relationem subscripti Secretarii, ita declarare censuit: Attenta consuetudine Archidiaconus in processionibus tantum utatur stola si absit Archipresbyter. Atque ita declaravit ac rescripsit. Die 26 Novembris 1878.

MACERATEN.
ET TOLENTINEN.

Hodiernus Plebanus Castri Colmorani in Dioecesi Maceraten. et Tolentinen. aegre ferens quod Sodalitas a SSmo Eucharistiae Sacramento apud Ecclesiam Parochialem erecta ius ei deneget sese ingerendi in erogandas oblationes atque eleemosynas, quas sodales quaeritare solent vel intra ipsam Ecclesiam vel per fines Paroeciae, quaeque impenduntur sive ad sacras supellectiles in Ecclesiae usum comparandas, sive ad divini cultus decorem augendum, a Sacra Rituum Congregatione declarari humillime exquisivit: An Confraternitas vel Parochus ius habeat in administratione eleemosynarum recollectannr* in Ecclesia Parochiali; et quatenus Parochus ius habeat, an Confraternitas possit administrare independenter a Parocho eleemosynas quas petiit in ditione Paroeciae et univit usque nunc eleemosynis recollectis in Parochiali Ecclesia in suffragium animarum Purgatorii ?

Sacra porro Rituum Congregatio, attenta informatione Rmi Episcopi Maceraten. et Tolentinen., ad relationem subscripti Secretarii* sic in casu declarare censuit: Esse

in facultate Rmi Episcopi ut pro sua prudentia rei consulat ad tramites Institutionum Benedicti Pp. XIV (c. V. g. V.). Atque ita declaravit ac rescripsit. Die 26 Novembris 1878.

SENEN.

Ab hodierno Directore Kalendarii pro divino Officio persolvendo sacroque celebrando in Archidioecesi Senensi Sacrorum Rituum Congregationi sequens propositum fuit Dubium pro opportuna declaratione, nimirum:

Quum tempore Paschali administrandum est SSmum Eucharistiae Sacramentum, ante vel post Missam de Requie, debent ne dici Oratio et versiculi de tempore, atque ***Alleluja?***

Sacra porro Rituum Congregatio, re accurate perpensa, ad relationem subscripti Secretarii, sic declarari censuit: Affirmative quoad Orationem et Versículos; negative quoad ***Alleluja.*** Atque ita declaravit. Die 26 Novembris 1878.

GORITIEN.

Magister Sacrarum Caeremoniarum Ecclesiae Metropolitanae Goritien, a Sacra Rituum Congregatione quae sequuntur humillime exquisivit, nimirum :

I. In Ecclesia Metropolitana Goritien, inducta fuit hisce postremis annis feria 3?I in Parasceve Processio intra muros ipsius Ecclesiae cum Reliquia SSmi Ligni Crucis D. N. I. C, quae defertur sub baldachino, thuriferario praecedente, cum sacris ministris nigris paramenta indutis. Quaeritur an haec Processio licite continuari possit?

II. Sodalitas nuncupata a ***Subsidiis*** pro Presbyteris indigentibus ibi iamdiu existens habet tamquam Patronum Sanctum Ioannem Nepomucenum, hinc die 16 Maii celebrat festum patronale, cui concessa fuit a Summo Pontifice plenaria Indulgentia. Quaeritur an possit in Ecclesia Metropolitana, in qua adest altare laterale eidem Sancto dicatum, una Oratio dici et ***Credo,*** an vero debeat Missa haec solemnis tractari sicut Missa privata illius diei?

Et Sacra Rituum Congregatio, audita relatione subscripti Secretarii, respondit:

Ad I. Affirmative, quatenus Processio non sit intra Officium et Missam, sed sit extraliturgica.

Ad* II. Si Sodalitas erecta sit in ipsius Ecclesiae Cathedralis altari de S. Ioanne Nepomuceno eiusdem Patrono, tunc cantetur Missa solemnis cum unica oratione et ***Credo,*** secus vero cantetur eodem modo quo Missae privatae celebrantur. Atque ita respondit ac rescripsit. Die 26 Novembris 1878.

TURONEN.

In Archidioecesi Turonensi, velut iri aliis quibusdam dioecesibus per

Galliam, ex non legitima interpretatione Indulti lati a Cardinali Caprara legalo a latere pro reductione festorum die 9 Aprilis 1802, in omnibus fere Ecclesiis parochialibus habiti fuerunt velut Patroni Sancti Titulares earumdem Ecclesiarum, quorum festa proinde transferuntur cum Missa solemni ad insequentes Dominicas.

Porro difficile admodum esset Clerum et Fideles adducere ut invectam hanc praxim deponant, siquidem Titularium festa communiter Festa patronalia nuncupantur. Quapropter optime noscens Archiepiscopus Turonensis id non recte concordare cum Decreto sa. me. Urbani Papae VIII, nec cum sanis principiis de Festis Titularium, nec tandem cum praescriptis in memorato Indulto Cardinalis a latere Legati, Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII enixe erogavit ut elargiri dignaretur Indultum, cuius vigore in qualibet Ecclesia Archidioecesis Turonensis, quae nullum habet patronum loci suae Parochiae a proprio Titulari distinctum, agi valeret Festum Titularis eo modo quo Festum Patroni recolitur.

Sacra porro Rituum Congregatio, re accurate perpensa, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem SSmo Domino Nostro tributis, ita hisce precibus rescribere censuit : Pro gratia, quatenus Patronus, non sit particularis oppidi; dummodo tamen non vigeat consuetudo honorandi Patronum Dioeceseos. Atque ita rescripsit et indulsit. Die 26 Novembris 1878.

IACEN.

Episcopus Iacensis exposuit Sacrorum Rituum Congregationi in sua Cathedrali Ecclesia hunc usum obtinere, quo Cantores in Invitatorio, postquam, expleto cantu **R).** ***Gloria Patri,*** Chorus partem Invitatorii de more respondit, integrum invitatorium ipsi decantent absque responsione Chori. Iamvero quum hic mos videatur oppositus aliarum Ecclesiarum usui, in quibus Invitatorium in ultima vice partim a Cantoribus et partim a Choro repetitur ita ut Chorus ipse cantum illum absolvat, idem Episcopus ab eadem Sacra Congregatione humillime exquisivit: An talis usus Cathedralis Ecclesiae Iacensis servari licite valeat,?

Sacra porro Rituum Congregatio, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem subscripti Secretarii, ita respondere censuit: Servetur usus. Atque ita respondit. Die 26 Novembris 1878.

SANCTI CLAUDII.

Rmus Dnus Ludovicus Anna Nogret Episcopus Sancti Claudii Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia solvenda humillime exhibuit, nimirum:

Dubium I. Peractis annis solemnitas S. Claudii Episcopi, Patroni Civitatis Episcopalis et Dioeceseos, in Dominicam proxime sequentem in gratiam Fidelium (ad normam instructionis Card. Caprara A. D. **1802)** translata fuit, etiam in locis ubi solemnitas Patroni Peculiaris simili ratione agi debuit et reipsa agitur. Quaeritur ergo utrum solemnitas S. Claudii in locis debeat aut possit ita transferri?

Dubium II. Ecclesiae Cathedralis S. Claudii Titulares sunt ex aequo et pari ratione SS. Apostoli Petrus, Paulus et Andreas. Hucusque tamen Festum S. Andreae celebrari consuevit sub ritu duplici II. classis sine octava. Quaeritur utrum debeat celebrari in dicta Cathedrali sub ritu duplici primae classis cum octava?

Dubium III. Quaeritur etiam utrum in Ecclesiis non consecratis debeat Ecclesiarum omnium Dedicatio celebrari sub ritu duplici primae classis cum octava in Dominica **2** Nov. (ex instructione Card. Caprara supra memorata pro Gallus data).

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, auditaque relatione subscripti Secretarii, hisce Dubiis rescribere rata est:

Ad I. Negative.

Ad II. et III. Affirmative. Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die **20** Novembris **1878.**

PLATIEN.

Beatissimo Padre

« Monsignor Francesco Gerbino Vescovo di Piazza domanda umilmente risposta al seguente quesi to :

Si domanda se si possa riprodurre in legno una statua che fin dal **1872** si venera in Boviafranco dalla Pia Unione eretta canonicamente sotto it titolo di Nostra Signora del Sacro Cuore che la rappresenta conforme al tipo venerato in Issoudun , ovvero debbasene esporre una nuova simile all' altra forma approvata con decreto del **29** Aprile **1875** dalla sa. me. di Papa Pio IX? »

Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, audito Rmo Assessore ipsius Sacrae Congregationis ad quaesitum, uti supra expositum, respondit: Iuxta mentem Decreti S. Romanae et Universalis Inquisitionis non licere nisi secundo modo. Atque ita respondit. Die **29** Novembris **1878.**

ANDEGAVEN.

Quum a Sacerdote Eugenio Falour Professore in Collegio vulgo nuncupato ***Institutum S. Ioseph*** oppidi ***Bauge*** intra fines Dioeceseos Andegaven. a Sacra Rituum Congregatione quaesitum fuerit: An a Collegii Ecclesiastici Professoribus adiungenda sit ad Vesperas et Laudes suffragiis communibus Comme-

morâlio Patroni Loci in cuius territorio situm est Collegium?

Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, respondit : Servetur Decretum in una Brugen. diei 12 Septembris 1840, ad Dubium Iii. Atque ita respondit ac declaravit Die 29 Novembris 1878.

MARIANOPOLITANA

Rmus Dnus Eduardus Fabre Episcopus Marianopolitanus Sacrae Rituum Congregationi exposuit: Oratorium principale Maioris Seminarii Dioecesani formam Ecclesiae praeferens quatuordecim abhinc annis consecratum fuisse ; ex quo tempore non solum singulis per annum Dominicis testisque diebus officia liturgica solemniter in eo cantari consueverunt adstante et cooperante Clericorum coetu, sed etiam Titularis et anniversarium Dedicationis eiusdem Oratorii sub ritu duplici primae classis cum octava quotannis ab omnibus Sacerdotibus, Diaconis et Subdiaconis eidem Seminario adscriptis approbante Ordinario fuerunt celebrata. Nuper vero quum in dubium vocata sit legitimitas celebrationis utriusque praefatae festivitatis eo quod extraneis non pateat indiscriminatim eiusdem Oratorii ianua, ac proinde iuxta nonnullos illud recensendum videatur intra Oratoria privata de quorum Titulari ac Dedicatione nemini licet officium recitare, ab eadem Sacra Rituum Congregatione, ipse Rmus Episcopus declarari postulavit : Utrum ab initio recte fuerit introducta celebratio Festi Titularis et Dedicationis supradicti Oratorii?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, accurate re perpensa sic declarare censuit: Dummodo reapse 0-ratorium fuerit consecratum et non simpliciter benedictum, celebrandum esse Officium tam Sancti Titularis, quam Dedicationis. Atque ita declaravit ac rescripsit. Die 29 Novembris 1878.

MILWAUKIEN.

Quum a Sacerdote Fayan Professore in Seminario Milwaukiensi Sacrae Rituum Congregationi sequens subiectum fuerit Dubium pro opportuna resolutione, nimirum;

Cum multis in locis illius regionis mos invaluerit omittendi aspersionem aquae benedictae in Dominicis etiam ante Missam principalem vel parochialem non cantatam, quaeritur utrum haec consuetudo servari possit?

Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, sic respondendum censuit: Benedictio de qua agitur praescripta tantum est ante Missam Conventualem, quando haec celebratur cum cantu et ministris. Atque ita respondit. Die 9 Decembris 1878.

TARANTASIEN.

Rmus Dnus Carolus Franciscus Turinaz Episcopus Tarantasien. Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna declaratione quae sequuntur humillime proposuit, nimirum:

Yi indulti Apostolici diei 30 Iulii 1863, in Ecclesiis Dioeceseos Tarantasien. tribus vicibus in qualibet hebdomada, occurrente licet ritu duplici, cani valent Missae de Requie exclusis tamen duplicibus 1 et 2 classis, festis de praecepto servandis, feriis, vigiliis octavisque privilegiatis. Indultum simile viget in ceteris Sabaudiae dioecesibus, sed quum eadem non sit in omnibus illius interpretatio, quaeritur:

I. Utrum liceat cantare Missam de Requie tribus diebus ritus duplicis, etiamsi in hebdomada festa ritus inferioris inveniantur?

Utrum eodem die ritus duplicis, plures Missae de Requie cantari valeant in eadem Ecclesia?

Sacra Porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii ad utrumque quaesitum rescribere censuit: Affirmative. Atque ita rescripsit ac declaravit. Die 18 Decembris 1878.

OVETEN,

Rmus Dominus Benedictus Sanz y Fores Episcopus Oveten. sequentis Dubii resolutionem a Sacra Rituum Congregatione humillime exquisivit, scilicet :

Regularibus e suis monasteriis a civili Gubernio expulsis, ad nonnullas eorum Ecclesias, translat ae sunt Parochiae, iisdem in locis existentes, eo quod ad populi servitutem commodiora videbantur templa Regularium, antiquis Ecclesiis parochialibus tamquam publicis Capellis remanentibus. Novae Parochiales Ecclesiae titulo antiquarum appellantur, et in nonnullis Imago Titularis a priori, templo translata in loco principaliori collocata est. Quaeritur itaque an teneantur Parochi ad officia tam Titularis seu Patroni Paroeciae, quam Ecclesiae Regularis nunc Parochialis sub ritu duplici primae classis cum octava?

Sacra vero Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, sic rescribendum censuit: Negative ad primam partem: sed si translatio Parochiarum facta fuerit in perpetuum tum supplicandum SSmo pro concessione utriusque Titularis veteris et novae Paroeciae; Affirmative ad secundam partem. Atque ita rescripsit ac declaravit. Die 20 Decembris 1878.

GNESNEN. ET POSNANÍEN.

Emus et Rmus Dnus Cardinalis Miecislaus Ledochowschi Archiepiscopus Gnesnen, et Posnanien. sequentia duo Dubia Sacrae Rituum Congregationi declaranda proposuit nimirum :

Dubium I. Missam privatam in altari maiori illo tempore quo in Choro Horae Canonicae dicuntur, Decreta Sacrae Rituum Congregationis celebrari prohibent: quaeritur an sub denominatione Horarum Canonicarum etiam Officium Defunctorum in casu intelligatur?

Dubium II. Et quatenus affirmative, an haec prohibitio extendatur ad illas Ecclesias in quibus proprie dictus Chorus non invenitur, sed diversi sacerdotes occasione funerum congregati Officium Defunctorum in communi recitent?

Sacra porro eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audita etiam in scriptis sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, utrique Dubio rescribere censuit : Affirmative. Atque ita rescripsit ac declaravit. Die 20 Decembris 4878.

AMERICAE SEPTEMTRIONALIS

Sacerdos Ioseph Maria Finotti in civitate vulgo *Colorado* Americae Septentrionalis degens exposuit Sacrae Rituum Congregationi quod invitatus ad excipiendam votorum religiosorum renovationem Sororum a Sancto Iosepho nuncupatarum invenerit in eiusmodi functione, hunc obtinere morem, quo, scilicet, antequam singulae Sorores SSmam Eucharistiam recipiant, votorum formulam emittant, ita tamen ut unaquaeque prius formulam ipsam recitet, deinde SSmum Sacramentum statim sumat; stando interea Sacerdote sacram hostiam in manibus tenente, ante altaris septa. Quum hic mos irregularis sibi visus fuerit, satius putavit illum sequi qui alibi servatur, iuxta quem Sacerdos dicto *Misereatur....* et *Indulgentiam....* ad altare conversus expectat usque dum omnes Religiosae votorum formulam protulerint : hoc autem actu expleto et dicto *Domine non sum dignus,...* SSmam Eucharistiam distribuit. Iamvero praedictus Sacerdos scire cupiens quid hac in re tenendum sit, eamdem Sacram Rituum Congregationem adiit solutionem sequentium Dubiorum humillime expostulas, nimirum :

I. An liceat accipere renovationem votorum primo modo?

II. An propria ratio sit ea quam ipse sequutus est?

III. Et quatenus nulla sit propria, quaenam sit admissa approbata ratio recipiendi emissionem aut renovationem votorum?

Sacra vero Rituum Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, audita sententia inscriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis sic respondendum censuit :

Ad I. Non licere, et modus in casu prorsus eliminandus.

Ad II. Convenientius extra Missam, et tantum in Missa tolerari, quatenus formula renovationis vo-

torum elata voce pronuncietur ab una ex Monialibus ratihabita mentaliter a ceteris.

Ad III. Provisum in praecedenti. Atque ita respondit ac servari mandavit. Die 10 Ianuarii 1879.

CENETEN.

Sacerdos Angelus Fassetta Vicarius Foraneus loci vulgo de *Latrano* in Dioecesi Genetensi Sacrae Rituum Congregationi sequentia exposuit, ab eaque resolutionem humillime petens, nimirum:

Occasione Parochorum Conventuum qui quotannis, sicut Dioecesana Synodus praescribit, habentur modo in una, modo in altera huiusce foraneae Congregationis Ecclesia, decantatur iuxta antiquam consuetudinem Missa de Spiritu Sancto etiam in Duplicibus, non vero I. et II. classis cum *Gloria, Credo* et *Ite Missa est.* Peracta Missa solemni, cantantur Vesperae Defunctorum quamvis media dies nondum transierit. Consuetudines, de quibus supra, locum habent etiam in nonnullis aiiis huiusce Dioeceseos foraneis. Quaeritur num huiusmodi ritus, quoad scilicet Missam et Vesperas, servari possit?

Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, re mature perpensa, in casu censuit: Affirmative quoad Missam de Spiritu Sancto: quoad vero Vesperas, Negative, et recitari poterit Nocturnum Defunctorum. Atque ita rescripsit Die 10 Ianuarii 1879.

CLUNIEN.
SEU
PRIORATUS ORDINUM MILITARIUM

Rvme Dne uti Frater.

Exposuit A. T. huic Sacrorum Rituum Congregationi in ista Civitate Cluniensi ab immemorabili tempore consuevisse Dominica Palmarum in Senatus aedibus benedici ramos Palmarum, idque fieri in Sessionum aula (sacellum quippe desideratur) ab uno ex Parochis, adstantibus ceteris ex Parochiali Clero. Nunc vero cum Parochialis Ecclesia Sanctae Mariae eiusdem Civitatis in Episcopalem nuper erecta sit, dubium exortum est num huiusmodi consuetudo Palmas benedicendi in aula profana retineri debeat ac possit, et utrum Episcopus intuitu eiusdem consuetudinis Parochos omnes civitatenses nec non Parochialem Clerum habere debeat excusatos ab interessendo benedictioni quae ab ipso in dicta Ecclesia peragenda est cum Canonicorum Capitulo, Beneficialis ceterisque de clero Cathedralis Ecclesiae. Relatis itaque a subscripto Secretario his postulatis Sacrae Rituum Congregationi, Sacra eadem Congregatio, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, A. T. edocendam esse censuit, enunciatam consuetudinem benedicendi Palmas in aula profana neque debere neque posse retineri, et nullimode Episcopum posse

cogere, sed tantum Parochos et parochialem Clerum adhortari ut intersint benedictioni Palmarum ab ipso peragendae. Etenim Rubricae tum Missalis tum Caeremonialis non alium locum praescribunt ad praefatam functionem faciendam nisi Ecclesiam; quod si ibidem forte illa perfici non posset, potius omittenda foret. Praeterea eadem functio non est propria exclusive Cathedralis prouti est Oleorum Consecratio Feria V in Coena Domini, ac proinde Parochorum ac Parochialis Cleri adsistentiam minime exigit; imo ex Decreto Generali die 10 Decembris 1705, nec functiones omnes Maioris Hebdomadae sunt de iure Parochiali, quippe etiam a Sacerdotibus non Parochis et in aliis Ecclesiis fieri possunt.

Romae 10 Ianuarii 1879.

Rmo Dno Uti Fratri
Victoriano Guisasola y Fernandez Episcopo Dorensi Priori Ordinis Militarium in Hispanus.

IACEN.

Inter Dubia quae a Sacra Rituum Congregatione per Decretum diei 30 Ianuarii 1878 resoluta fuere, sequens habebatur scilicet: An Parochi seu Archipresbyteri Iacensis Dioeceseos nempe locorum nuncupatorum *Giarre, Piedimonte Etneo,* et *Riporto* ex Messanensi Dioecesi avulsorum in Ecclesiasticis functionibus mantelletto violaceo atque annulo gemmis ornato uti possint; et utrum ipsi in Missa solemni adhibere valeant quatuor Ministros *Dalmatica ac Tunicella* indutos?

Quum autem Sacra eadem Congregatio huic Dubio rescripsisset: Negative ad I partem; dilata, et audiatur Magister Caeremoniarum quoad U; praefati Parochi seu Archipresbyteri institerunt pro difinitiva secundae partis enunciati Dubii declaratione.

Hinc Sacra Congregatio, audita relatione subscripti Secretarii, omnibus in casu maturo examine perpensis, sic declarare ac rescribere rata est: In decisis iuxta Decretum diei 28 Iulii 1876, id est: Negative in omnibus, et Oratores pareant decisionibus Sacrae Rituum Congregationis. Atque ita declaravit ac rescripsit. Die 24 Ianuarii 1879.

URBIS.

Inaugurandum cum esset anno 1877 Altare in hypogaeo Eudoxianae Basilicae noviler substructum ad custodienda sacra Principis Apostolorum vincula, exortum est dubium : an illud consecrandi ius Eminentissimo Cardinali Ecclesiae Titulari spectaret, an potius Eminentissimo Cardinali Urbis Vicario. Pius sa. me. Papa IX quaestionem diiudicandam commisit quatuor Cardinalibus Episcopis Suburbicariis: interim vero, instante festivo consecrationis die, conventum est,

consecrationem, ratione possessionis, a Cardinali Titulari peragendam ; hinc dilata fuit Dubii solutio.

Summus vero Pontifex Leo divina providentia Papa XIII animo reputans conveniens esse ea exequi quae provida deliberatione Praedecessor statuerat, ac peropportunum omnino fore super exercitio actus praedictae iurisdictionis omnem deinceps dubitandi locum praecludi, Eminentissimo Cardinali Sacri Collegii Decano mandavit, ut quamprimum indicta particularis Congregatio haberetur.

Quatuor praeterea Eminentissimis Episcopis Suburbicariis adiungere dignatus est Eminentissimum Cardinalem Bartolini Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum, loco etiam et vice Eminentissimi €ardinalis Episcopi Tusculani infirmi.

Die itaque vicesima quinta Ianuarii cQmmuni consensu convenerunt in Aedes Eminentissimi Cardinalis Sacrorum Rituum Congregationi Praefecti, Eminentissimus Cardinalis Di Pietro S. Collegii Decanus et Episcopus Veliternus et Ostiensis, Eminentissimus Cardinalis Sacconi Episcopus Portuensis, Eminentissimus Cardinalis Bilio Episcopus Sabinensis, Eminentissimus Cardinalis De Luca Episcopus Praenestinus una cum Eminentissimo Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, et eiusdem Congregationis Secretario : qui omnes post maturum examen, et accuratissimam discussionem super vota, et elaboratas fusasque consultationes, quas hinc inde exaraverant tum Sacrorum Canonum Doctores, tum Sacrarum Caeremoniarum Magistri: sequenti Dubio: Utrum in Ecclesiis tituli Cardinalitii ius consecrandi Altaria spectet Eminentissimis Cardinalibus earumdem Titularibus, vel potius Eminentissimo Cardinali Urbis Vicario? unanimi suffragio responderunt : Affirmative ad primam partem: Negative ad secundam.

Facta autem de omnibus relatione Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII a subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario in audientia diei 30 Ianuarii 1879, Sanctitas Sua responsum Eminentissimorum Cardinalium super proposito Dubio ratum habuit et auctoritate sua confirmavit ac evulgari mandavit.

SOCIETATIS SANCTISSIMI SACRAMENTI.

A Rmo Procuratore generali resolvenda Sacrae Rituum Congretioni humillime exibibita fuerunt, nimirum :

Dubium I. Utrum quando concurrunt duo festa Dedicationis Ecclesiarum, in secunda Postcommunione verba ***Quem nomini tuo indigni dedicavimus*** servanda sint?

Dubium II. Utrum, durante ex-

positione Augustissimi Sacramenti, officium pro Defunctis recitari vel cantari liceat in Choro?

Dubium III. Utrum quoties detur benedictio SSmi Sacramenti cum ostensorio, tempore paschali cereum paschalem toties accendere liceat?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, hisce Dubiis accurate perpensis rescribere rata est:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative.

Ad III. Negative. Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 8 Februarii 1879.

ATUREN. ET AQUEN.

Quum Rmus Dnus Petrus Delannoy Episcopus Aturen, et Aquen. a Sacra Rituum Congregatione humillime expetierit utrum iuxta necessitatem sibi liceat reducere in Ecclesiis maxime pauperibus Dioeceseos sibi commissae ad duodecim tantum numerum candelarum quae ardere continuo debeant ante SSmum Sacramentum publice expositum pro perpetua adoratione ; Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, rescripsit: Affirmative , ad tramitem Institutionis 30 n. 24 sa. me. Benedicti Papae XIV. Atque ita rescripsit. Die 8 Februarii 1879.

LITTERAE Sanctissimi D. N. Leonis XIII ad Praesidem Reipublicae Aequatoris, quibus gratulatur de huius studio erga religionem catholicam.

Dilecte Fili, Nobilis et Illustris Vir,
salutem et Apostolicam Benedictionem.

Eximia pietas tua et studium quo flagras, ut religionis salutaris vis latius promanet in eos, qui istam, cui praees, regionem incolunt, praeclare enitebant in iis litteris, quas pridie nonas Octo» bris ad Nos dedisti. His equidem mirifice delectati sumus, eoque iucundius, quod animi sensus et petitiones in iis explicatas non abs Te uno profectas intelleximus, sed et ab utroque Ordine Amplissimo, penes quem legum iubendarum potestas est. Quare incertum Nobis non erat, iis litteris sensus exprimi, voluntatem et vota nationis universae. Hoc autem commune studium ut per Vicariatus Apostolicos in plagis Amazonicis constitutos Christi regnum amplificetur in terris, non. minus Nobis solatio est, quam decori Vobis et laudi. Perspicuam namque apertam que facit vivam quae viget in populo fidem, simulque in Te aliisque, qui summae rei praesunt pietatem prudentiae coniunctam, parem gravitati muneris et excelso honoris gradui quem obtinetis. Ac sane nihil dignius Christianis Viris et sapientibus civitatis moderatoribus, nihil pariter rei publicae utilius, quam sedulam dare operam, ut ingens hominum multitudo, quae propinqua vestris urbibus et oppidis accolit, excussis ignorantiae tenebris, et posita agresti asperitate morum, luce illustretur evangelicae doctrinae, ac simul humano civilique cultui assuescat. Propterea Tibi, Dilecte Fili, Nobilis et Illustris Vir, dubitandum non est quin pro eo ac debeamus, plurimi faciamus desiderium tuum, adeoque petitiones tuis comprehensae uteris, praecipuas curas Nostras ad se converterint. Equidem iam mandavimus prudentibus lectisque viris, quorum opera consilioque in huiusmodi negotiis utimur, ut illuc studia sua conferant, optimam quaesituri rationem qua ea res commode riteque valeat expediri. Nos itaque laeta spes tenet et eventura feliciter quae in optatis habes, et rem prospere sciteque gestam fructus daturam salutis uberrimos. Imo neque Tibi populoque cai praesides benefacti credimus defutura praemia. Eae namque sylvestres tribus earumque posteritas, quum ope vestra exuerint feritatem pristinam , et cum religione omnes acceperint humanitatis artes, facere non poterunt quin gratias Vobis habeant immortales, tantique mercedem muneris

Vobis adprecentur et impetrent a. summo bonorum largitore Deo. Interim Tibi, Dilecte Fili, Nobilis et Illustris Vir, gratulamur ex animo quod religioni studens eam inieris viam quae ad veram ducit solidamque gloriam; ac certa fiducia nitimur, Te nunquam tui dissimilem fore, Teque ipsum constanter praestiturum Ecclesiae tam obsequentem filium, quam paratum ad officia adiutorem. Demum paternae caritatis testem apostolicam Benedictionem tibi, duobus publicis Conciliis et universo populo, cui praees peramanter impertimus.

Datum Romae apud s. Petrum die 30 Ianuarii 1889, Pontificatus Nostri Undecimo.

LEO P. P. XIII.

LITTERAE Antonii Flores Aequatorialis Reipublicae Praesidis ad Rom. Pontificem Leonem XIII.

Inter praecipuas curas, quae banc Aequatoris Rempublicam continenter distinuerunt, ea profecto fuit, sedulam videlicet navare operam, ut innumerae pene Tribus, eaeque barbarae, quae dissitos vastosque Amazonici territorii saltus incolunt (haec Reipublicae pars est infeliciter adhuc inculta), Evangelio salutis, civilibusque moribus instruerentur. Huic scopo tam humano, quam Christiano, rite assequendo, publicum aerarium nostrum, satis tenue, nulli pepercit impensae, ut RR. PP. Dominicam, et lesuitae, ac piae Sorores a Bono Pastore nuncupatae, stabilem flxamque in iis regionibus stationem haberent. Horum adeo proficuorum conatuum fructus enimvero sunt in Ñapo, Canelas et Macas florentes Missiones: ubi propter assiduam evangelicorum Operariorum praedicationem, puerorumque utriusque sexus scholas, christianus civilisque cultus in dies propagatur ac perficitur, quum ibi hactenus ignorantia et barbaries obtinuerit.

Summi hodieque Reipublicae Adminisiratores, quoad ad ipsos spectat, operam totis viribus, atque efflcaciori quo possint modo, conferre excupiunt, ut quam citissime in omnes sibi subditos populos, in iis remotis efferisque regionibus degentes, sancta nostra catholica fides diffundatur. Huius rei gratia equidem ad S. Sedis benignitatem confugio, ut partem, sui Apostolici Thesauri in illos extorres Americae filios, quos dociles Crucis adoratores brevi fore speramus, large impendat atque effundat.

Sanctitatem ergo vestram, adprecor, ut iuxta hic complicatam Legem, in ultimo Moderatorum Reipublicae nostrae Conventu editam, haec, quae postulo, beneficii gratiaeque causa concedat. Primo quidem ut universum Aequatoris orientale territorium in hosce quatuor Vicariatus dispescatur: 1. Napen. 2. Canelasen. et Macasen. 3. Mendesin. et Gualaquiran. 4. Zamoren.

Secundo autem ut, remanente duorum priorum cura, quemadmodum in praesenti, penes RR. PP. Jesuítas ac Dominicanos, tertius Vicariatus, Scil. Mendesin et Gualaquiran. Patribus piae Societatis Salesianae a R. D. Bosco, cuius memoria in benedictione est, institutae ; et quartus scilicet Zamoren. RR. PP. Franciscalibus, qui recens ibi in urbe Loia stabile domicilium elegerunt, concredantur. Tertio ut, excepto Napensi, cuius RR. PP. Societatis Iesu •curam gerunt, reliqui tres Vicariatus S. Congregationi a Propaganda Fide proxime subiecti consistant, ac beneficis prudentibusque ecclesiasticis legibus, quibus Sacrae Missiones tam excellenti Patrono subditae regi solent, prorsus obnoxii. Quarto denique ut Vicarii Apostolici munus in iis regionibus fungendum, Operariis Evangelicis dignitate Episcopali (quae procul dubio ob Sacerdotalium charismatum, quibus fruitur, plenitudinem, Apostolico muneri potestatem tribuit, auctoritatemque, cui vix obsisti potest) praeditis semper conferatur.

Equidem firmiter spero fore ut Sanctitas vestra expetitas gratias amplissime concedere dignetur: profecto enim haud renuet Sedes Apostolica ad Aequatoris regiones assiduam illam charitatem extendere, qua semper quidem, praesertim vero hisce nostris temporibus, omnes populos amplectitur, ut eos in Christianae fidei admirabile lumen et humani cultus splendorem adducat.

Huiusmodi capta occasione, per honorifica laetitia afficior, humile sanctitati vestrae venerationis meae speciatim tributum exhibendo, cautionemque ut catholicus Magistratus populi, qui item catholicus est, me nullam unquam rationem praetermissurum meam erga sanctam catholicam Ecclesiam filialem reverentiam patefaciendi, devotionemque, qua, Sanctissime Pater, mihi honori fortunaeque tribuo me esse Sanctitatis Vestrae,

Quitoae : Ex Aedibus Reipublicae die 6 Octobris 1888.

Obedientissimus filius
A. Flores

Franciscus S. Salazor.

DECRETUM Collegii Quitoaní Legibus ferendis praepositi.
Concilium Reipublicae Aequatorialis haec quae sequuntur facienda decernit

Art. 1. Viri Legibus exequendis praepositi S. Sedi supplicabunt, ut quatuor Apostolicos Vicariatus in orientali Reipublicae territorio constituere dignetur, qui videlicet erunt : 1. Napi: 2. Macasii et Canelasii : 3. Mendesii et Gualaquirae : 4. Zamorae; exposcentes ut 1. a Societate Iesu, 2. ab Ordine Praedicatorum regi pergant: 3. vero piae Societati Salesianorum, aut cuivis alii religioso coetui, 4. denique Franciscalibus Evangelii praeconibus regendi tradantur.

Art. 2. Implorabunt item, ut sacrae trium postremorum Vicariatuum Missiones, quorum in Art. praecedenti mentio fit, Congregationis a Propaganda Fide protectioni ac directioni subsint,, legibusque ecclesiasticis, quibus huiusmodi sacrae Missiones subiiciuntur, specialibus regantur.

Art. 3. Exposcent etiam, ut Vicarii Apostolici munus earumdem Missionum Episcopis titularibus, aut *in partibus infidelium* **ordinatis, nunquam vero simplicibus Sacerdotibus, concredatur.**

Art. 4. Cuilibet e tribus prioribus Vicariatibus dotando summa sex millium *Sucres* **(Libellae tricies mille), quarto autem tria millia (Libellae quindecies mille), quotannis largienda adsignatur. Ex hisce summis annui Vicariorum redditus, divini cultus impensae. .. desumentur.**

Art. 5. Ex media decimarum parte, quae ad Rempublicam pertinet, huiusmodi dotationi faciendae pecuniae eruetur, et quod eidem complendae necessarium erit; si tamen portioni, quae Ecclesiae competit, haud supersit quod ad dotationem ipsam plene integreque perficiendam sit satis.

Art. 6. Virorum Collegium exequendis Legibus praefectum summis Reipublicae Administratoribus mox con vocandis, de huius. Decreti executione rationem reddet.

Dat. Quitoae quod est Reip. Caput.

Die 21 Augusti Anno 1888.

Senatus Aulae Praeses. AUGUSTINUS G-TJERRERO.
Aulae Praeses, quo Viri ferendis Legibus deputati conveniunt.
REMIGIUS CRESPO FERAL.
Senatus Scriba. EMMANUEL M. PALIT.
Posterioris Aulae Scriba. IOSEPH M. BANDEROS.

Quitoae ex Aedibus Reip. die 11 Angustii 1888.

Exequendum decernimus. PETRUS IOSEPH CAVALLOS.
Internis Reipublicae negotiis, atque Ecclesiasticis expediendis Minister adlectus. IOSEPH M. ESPINOSA.

Monitum. — Haec retulimus, ut civilia Gubernia videant quomodo esset agendum cum Apostolica Sede

J ^ Î ^

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

NEAPOLITANA

MATRIMONII

Die 18 Augusti 1888.

Sess. 24 cap. 1 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Die 16 Decembris 1875, Neapoli, in paroecia S. Marci ***de palatio.,*** expletis iam civilibus actis Conradus Micciarelli uxorem ducebat Mariannam Pagano. Haec, domo Neapoli, 27 annum attingebat; ille, Ancona oriundus, 42 annos natus erat, et aliam iam habuerat uxorem, Leopoldinam Huber, quae phtysi consumptam a quinque iam annis ad meliorem vitam transierat.

Sacro ritu celebrato, sponsi Anconam petierunt, dein Vindobonam, ac cito Neapolim reversi sunt, ubi, modo in urbe, modo in villa ***S. Paolo Belsito,*** insimul duodeviginti menses fuerunt. At vir dum erga alias mulieres facilis ac blandimentis plenus videbatur, cum uxore incurius ac durus erat. Insuper fundata aderant iudicia, quod ipse cum aliis mulieribus, ac praesertim cum quadam Marianna Vecchione, illicitos foveret amores. Unde Marianna Pagano hanc vitam ferre non valens, meliora tempora auspicans, paternos lares repetiit.

Vir tamen a via sua non recessit. Et sic plures menses lapsi sunt. Accidit interea, ut quadam die, quum de rebus maritalibus cum suo confessario Marianna colloqueretur, hic intellexit in coniugalibus relationibus aliquid fuisse quod normale non erat, et detegi intererat. Unde hortatus est poenitentem, ad res omnes piae et amicae matronae patefaciendas. Obsequens Marianna res omnes, licet cum magno rubore significavit cuidam Aloysiae Caprioli, nec non et matri suae.

Aloisia Caprioli in processu iurato deposuit: sese interrogavisse Mariannam Pagano de rebus matrimonii consum-

mationem respicientibus, eamque reperisse nescire quidquid patere debet cuique mulieri maritatae. Et insuper certiorem factam esse ex mulieris responsis , virum esse impotentem, qui abusus est uxoris innocentiae, ut eidem persuaderei matrimonium consummatum fuisse; dum ad hoc digito tantum usus fuerit prima et secunda vice, qua cum illa modo naturali congressus est. Quinimo vir, post hosce duoscongressus, petebat ut ipsa incuba esset, aliaque perageret, quae omnino pudet referre.

Omnia haec detex.t Marianna matri suae et iudici ecclesiastico; cui significavit ipsam, primis vicibus, quum secundum naturam vir ageret, nullam habuisse commotionem stimulum aut dolorem, neque virginitatem amisisse. In posterum vero violentam manus operam saepenumero virum adhibuisse; ex quo fiebat ut tota eius persona alteraretur. De cetero prosecuta est mulier, etiam hoc modo, et post brevem contactum illius partium ad meas, eveniebat effusio seminis viri, quin aliquam haberem sensationem. Ita ut omnino confirmare possim, matrimonium non fuisse consummatum, cum numquam eius virilis asta erigi valuerit et corpus penetrare meum. Et interrogata cur turpia permitteret> respondit censuisse hoc factum esse regulare.

Ast, ut a principio sponsorum depositiones contraponatur, Micciarelli ex adverso recitat, mulierem fuisse iam tum corruptam: exinde explicari cur nullam passus sit difficultatem in primo maritali congressu cum ea, et cur sanguinis indicia non apparuerint. Et addit, se statim hanc rem suspicionemve avúnculo suo Anconae significasse, deinde et aliis, idest potissimum Henrico Caracciolo, et Iosepho Pastore, qui quidem in processu confessi sunt, haec revera se a Micciarelli audivisse. Evarito de Belmonte tamen rem. falsam ac calumniosam iudicat. Verum et adest famula De Martino quae circa hoc quaestionis punctum ait audivisse aliquando Micciarelli dicere sese non reperisse virginem Mariannam, eamque potius se remittere matri suae. Demum idem Micciarelli sustinet, se semel tantum manum

inhoneste ad uxorem admovisse; et abstinuisse a repetitione huius acti simul ac scivit, hoc mulieri esse doloris causam. Unde apertissime et ut incontrovertibile is supponit, se matrimonium rite consumavisse.

Quid inter haec sit retinendum, et utri magis credendum, prudens BE. PP. sapientia definiet, iis quidem attentis quae infra exponentur. Quapropter hisce relatis de intimis coniugalibus relationibus summatim, et qua meliori potuit modestia, iuxta utriusque partis depositiones ad historiam sequentium eventuum enarrandam accedendum est.

Itaque Marianna Pagano postquam matri et amicae Aloysiae Caprioli animum suum aperuisset, collatis etiam cum con'essario consiliis, prout ipsa refert, antequam ad causam contra matrimonium instruendam deveniret, duorum medicorum Gallozzi et Olivieri sententiam expetivit.

Quod iudicium hi duo medici in scriptis primum, et deinde in processu ecclesiastico cum iuramento firmarunt. Sane coram tribunali, ita inter alia professus est Gallozzi : praevio accurato examine , integras reperisse partes genitales Mariannae Pagano , et ex conscientia retinere quod carnalis copula abfuit, et adeo coniugalis unio exulavit. Qua de re si aliqua adesse potuit laesio in verendis mulieris, id accidisse digitis mariti. Ida.n iureiurando asseruit medicus Caesar Olivieri penes curiam ecclesiasticam.

Hoc itaque medicorum favorabili testimonio confisa Marianna ad matrimonium impugnandum iam animum adiecerat ; quum contigit, virum suum Micciarelli ob dolosas commerciales scripturas a iustitia postulari, et profugum ac contumacem , habito iudicio , ad trirèmes decem annos damnari.

Porro sciebat quidem Marianna ubi vir suus latebat ; sed ex egregio nec communi pietatis ac charitatis consilio secretum servavit, et, ne viro noceret, causam suae libertatis distulit.

At anno 1884 volvente, muliercula quae Micciarellium in suis latebris invisere solebat, cum iniquum prostitutionis

pretium aliquando non accepisset, iustitiae ministris occultum reum indicavit, qui proinde comprehensus et in vincula coniectus est.

Tum vero Marianna propositum iamdiu conceptum, diuque ex pietate dilatum, exequendum suscepit, et primum civilia tribunalia adivit. Laicus autem iudex tres in arte peritos delegavit ad utrumque sponsum examinandum.

Qui periti homines, praemissa speciali inspectione partium genitalium duorum coniugum, uno ore retulerunt quod vir impotens sit vel inhabilis ad matrimonium; quod mulier adhuc secumferat signa certa virginitatis; quod excludit matrimonii consummationem. Unde tribunal civile omnibus perpensis matrimonium nullum, quantum ad civile forum, declaravit.

Tum vero iudicium ecclesiasticum peragendum erat penes neapolitanam Curiam. Rogavit autem mulier, ne iterum corporali subiiceretur inspectioni. Et SSmus rescripto diei 19 Septembris 1887, annuit ut « absque nova mulieris inspectione, relatio a peritis medicis facta in civili iudicio perinde valeat, ac si in ecclesiastico processu peracta fuerit, dummodo ipsi periti eam ratam habeant et iuramento sanciant. »

Porro quilibet ex tribus peritis ratam habuit propriam relationem, et quidem sub iuramenti sanctitate.

Quoad virum autem, qui ab inspectione subeunda dispensationem non imperaverat, ecclesiasticus iudex quinque medicos, Caietanum Sorgente, Michaelem Notarianni, Raphaelem Testa, Nicodemum Pacciotti et Marcum Aurelium Aurineta delegavit. Quae ipsi retulerint consultor canonista fuse exponit, nec non et vinculi defensor. In genere autem dici summatim potest , hosce medicos Micciarellium renunciavisse externe bene formatum , ac nonnisi quadam debilitate atque inertia in genitalibus laborantem; unde eius impotentiam plus minusve probabilem habent, eamque tamen in hoc casu non ingenitam, et connaturalem, sed acquisitam praedicant ex praecoci usu et abusu veneris.

Septima utriusque partis manus excussa quoque normaliter est. Et testes a muliere inducti optima quaeque de sua actrice retulerunt, eamque mentiendi incapacem dixerunt ac, cum audissent eius iudicialem depositionem, eam ratam habuerunt, additisque indiciis confirmarunt. Vicissim vero maritum renunciarunt, nedum vitiorum coeno immersum, sua cum meretricibus profundentem, mutuatusque ab amicis quandoque cum fraude pecunias in turpitudinibus ac ludis dissipantem; sed insuper praedicabant, ob vitia, impotentiae labem contraxisse, et modo impotentem passim retineri, talemque habitum quoque fuisse a familia pellicis suae Mariannae Vecchione, eaque de causa non semel ab amicis esse exprobratum: imo ex mala sua agendi ratione, et ex maritali abusu priorem uxorem confecisse.

Omissis reliquis gravissimis quae de moribus aliisque testes a muliere inducti deponunt: potius recolendum est septimam manum , a viromet produc tam, meliora certe de auctore suo non referre; nam eum mulieribus addictum, ludis deditum, fraudantem amicos uno ore omnes confessi sunt, dum vicissim uxorem Pagano aut amplissime laudarunt, aut omni censura immunem renunciarunt.

Nihilominus testes a viro inducti eum potentem putant hac ducti praesertim ratione, quia eum cum mulieribus passim congressum esse sciebant.

Hisce omnibus habitis, ecclesiasticus iudex die 28 Iulii 1887 sententiam protulit, qua declarabat matrimonium nullum probabiliter esse ex viri impotentia, aut sin minus certe non consummatum; unde mulieris causam S. Sedi remittebat ac commendabat. Actibus S. C. C. transmissis cum mulier expensas ordinarii iudicii obire non posset, ex SSmi dispensatione causam oeconomice tractari iussum est.

Disceptatio Synoptica

VOTUM THEOLOGI. Retulit iste per extensum testium depositiones, et relationem in arte medica peritorum, et conclusit: post haec, nulla quippe iuris disquisitio locum habe-

re videtur. Quum enim in facto apertissimo sit, quod Micciarellius, inter turpia nefanda, ab ineunte aetate volutatus et ob id cito viribus effoetus, nec cum priori uxore filios procreare valuerit, dum nefarium modum illum etiam cum ipsa ad insanabilem explendam libidinem fortasse adhibuit. Nam nedum praefata mulier infelix eundem impotentem dixit, sed et pulchritudine ac aetate florens, propinquorum auxiliis destituta, diem obiit supremum: et ideo nullum dubium iugeri posse videtur, quin matrimonium inter ipsum et Mariannam Pagano irritum nulliusque effectus censeri debeat. Eius namque impotentiam in arte medica et chirurgica professores numero plures unanimiter et absque ulla haesitatione renunciant ac proclamant: dum nec ullum de virginitate uxoris Pagano dubium vel levissimum movent ; sed imo tamquam certam ac manifestam edicunt.

Quod si nullitatis iudicium fortasse proferri -nolit, dubio procul consulendum SSmo. pro dispensatione a matrimonio rato, non consummato, vetito viro transitu ad alias nuptias absque venia S. Congregationis. Causae enim ad eam indulgendam adeo graves, urgentioresque ac numero plures in themate concurrunt, ut nullum tot ac tales iustissimasque causas exemplum dispensationis usque in praesens benigne concessae, praeseferre videatur.

VoruM CANONISTAE. Praenotandum hic duxit quod acta processus laudabili modo confecta fuisse, tum pro nullitate matrimonii demonstranda, ex capite impotentiae respectu viri, tum pro causis dispensationem suadentibus a matrimonio, si forte rato, certe non consummato. Quapropter censuit sibi esse colligenda, eodem ordine, validiora actuum eorumdem argumenta usque dum probatum evaderet , utrum matrimonium in themate, sit irritum ex capite impotentiae et an causae iustae adsint pro dispensatione imploranda.

Ut ordinate tu teque procederet quoad primam partem, hoc in examine tria sibi proposuit dirimenda dubia, quae iuxta canonicam doctrinam in certitudinem vertantur, requirit , I° nempe : utrum constet ex> iudicialibus actis coniu-

ges insimul habitasse, et operi nuptiali incubuisse per tempus ad rem sufficiens; 2° utrum constet minime commisceri potuisse ob viri impotentiam; 3° denique utrum constet hanc viri impotentiam esse antecedentem et perpetuam, nisi absolute, saltem relate ad Mariannam.

Quoad cohabitationem neuter coniugum negat insimul cohabitasse, imo uterque et hoc affirmat iureiurando, et operam navasse nuptialem. Quum coniuges ipsi sub iuramenti sanctitate et cohabitationem diuturnam, et acti coniugalis frequentiam confiteantur, procul dubio resoluta evadit haec prima quaestio, praesertim eo quod non ambo eumdem finem adspiciant, alteruter imo contrariam sententiam adprecetur.

Quoad inconsummationem , ait Consultor ex Constitutione *Dei miseratione*, ex instructionibus S. C. C. emissis 22 Augusti 18-16, imo et ex Decretalibus haec requiri videntur ad probandam matrimonii inconsummationem; confessio nempe sub iuramento emissa utriusque coniugis; testimonium a septima manu redditum; inspectio corporum, et triennale experimentum. Post haec quid de singulis his conditionibus iudicialia acta praebeant examini subdit.

Ad mulieris confessionem quod attinet praenotandum Censuit, quod non solum eadem ipsa de se, et de illa omnes suae partis, sed et fere omnes ex adversa testes, sponte et qua maiori potest aestimatione profitentur, Mariannam Pagano admodum piam et modestam, imo et ingenuam, simplicem, malitiaeque omnimodae expertem; quapropter neque ante, neque post coniugium de opere matrimoniali gnara fuit; quod, confessarii consilio, a quadam matrona consubrina, longo expleto aevo a separatione, cognovit. Dein retulit Consultor verba mulieris, per quae innuit matrimonium non fuisse consummatum.

Dein ad confessionem domini Micciarelli deveniens opus esse ait, ante omnia suam , et omnium fere utriusque partis testium declarare indignationem , imo et ipsius vinculi defensoris contra improbum virum, qui quasi calu-

mniâ turpi posset impotentiae mulctam devitare, violatam asserit reperisse mulierem a primo usque concubitu !

Equidem non mirum esse quod Micciarelli aperte non fateatur matrimonium inconsummatum remansisse, ne impotentiam suam fateatur ; imo addit non solum impotentiae nota, sed gravioribus causis ad hanc denegationem illum induci. Cum tamen de virgine agatur , et quidem de pudicissima virgine, quomodo interpretanda sunt verba viri huiuscemodi, qui pueritiam in turpibus, et senectam ob fraudes et falsitates in vinculis decessuram duxit? Dempta calumnia, quid superest nisi explicita inconsummationis confessio ?

Sed ultra procedamus ait, testes enim, et utraque septima .manus, quale de hoc homine iudicium ferre debemus aperte suadent. Illi enim ex parte mulieris , una voce praeconium repetunt de Mariannae Pagano virtutibus.

Quid nunc de testibus a Micciarelli adductis ? Canonista perpendit non propinquos, non affines, neque denique utriusque coniugis amicos, vel saltem utriusque certam notitiam habentes illum produxisse ; sed quamplurimos praebuisse, quorum pars repulsa a vinculi defensore, pars comparere in hoc iudicio renuit, ceteri, si duos excipiantur, aut solum virum cognoscunt, aut ab eius ore de muliere notitiam habuerunt. Qui tamen cum dominum Micciarelli fateantur luxuriae vitio deditum, hoc ipso ipsius impotentiae ipsam suspicionem repellere conantur, atque sese inscios de consummatione, vel inconsummatione proferunt.

Quoad corporum inspectionem, retulit consultor historiam ex ore ipso mulieris depromptam. Ipsa enim enarrat inspectioni subiectam fuisse a duobus in arte peritis, qui uno iudicio de eiusdem integritate conclamant.

Quae vota biennio post, uterque peritus ad Curiam episcopalem accersitus, iureiurando con firmavit; quinimo G-allozzi addidit non semel, sed iterum inspexisse corpus Pagano, et invenisse argumenta physicae virginitatis illius; et Olivieri confirmata iuramento sua scripta depositione, persuasum se

dicit, illam numquam ab homine cognitam, et physica virginitate adhuc frui.

Neque satis, inito in civili foro iudicio de rescissione contractus nuptialis, ob impotentiam viri, tribus aliis peritis Vernicchi, Laccetti et Cacciapuoti committitur iudicialis inspectio corporum utriusque coniugis, qui quoad dominam Pagano votum dedere, quod iuramenti sanctitate coram ecclesiastico iudice firmarunt, scilicet Micciarelli per integram octodecim mensium periodum, nunquam perficere potuisse copulam, dominamque Pagano virginem adhuc permansisse.

Obstare autem non posse quibus conditionibus inspectio perfecta sit, videlicet an per obstetrices vel medicos, an antecesserit balneum vel abfuit. Neminem enim fugiat praescriptionem, qua obstetrices potius quam medici adhibendae sint in themate, non ad validius et sapientius iudicium obtinendum emissam, quod quidem neque somniator excipit, sed tantummodo ad pudorem tuendum; de quo non nimis studiosus est civilis iudex, qui ad veritatem capessendam non honestiores, sed validiores et tutiores medios adhibet. Quoad balnei usum iam pluries scientia sententiam tulit, illum inanem esse ad destruendam , si forte existat, actionem physicam aut chimicam adstringentium ; et e contra scientificam inspectionem a nulla posse decipi adstringentium vi.

Praetereundum denique non esse , quod haec inspectio non ab ecclesia indicta fuit, quae certe ad tramites iuris hoc fecisset, sed a civili potestate ; atque non nisi vigore Pontificii rescripti acta illa locum in hoc processu habent, non secus ac ab Ecclesia confecta essent.

Hisce positis, exclamat aliis argumentis, aliisque adminiculis opus haud esse, ut probata omnino evadat inconsummatio. Quinque usque periti, et magni quidem nominis concordes conclamant, virginem adhuc esse dominam Pagano et magnorum parvorumque vulvae labiorum virginali conformatione, et ob omnimodam caruncolarum carentiam , denique ob hymenis praesentiam.

Ne tamen ait videar flocci iacere quod vinculi defensori visum est magni ponderis argumentum, de hymenis significationibus aliquid dicam oportet, imo quid periti ipsi dixerunt referam. Omnes isti, nemine excepto, unanimiter asseruerunt neque de illis scarificationibus verbum facere oportere. Nihilominus causas referunt huiusmodi scari fi cationum, potioremque determinant digiti introductionem et operam, quae revera non defuit, ipsa Pagano firmante. Et ipse Micciarelli fatetur una vice tetigisse manu pudenda mulieris.

Nonne risum tenendum nobis est? Tam pudicus effectus est vir Micciarelli, ut una vice tantum manu tangat exteriores mulieris partes? et tam sensibilis mulier ut superficialiter manu tacta de gravi dolore conqueritur? Sed magis praestat de causa inconsummationis disserere, quam in viri impotentia ponere non dubitamus.

De inspectione locuturus consultor, ait : duplex inspectio ex actibus processualibus nobis praebetur, altera a tribus peritis Vernicchia, Laccetta et Cacciapuoti, expleta civilis magistratus iussu, altera a medicis Sorgente, Notarianni, Testa, Pacciotti et Aurineta, Curiae archiepiscopalis mandato confecta.

Huius tam magni Senatus unum idemque iudicium; nempe exteriora genitalia domini Micciarelli esse fere perfecta, quamvis manifeste appareat esse inepta ad copulam. Deinceps notandum quod omnes exploratores, quamvis qua maiori poterant modestia et moderatione tum factibus, tum adloquiis experti sunt erectionem, vel quasi, provocare, sed frustra. Omnes denique confitentur desumi non posse ex conformatione partium absolutam ac perpetuam impotentiam; non improbabilem tamen adesse impotentiam accidentalem ex abusu veneris, vel ex longo eius usu, vel ex improba in copula positione, vel ex. aliqua morbi effectione. Addunt postremo hanc probabilitatem impotentiae in certitudinem verti si explorata ipsa muliere, incorrupta inveniatur.

Mulieris incorruptio iam manifeste apparuit; videamus, ait consultor, an ex processu constet causas accidentalis impotentiae, quas referunt periti, virum istum tetigisse.

Idem ipse Micciarelli pluries, gloriatus est coram medicis a prima adolescentia, tresdecim annos agentem, iniisse sacrificia in veneris ara; cui medici: qui cito incipit citius et desinit. Testes a Micciarelli, uti septima manus adducti, hoc ipsum tradunt.

Quapropter nil mirum si iuxta mulieris ingenuam narrationem semper contra ius et fas ipse succubuit mulieri; et nunquam in muliebre vas, sed extra et praepropere semen emisit.

Quae ex actorum fasciculo deprompsi, ait consultor, dominum Micciarelli impotentia laborare ad copulam efficiendam quae nisi naturalis et absoluta, procul dubio accidentalis et respectiva probatur. Restat nunc, ut videamus an antecedens sit et perpetua, quod quidem iure optimo requiritur, ut irritum ac nullum dici possit matrimonium.

Et ad antecedentiam quod spectat, ipse Micciarelli asserit cum prima uxore prolem non habuisse, quamquam cum ipsa septem et decem annos et con dixisset, et carnales concubitus habuisset, cuius sterilitatis causam morbo antecedenti tribuit. Sed veriorem causam audiamus a Rmo P. Iosepho Fasulo Theatino, ecclesiae S. Pauli rectore, qui cognoverat Micciarelli ab anno 1859 antequam primam duceret uxorem cognomento Huber, et saepe saepius post nuptias coniuges viserat. Retulit hic quod prima mulier censebat immoralem et impotentem esse suum virum.

Hisce omnibus inspectis nil dubium superest, impotentiam, de qua est sermo, antecedentem esse. Neque obstat quod fere omnes testes adfirmarint semper antea, imo et post corporalem separationem ab uxore, dominum Micciarelli rem habuisse cum aliis mulieribus ; quum haec eadem extraordinaria frequentia actus luxuriosi, haec eadem fere dicam aviditas accedendi modo ad istam modo ad illam, ipsam impotentiam demonstrat imo confirmat; neque aliquis est, qui certe affirmare potest quod ei non accidisset cum aliis mulieribus quod cum uxore accidit. Testes iidem a Micciarelli inducti asserere non veriti sunt, multum expensisse dominum Mie-

ciarelli, ob incontinentiam suam cum feminis; quidam dixerunt usque ad sexdecim millia libellarum ipsis ab amicis oblatarum, ut in criminali iudicio sese defenderet, usque ad unam in hoc turpi vivendi genere effusisse. Hac mensura retributae huiusmodi feminae, quae non certe casto coniugali amore eidem copulaban tur, sed in pondere et ad horas carnem suam illi commodabant, minime conclamant aut conqueruntur de solventis impotentia genitalium, sed tantummodo de impotentia. Et revera cum ipse lateret, una existis feminis, quando nihil aliud illi erat quod carperet, civili potestati illum tradidit.

Esto nunc videamus an impotentia Micciarelli sit etiam perpetua. Ast breviter haec extrema quaestio expendenda. Audistis enim EE. PP. illam antecessisse primum coniugium, quod decem et septem perduravit annos; neque per quinque alios posteriores viduitatis annos ipsa curata fuit, quin eadem experiretur in decem et octo menses quibus alterum coniugium in cohabitatione permansit: et ab illa hora iam tresdecim delapsi sunt anni. Quid spei in posterum? Periti, qui illius corpus exploraverunt, omnes fassi sunt impotentiam accidentalem quandoque curabilem, sed tum tantum cum ille qui ea laborat non ultra vigesimum quintum vel trigesimum annum agat; ast Micciarelli iam iam duplici huiusmodi annorum pondere gravis incedit, cum natus sit anno 1833,

De triennali experimento, quod uti ultima conditio requiritur, nec verbum quidem. Nam satis est adducere praeceptum Caelestini III in Decret.: « Requisisti quantum tempus indulgendum sit naturaliter frigidis ad experientiam copulae nuptialis. Nos vero praesenti consultationi sentimus ut... ***si frigidità^ prias probari non posset,*** cohabitent per triennium.» Atqui probata ad satietatem post decem et octo menses; ergo non obstat quod triennium nondum expletum sit ; imo existente reapse impotentia, nec licitum est, nec permitti debet tale experimentum, ut ponderant Guttier., Pont., Tamburin, et alii.

Obstare neque videtur quod longum transire mulier permisit aevum, ut iudicium iniret. Iam enim causas indigitavimus huiusmodi acquiescientiae. Sed prostat quod Coscius super hac re docet, ***lib. 1 De separ. th.*** « Si uxor virgo est, ac virginem remansisse constet, post multos etiam annos, reclamare potest et audiri meretur. »

Hisce omnibus perpensis, in dubio revocari non posse videtur sponsos per sufficiens tempus cohabitasse, et frustra copulam tentasse, ob viri impotentiam antecedentem et perpetuam. Et ideo irritum ac nullum esse matrimonium inter ipsos initum.

De causis dispensationis locutnrus consultor ait ; prae aliis dispensationis causis maxime elucet grave, imo gravissimum dubium circa matrimonii valorem. Nisi enim viri impotentia evidentissime probata videtur, tamen ***adeo probabilis est ut Summus Pontifex illam veram existimare possit;*** et hoc satis est, ut aiunt Ursaya, De Luca etc. ***ut inde moneatur ad gratiam dispensationis.***

Alia dispensationis causa est non minus gravis, idest indolis et morum diversitas, atque dissociatio animorum. Domina enim Pagano, uti omnes asserunt qui eam agnoscentes, in hac causa vocati fuere, ingenua, docilis, pudica, pia; Micciarelli e contra suorum aliorumque bonorum prodigiis, libidini deditus, contumeliosus, crudelis, suum alienumque honorem despiciens, in alios, in seipsum crudelis; illa amans, iste spretor, mulier etiam turpem illius concubitum tulit, ne eius voluntati videretur resistere ; vir subtiliores feminei cordis fibras retorquens, ante oculos mulieris aliam illecebris mulciebat, imo et uxori imperabat ut dilectam in domo, in comitatu, ad mensam reciperet. Et tamen omnia piissima Marianna suffert, omnia uti a Deo accipit. Ast hoc vitae genus diu duci non potest, quin animi corporisque salus depereat; et patientissima mulier, iam depressa valetudine, corde fortiter exagitato, pacem et vires alibi, in sinu matris quaesivit.

Adest praeterea nova et gravior dissociationis causa,

quae una, uti opinor, sufficiens et ultra ess^t, ut omnimodam toto coelo repellat reconciliationis spem; hae2 est infanda calumnia, qua Micciarelli ausus est intemeratam virginis famam, venerandumque familiae nomen maculare. Quod improbum defensionis genus, quamquam ab- omnibus utriusque partis testibus vehementer repulsum; nisi odium, ferme aversionem peperit invincibilem.

Quae omnia revera prospicientes testes omnes et utraque septima manus, nemine discrepante, affirmare non dubitarunt sponsos omnino irreconciliaturos esse; si tamen Cleomenis depositionem excipias, qui debitis penitus submersus vinculisque coniectus poenam soluturus duodecim annorum, omnia alia subsidii spe destituitur, dempto uxoris censu trium libellarum millium.

ANIMADVERSIONES MATRIMONII VINDICTS. Refert imprimis iste, sententiam Curiae neapolitanae, qua dicitur matrimonium in themate fuisse nullum, vel saltem eius valorem fuisse dubium ratione antecedentis manifestae et probabiliter perpetuae impotentiae viri: at certo non fuisse consummatum.

In recitatam curiae archiepiscopalis sententiam concedunt lectissimi consultores, theologus et canonista, ait Consultor. Porro egregius theologus concludit: « Nullum dubium ingerì posse videtur, quin matrimonium inter ipsum Micciarelli, et Mariannam Pagano irritum nulliusque effectus censeri debeat... Quod si nullitatis iudicium fortasse proferri nolit, dubio procul consulendum esse Sanctissimo pro dispensatione a matrimonio rato non consummato, vetito Micciarelli transitu ad alias nuptias. » Consultor vero canonista : « In dubium, inquit, revocari non posse videtur, sponsos per sufficiens tempus cohabitasse, et frustra copulam tentasse ob viri impotentiam antecedentem et perpetuam. Et ideo irritum ac nul um esse matrimonium inter ipsos initum. » Et subdit : « Sole clarius apparet omnino resolvendum esse hoc vinculum, si adsit, et ideo consulendum esse SSmo ob dispensationem matrimonii rati et minime consummati. >

Nihilominus, ait defensor, levia profecto non sunt quae contrariam sententiam suadent, sive valorem, sive consummationem controversi matrimonii consideres. Neque de apicibus iuris quaeram, sed facta, exadverso aut nullimode aut aequa minime lance librata, purgatissimis BE. VV. oculis supponam. Et perstringam primum facta, quae obiectam matrimonii nullitatem , deinde quae inconsummationem ac dispensandi causas concernunt.

Praemitto — ***primo*** — ex octo artis Hygiae peritis, qui corpus Micciarelli perlustrarunt, neminem audere certa impotentiae signa renuntiare: — ***secundo*** — eos impotentiam illius non asserere, sed nonnullos tantummodo eam coniectare ex indiciis aut non concludentibus, aut minime certis. Siquidem, medicus Notarianni, cum audiverit ab aetate quatuordecim annorum Veneri datum, exclamat: qui cito incipit, citius desinit. — Quod tamen non semper contingit. Praeterea, complures, quos inter tres medici a tribunali laico deputati, testantur se in Conrado reperiisse aliqualem virium inertiam; at agitur de viro in aetate annorum quinquaginta et ultra constituto ac in carcerem detruso. Ad haec praefati periti, a magistratu laico adlecti, aiunt : de hac tamen abnormitate probationem directam non habemus, neque haberi potest, ut quisquis videt. Postremo archiatri omnes, qui inspectionem peregerunt, si impotentiam Micciarelli deducunt, eam ex Mariannae virginitate deducunt. At vero huiusmodi factum non est certum, neque exinde statim consequeretur viri impotentia sive absoluta sive relativa.

Ceterum tanta levitate inspectio corporis Micciarelli peracta est, ut, quamvis Instructio, a S. C. C. die 22 Augusti 1840 edita, expresse praecipiat: ***Singuli,*** periti, ***scriptam emittent relationem*** » quinque medici, ab archiepiscopali Curia deputati, ***oretenus*** solummodo de signis impotentiae testati sunt.

Ipsissima verba, quibus medici cognitores iudicium suum proferunt, in medium afferenda esse censui, ut EE. VV.

ictu velut oculi perspiciant quam absurda sit adversa actio nullitatis matrimonii ex capite ***impotentiae viri.*** Porro archiatri vel conceptis verbis impotentiam viri excludunt, vel solummodo ***possibilem*** habent. Iam vero, ceu tralatitium est et notat Barbos, ***vot. clecisiv. 17 n. 93, — probatio debet concludere per necesse, non autem per possibile.*** — Et, ut observat idem Barbos, ***vot. 55 num. 29 et seq., —probatio dubia... ambigua... aequivoca nihil relevat... et quatenus data huiusmodi dubietate et aequivocatione, interpretari deberet facta probatio, contra probantem interpretatio facienda erat.***

Nec meliori omine Marianna Pagano matrimonii inconsummationem astruere per specimen a peritis in corpore suo expletum contendit. Praeprimis adverto Mariannam, quae obtinuit reum, perditissimum hominum, perlustrari ab ***octo*** peritis omnibus iudicialibus, tribus a magistratu laico, quinque vero ab archiepiscopali curia deputatis, etsi sit actrix et legibus ecclesiae se proclamet obsequentissimam, mordicus récusasse quominus ipsa a tribus obstetricibus prout de iure exploraretur. Marianna, quae veniat oportet cum sacco parato, omnem, praeter a duobus medentibus amicis ac a tribus de mandato iudicis ***saecularis*** peractas, inspectionem respuit, sub praetextu pudoris ac convulsionum, quasi honestae puellae gravius sit ab obstetricibus quam a medicis exploran. Haec agendi ratio, nata, ni fallor, est timorem iudicibus iniicere, ne ***lateat unguis in herba.*** Iam de inspectionibus in quibus Marianna confidit.

Omnes autem medici iudiciales alte silent multiplicia corrupti aut intemerati claustri virginalis signa: omnes omiserunt aquae tepentis balneum, quod semper necessarium est ad detegendas fraudes, et potissimum in praesenti causa ad metiendas exploratas hymenis sacrificationes. Recolam causam ***Parisien. Matrimonii die 21 Iulii 1888*** discussam, huic simillimam. Ibi medicus Brourdel cum perlustrasset corpus Carolae d'Oliveira, balneo praetermisso, sacrificationem hymenis digito ascripsit, et Carolam absque ulla hae-

•sitatione virginem renuntiavit: e contra medici Le Bec et Ferrand, praemisso balneo testati sunt, non posse haberi probabilem matrimonii inconsummationem.

Ceterum gravissima sunt quae commonstrant medicos •specimine in corpore Mariannae specie tenus peracto, veritatem minime assequutus. Etenim Conradus sub iurisiurandi sanctitate testatur: quod in primo concubitu censuit non esse virginem, et minitasse eam remittere ad matrem suam.

Neque dicas Mariannae deflorationem esse commentum a Conrado excogitatum, postquam ab uxore accusatus ipse est de virium inertia. Namque plures testes id prius audivisse deponunt et confirmant.

Marianna, quae, si vera narraret, inconsummationem matrimonii ostendere expeditissime posset per obstetrices, ad suadendam Micciarelli impotentiam occentat etiam probros concubitus, probras contrectationes per eum cum ipsa habitos. Ast ecqui fieri potuit ut per octodecim menses sine discrimine vitae sustinere potuerit hosce viri impotentis actus uxor? Ceterum, quid stultius, quam obiicere adversario, quod ille si verbo negavit, longius progredi non possit qui obiecerit?

Adhaec obiicit Micciarelli quod feritate ac virium inertia priorem adeo uxorem fatigaverit, ut haec phthisi aevi spatium finierit. Quam quidem narrationem haud veritati consonam habet Henricus e principibus Caracciolo in suis iuratis depositionibus.

Marianna iureiurando affirmat, matrimonium haud fuisse consummatum; id vero negat Conradus pariter iuratus. Controversiam peremptorie diremit caput primum ***De frigid, et maleficiat.*** — ibi — ***Illa,*** uxor, *si* ***prior post annum, aut dimidium, ad episcopum, aut eius missum proclamaverit, dicens quod non cognovisses eam, tu,*** maritus, ***autem contrarium affirmas, tibi credendum est, eo quod caput es mulieris ; quia*** *si* ***proclamare voluit, cur tamdiu tacuit? cito enim et in parvo tempore scire potuit, si secum coire potuisses. Si autem statim in ipsa novitate, post mensem***

aut duos, ad episcopum, aut eius missum pro clamaverit, dicens: volo esse mater, volo filios procreare et ideo maritum accepi: sed vir, quem accepi, frigidae ***naturae est, et non potest illa facere propter quae illum accepi; si probare potest, per rectum iudicium, separari potestis, et illa si vult nubat in Domino. »*** Memorare praestat Mariarmam non solum per ***octodecim*** menses una cum viro condormivisse, sed postea per ***septem annos*** siluisse, et tum primum viro inertiam virium obiecisse, cum iste in vincula coniectus, sese defendere minime poterat.

Eximii consultores, theologus et canonista, potius uxori quam viro in praesenti causa credendum censent, quia corona testium ad sidera tollit Mariannae religionem, in dubium vero revocat viri probitatem. Adverte tamen — primo — Mariannam non solum indigenam esse, dum Micciarelli est alienigena, sed praeterea prospera illam frui fortuna ac amplo censu potiri, dum iste infida sorte illusus vitam infelicem in carcere plorat.

Adverte — ***secundo*** — octo ex testibus per Conradum, inductis repulsos a iudice fuisse, instante, nedum Mariannae patrono, verum etiam matrimonii defensore. Mirum profecto est quod sacramenti vindex sacerdotes Carmelum Nappi, et Angelum Crisci, dioecesis Nolanae, testes a viro inductos-repellat, — ***quia sunt alienae dioecesis, et abunde eorum depositiones supplentur a teste signato num.*** *4,* - ac ob alias non minus futiles causas repellat sex ceteros testes a Micciarelli indigitatos. Ceterum iste matrimonii defensor adeo officii sui immemor est, ut a iudice efBagitet titulo infamiae notari calumniam inverecundam a Micciarellio iactatam contra Mariannam, dicendo eam reperisse defloratam in primo concubitu.

Nedum offlciosus matrimonii assertor orat contra virum verum etiam patronus, a viro ipso deputatus cum Marianna colludit. Eo res procedit ut carcere inclusus, contentus sit oporteat procuratore a iudice sibi dato qui testibus, ut dictum est, repulsis, vel minime comparentibus, testes alios

motu proprio nomine Micciarelli substituit. Iique testes transeunt per ignem et aquam ac subiiciuntur tot articulis ad rem non pertinentibus, quot Mariannae patronus proponere adamat. Cum his in adiunctis testium examen expletur nil mirum quod Mariannam laudent, maritum vero complures laedant. Mirum potius est quod factorum evidentia compulsi fateantur Conradum vera narrare, tum quoad Mariannae deflorationem, cum quoad consummationem matrimonii quod nobis satis superque est.

Cum haud constet matrimonium opere incompletum mansisse, supervacaneum putat de dispensandi causis verba facere; obiter tamen animadvertit Mariannam non ob modo viri impotentiam, neque ob animorum aversionem vel saevitias, sed ob viri decoctionem fideique amissionem valedixisse viro, ac per Mariannae propinquos , idest matrem et fratres stetisse quominus individua vitae coniugum consuetudo restaurata sit.

Quae cum ita sint conclusit consultor, ad propositas rogationis formulas. I. *An constet de matrimonii nullitate in casu.* Et quatenus negative. IL *An consulendum sit SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu,* plano velut alveo descendit responsum, ait vindex, *Negative ad utrumi{ue.*

Quibus animadversis proposita fuere diluenda

Dubia

I. *An constet de matrimonii nullitate in casu.*

Et quatenus negative.

II. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re disceptata, sub die 18 Augusti 1888 censuit respondere: Ad I. *providebitur in secundo.* Ad II. *Affirmative.*

MECHLINIEN.

MATRIMONII

Die 18 Augusti 1888.

Sess. 24 cap. 1 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Irma Vermeiden Bruxellis nata die 13 Novembris 1861 matrimonium in facie Ecclesiae rite contraxit die 7 Iunii 1881 cum Ernesto Luciano Haussens fere eiusdem aetatis, et cum eodem cohabitavit usque ad mensem Novembrem 1884; quo tempore vitae consuetudinem solvit, allegans matrimonium, ob antecedentem viri impotentiam, nondum consummari potuisse. Inconsummatio autem matrimonii confirmata fuit a medico Eugenio Iansens, qui, patris Irmae rogatu, corporalem mulieris inspectionem peregit die 2 Aprilis 1885. Inde obtento prius per mutuum consensum divortio, ut aiunt, civili, mulier preces obtulit Curiae metropolitanae Mechliniensi, ut nullitas aut saltem inconsummatio huiusmodi matrimonii declararetur. Verum initio processus vir coram iudice ecclesiastico obstinate comparere renuit; mulier autem declaravit, « sibi tantopere repugnare sese denuo corporali inspectioni submittere, ut nullum medicum ad hoc admitteret, praeter B. Thiriaux, medicum patris sui ; » cui iudex annuendum censuit. Unde audita muliere eiusque ***septima manu,*** nec non relatione praefati medici Thiriaux et alterius medici Iansens, Archiepiscopus die 25 Februarii 1887 sententiam tulit, qua dicebatur, matrimonium, de quo in casu, nunquam fuisse consummatum ac gravissimas adesse rationes pro dispensatione concedenda, a matrimonio rato et non consummato. Quibus rationibus alia non minus gravis mox accessit: nam sequenti die, id est die 26 Februarii, Irma, impiis sollicitata consiliis, Londini vinculo contractus civilis cum alio viro sese obstrinxit.

At vero, acta causa coram S. C. C. sub assueta dubii formula, ***an sit consulendum SSmo etc.,*** EE. PP. responderunt: « Dilata et compleantur acta processus, iuxta instructionem dandam a Defensore matrimonii ex officio.

Quae instructio sequen us fuit tenoris.

« 1. ***Curandum est ut meliori, quo fieri potest modo, constet de iudicio a nonnullis medicis edito ad finem anni 1884 dum E mesti corpus explorar unt; nec non ut ad examen adducantur tum medici praedicti, tum alii, quos Ernestus consuluit durante coniugum cohabitatione. »***

< 2. ***Compleatur testimonium*** septimae manus ***per examen consanguineorum, affinium vel amicorum Emesti, quos indicabit ipse Ernestus, si a.d. comparendum induci queat a matrimonii defensore. Neque omittatur, si possibile sit, examen domini Bara ac Emesti propinquorum medendum, quos omnes acta processus de re instructus renuntiant. >***

Cohaerenter ad haec Rmus Archiepiscopus processum compleri sategit, verumtamen haud omnino prospero exitu. Sane, peculiaribus suis litteris diei 14 Aprilis huius anni, haec edocebat:

« 1. Omnia tentata fuisse, ut iuxta instructiones supra relatas, processus compleatur; omnia quoque media adhibita fuisse, ut comparèrent, qui iuxta instructionem citandi erant; sed incassum; tantummodo scriptas declarationes obtinere licuit a medicis Thiry et Desinet, cognatis Ernesti Haussens, ut patebit ex ipsis actis, adeo quidem, ut revera nihil amplius fieri queat. >

« 2. Quae modo collecta sunt, eo quidem tendunt ut probent virum non laborasse impotentia perpetua et insanabili; verum nihil probant contra ***inconsummationem,*** testimonio oratricis, septimae manus ab ea inductae et medicorum, rite probatam. »

« 3. Probe quoque notandum est nostrum iudicem delegatum selegisse ex parte feminae testes, qui ipsi videbantur magis probi ac fide digni; admisisse testimonium medici Ianssens, cum hic medicus magna fruatur celebritate; aegre quidem admisisse medicum Thiriaux, quum ipsi praeferendus videtur medicus Curiae Archiepiscopali notus, ad quod actrix consentire noluit. Attamen quod haec spectat, limites accu-

ratae citationis praetergressi^ est praeclarissima matrimonii defensor apud Sacram Congregationem Concilii, quando affirmavit dominum Thiriaux iuxta nostrae curiae vinculi defensorem esse ***a religione alienum.*** Hoc non dixit defensor Mechliniensis in suis animadversionibus; sed haec sunt eius verba: ***Impugnare nolim scientiam et honestatem secundi medici (Thiriaux) ab actrice assumpti;*** eum tamen ***minus religiosum affirmandum puto.*** Iusta instructiones citandi erant medici ipsius Ernesti, a quibus nonnisi scripta testimonia obtinere potuimus, advertere tamen liceat, hos non magis religiosos esse, imo ab aliquibus etiam perhibentur ut religioni infensi. »

« 4. Fatendum quidem est mirae patientiae Ir mae Vermeulen, tacentis per triennium de modo quo maritus erga ipsam se gerebat, successisse praecipitantiam nimiam ad separationem et divortium obtinendum. Verum hoc non tam oratrici quam ipsius patri et consiliariis tribuendum. >

« Similiter culpa novi contractus civilis, non expectato iudicio ecclesiastico, initi, non penitus in ipsam mulierem coniicienda est. Ceterum de statu iu quo vivit, multum dolet. In litteris enim nuperrime ad me datis, enixe postulat a me, ut hunc processum suppletivum ad Sanctam Sedem quantocius mittendum curem, quo conscientiae tranquillitatem et pacem iterum obtineat. »

« 5. Igitur conati sumus obtinere a medicis sub n. 1. Instructionum designatis, tum eorum iudicium scripto exaratum, tum ut se sistant coram hac curia examinandos. Acta quae nunc mitto ostendunt huic rei partim tantum satisfieri potuisse. Pari modo ea quae Sancta Sedes praescribit de testimonio ***septimae manus*** ex parte Érnesti Haussens, et de huius ipsius examine orali, omni quo fieri potuit modo tentavimus exequi, sed incassum ; imo, ipse Ernestus iam antea, ut habetur in prioribus actis, iterum atque iterum citatus fuerat, ultimisque iudicis delegati litteris ne responsum quidem dare dignatus est. Post receptas instructiones, per eius matrem aliquid obtinere sperabamus; sed omnia in vanum. »

« Nec etiam adduci potuit dominus Bara, de quo instructiones, ad deponendum in causa, seu oraliter seu scriptis, dicens se hac in re nihil facere posse, cum fuerit oratricis consiliarius in processu coram tribunali civili.

« Si in hoc processu non omnia ad iuris ápices peracta fuerunt, considerandum est, eos fere omnes, qui in hac causa comparere debebant, stare ex partibus sic dictorum liberalium, qui se minime promptos exhibent ad obediendum voci Episcopi, et contra quos revera non adest nobis medium coactionis.

« Denique ex animo precor Eminentissimos Sacrae Congregationis Concilii Patres, ut recordari velint quidquid sit de impotentia Ernesti Haussens, Irmam Vermeulen a Sancta Sede petere dispensationem a matrimonio rato non consummato. De illa non consummatione liquido constat iam in primis actis huius processus, et nihil omnino in contrarium in hoc supplemento adducitur. Quapropter iterum maximopere supplico Sacram Congregationem, ut petitam dispensationem a Sanctissimo Domino petere et obtinere dignetur, ac ita miserarli feminam ex statu damnationis, vitae christianae reddere festinet. »

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO MULIERIS. Patronus istius in primis ostendere sategit acta processus completa omnino fuisse, quoad fieri potuit, iuxta instructionem datam a defensore matrimonii ex officio. Quod quidem satis iam constat ex epistola Rmi Archiepiscopi superius relata. Contendit deinde idem patronus indubium esse matrimonium in casu non fuisse consummatum. Id autem deducit 1. ex depositione mulieris, quae, emisso iuramento, affirmavit: matrimonium non fuisse consummatum. Cui depositioni iuramento ñrmatae, fidem omnino praestandam esse ait orator. Nam 1. non potest praesumi quod ii qui ad Ecclesiae auctoritatem confugiunt, et dum peccata evitare conantur, periurii crimine foedentur, ceu patet ex *cap. 34 De iureiur. -,* ubi *res relinquitur suae conscientiae.*

Unde iuramentum mulieris tanti semper habitum est, ut ante Constitutionem Innocentii XII ***Romanus Pontifex*** quandoque causa fuerit declarationis nullitatis matrimonii et passim indulgendae dispensationis in foro poenitentiali ob non sequutam consummationem, ceu testatur Corrado ***in dispens, lib. 6 cap. 7 num. 21*** remota omni corporis inspectione.
2. Fides adhibenda est mulieri ***ob eius religionem,*** quam non solum omnes iurati testes praecedentis inquisitionis asseruerunt, et ipse Rmus Archiepiscopus Mechlinien, in litteris superius relatis confirmat, sed insuper ostendi, ait orator, ex peregrinatione, quam ipsa mulier suscepit, Romam petendo ad hoc, ut suae conscientiae citius consulere posset ; et ex epistola ad Emum Praefectum S. C. C. subinde missa, in qua, praeter alia, haec scribit : sciat Eminentia Vestra me esse catholicam, et desiderio flagrari, ut mihi indulgeatur peragere matrimonium coram Ecclesia, per quod solum consulere possem meae gravi conditioni.... Romam ad hoc petii, ut certiorem facerem E. Vestram de meo casu; et profiteor me omnino veritatem exposuisse. Respiciat ergo E. V. meum statum infelicem et ab eo me cito relevet.

Inconsummationem matrimonii deinde deducit orator ex facto ***integritatis*** mulieris. Siquidem duo medici, Iansens et Thiraux emisso prius iuramento, sive in scriptis sive verbis coram iudice, post corporalem inspectionem de perfecto statu virginitatis mulieris retulerunt.

Quod autem, prosequitur orator, standum sit horum doctorum testimonio ipse Rmus Archiepiscopus docet. Etenim in superiori et iam saepe citata epistola diei 14 Aprilis 1888, scripsit de doctore lanssens : ***cum hic medicus magna fruatur celebritate*** et de medico Thiriaux observavit, defensorem vinculi Curiae mechliniensis affirmare debuisse : ***impugnare nolim (eius) scientiam et probitatem.***

Insuper inconsummationem matrimonii deducere contendit orator ex impotentia viri, quam iuxta ipsum suis testimoniis evincunt duo Medici eiusdem viri avunculi, Desmet scilicet et Thiry.

Itaque, concludit orator, auctoritate quatuor in arte peritorum, quorum duo corpus viri, duo vero corpus mulieris inspexerunt, apertissime constat matrimonium non fuisse consummatum.

Quod autem standum sit peritorum in arte iudicio, Canonistae passim docent; Card. Tuschus habet: « Periti in arte dicuntur ***mixti iudices, et testes;*** participant de utroque ***quin et quoddam iudicium quod fit per eos*** non autem testimonium. Hinc doctores magnae notae tenent in eis non esse locum timori subornationis. > ***(Lit. P. conci. 285 n. 1. 2).*** Et iuxta Gratianum : « peritorum relationi iuratae standum est, et iuxta illorum votum, quamvis partes contradicant, debet iudex sententiam proferre. ***Discept, forem, cap. 572 n. 48 etc.*** Cui concordat Abbas in ***cap. Proposuisti 4 de proh. n. 3.***

Gravissimum vero virginatis argumentum desumi, ait, ex existentia ac integritate hymenis , qui consistere haud potest in muliere corrupta. Quod probat auctoritate plurium anathomiae et medicinae forensis auctorum. Ita Zacchia ***Quaest. Med. Leg. lib. 4 tit. 2 quaest. 1 n. 1:*** Multa in medium adducuntur, quibus praesentibus de virginitatis integritate ambigi non potest, praecipue autem id probare videtur infallibile et inseparabile signum ab hymene desumptum, tenui nempe quadam membrana, qua praesente, virginem esse illibatam satis superque notum est ». Similia habent Bartholinius ***Inst. anathomiae lib. 1 cap. 31:*** Rudel ***Anatomia descrittiva vol. 2 pag. 324;*** Toihmeyer ***Inst* med. legal, cap. 4 quaest. 3;*** Barzellotti ***Quest. di medicina legale tom. 1 lib. 1 cap. 5 etc.***

Sed praeterea inconsummationem matrimonii deducit patronus ex depositionibus septimae manus. Testes enim omnes concordant, referentes impotentiam Emesti esse notoriam, eamque fuisse veram causam, ob quam ipse Ernestus suum assensum praestitit civili divortio. Ita sane Matildes Van Hoorde testata est, ipsam matrem Emesti sibi patefecisse in quadam familiari conversatione suam persuasionem de eius-

dem impotentia. Item Decanus Bruxellensis affirmavit, factum impotentiae viri esse Bruxellis notorium, et notorium esse etiam quod eadem impotentia fuerit vera causa divortii. Pariter Felix Tasson, Hippolytus Du Sarte, Carolus Tilière, J. Van Langenhove et A. Cauler testati sunt, divortium effectum fuisse impotentiae viri.

Ex quibus omnibus concludit orator dubitari non posse de inconsummatione matrimonii ob impotentiam viri.

His positis, recenset patronus imploratae dispensationis causas, super quibus tamen immorandum hic non censeo, cum ipsae, tum ex dictis in genere, tum ex Emi Archiepiscopi epistola supra ex integro relata satis aperte constent.

Tandem orator observat opponi non posse quod non omni ex parte servatae fuerint cautelae ab instructione diei 22 Augusti 1840 statutae. Nam S. Congregatio numquam edixit eas esse ad unguem observandas sub poena nullitatis. Et animadvertit multa statuta esse ut unitas in agendo habeatur, quin illorum omissio aut mutatio secumferat poenas nullitatis. Non semper enim legis violatio nullitatem inducit, sed tantum in iis, in quibus lex diserte mandavit, omissionem plecti nullitatis poena, ut omnes Doctores admittunt.

ANIMADVERSIONES S. VINCULI VINDICIS. Ex adverso defensor matrimonii ex officio, anteacti processus acta recolit, ex quibus nec exploratum reperiri corpus actricis, nec sententiam medicorum attendi posse, neque depositiones testium aut confessiones.

His praelibatis defensor quaerit, an quae in novo iudicio peracta sunt in Curia mechliniensi respondeant instructioni de mandato S. C. C. ad eamdem Curiam archiepiscopalem missae. Et nihil haesitans respondet, quod pauca, quae continet processus complementum, eiusmodi sunt ut, quin actrici faveant, eamdem perdant.

Reapse Irma, eius pater et avia putant impotentiam Ernesti comprobare narrando sibi ab aliis relata. En quae actrix testatur: notum mihi est quod unus ex avunculis Ernesti retulit uni ex amicis meis omne remedium esse inutile. Et

similiter pater fatetur, se audivisse a viro Bara, avunculum Ernesti medicum Thiry, dixisse : sanationem Emesti esse impossibilem. Cum patre chorum agit avia , quae per tramitem aliorum scit, praedictum Thiry affirmasse, mederi Ernestum, esse conatum omnino vanum. Vinculi defensor flocci facit istiusmodi testimonia et confessiones, quippe quae extrinseco et intrinseco valore destituuntur, et subiungit quod factum, ex adverso in prima iudicii sede assertum, acta novi processus purum putumque commentum esse demonstrant.

Archiepiscopus ipse fatetur: « *quae modo collecta sunt, eo quidem tendunt ut probent virum,* Ernestum, *non laborasse impotentia perpetua et insanabili.* » Itaque EE. PP. erit diiudicare, an Archiepiscopus, non obstante confessione praedicta, recte asserat « *inconsummationem* rite probatam; > et possit etiam adiicere: *de illa non consummatione* liquido constat iam in primis actis *huius processus, et nihil omnino in contrariaai in hoc supplemento adducitur.*

Dolet autem vinculi defensori, quod iudex inquisitor rem de qua *quaeritur,* affirmet, uti videtur, etiam quando testes interrogat; quod mente tenendum est eum in finem, ut quisque perspiciat medicos, Ernesti avúnculos, inconsummationem non asserere, quasi ipsis nota sit, sed eam *supponere,* quia vident a iudice inquisitore affirmatam.

Iurisconsulti autem Bara agendi rationem, et excusationes adductas, ut abstineret a qualibet attestatione, decipulas vocat vinculi defensor, et adiungit quod cum praedictus Bara in iudicio confirmare renuat quod ab ore ipsius accepisse inquiunt Irmae pater et avia, tanquam non dicta ea haberi debere.

Relate ad civile divortium medicus De Smet affirmat, illud non contigisse causa valetudinis curandae, quia tunc temporis dominus Haussens habebat omnes virilitatis qualitates.

Causidicus vero Van Hoorde, dum ex una parte auditum praestat Irmae patri aliisque de impotentia D. Haussens

colloquentibus, ex alia in probationibus deficit, ita ut invitatus ad proferenda nomina et testimonia medentium, a quibus de impotentia Haussens se loqui audivisse asserit, respondeat : impossibile mihi fuit obtinere ab aliquo ex parentibus domini d'Haussens ullam declarationem quoad eius impotentiam.

At quod impossibile sit ab avunculis viri Haussens attestationem obtineri falsum esse dicit defensor, nam Ernesti avunculum testimonia scripsisse et verbis ultro dedisse constat.

Post quae defensor conclusit, referendo verba a vinculi assertore in Mechliniensi curia prolata, verendum scilicet esse ne « post breve tempus ***Ernestus fiat notorius vir ad generationem plane habilis,*** cum feratur ipsum habere amicam.

Quibus praenotatis propositum fuit diluendum

Dubium

An consulendum sit SS'no pro dispensatione a, matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re discussa, sub die 18 Augusti 1888 censuit respondere ***Affirmative.***

FERENTINA

MATRIMONII

Die 24 Martii et 18 Augusti 1888

Sess. 24 cap. 1 Do ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Anno 1855 Ceccani in Dioecesi ferentium, nuptias inibant Faustina Mauro et Ioannes Ciottoli.

At vertente anno 1866 Ioannes stimulis conscientiae aodtatus, et a confessario admonitus, imo de quorumdam medicorum consilio, Faustinam dereliquit. Idque ex causa prorsus singulari, quia nempe incertum erat, mulier ne esset Faustina, an vir.

Re ad Curiam per virum delata, haec tres medicos Ceccanenses delegavit ad invisendam Faustinam; et hi concluserunt eam certissime femineo sexui esse adscribendam. At duo medici Ferentini e contra renunciaverunt sexum Faustinae esse masculinum. Quapropter peritiorum fieri iudicium a Curia decretum est.

At Ioannes impensis sustinendis haud parem se esse declarabat; unde ad S. C. C. ventum est, quae iussit processum de more instrui, ac deinde mulierem Romam mitti, ut heic peritiorum examen subiret. Processus quidem confectus incontinenti fuit, et iam a die 15 Aprilis 1870 ad S. C. C. transmissus; sed mulier Romam petere recusavit.

Supervenientibus autem, iis diebus, civilibus perturbationibus, quibus Urbs hostili vi occupabat ur, res quievit. Sed anno 1884 publicis obortis dissidiis Faustinam inter et Ioannem, datisque publicis accusationibus, tribunal civile mandavit duobus medicis Frusinone degentibus, ut Faustinae corpus inspicerent. Et hi sub iuramento retulerunt, eam esse virum perfectum et quibusdam adhibitis remediis ad ipsam quoque generationem active capacem. Unde etiam paulo post contigit, ut civilis iudex nullitatem matrimonii Faustinae inter et Ioannem civiliter declarare praesumpserit.

Eodem ferme tempore ex viri instantia S. C C. ferentino Episcopo iussit, ut procederet ad inspectionem mulieris iuxta canonicas leges et acta examinis ad S. C C. transmitteret. Porro obstetrices ad Faustinam examinandam, adsertae retulerunt, eam neque feminam esse neque virum et ad activam simul ac passivam generationem esse omnino inhabilem.

Hisce habitis, rogatoque SSmo, ut causa oeconomice pertractantur, proposita fuit cum votis consultorum et animadversionibus defensoris matrimonii.

Disceptatio Synoptica.

VOTUM THEOLOGI, Quemadmodum, ait iste, nomina rebus saepe convenire conspicimus; ita etiam facta temporibus

aliquando convenire retinendum est. Hinc mirum esse non débet, si extraordinariis hisce temporibus, de insuetis aliquibus quaestiones instituendae sint, cum potius mirum esse deberet si nihil admirandum haberetur. Quod ut demonstretur, causam exposuisse sufficiat, quae hodierno vestro sapientissimoque iudicio examinanda et resolvenda proponitur.

Vertente anno 1855 , in ceccanensi Paroecia ferentinae Dioeceseos, matrimonium contraxerunt ioannes Ciotoli et Faustina Mauro, qui ut legitimi Coniuges maritalem societatem iniverunt, coniugalibus officiis operam dantes et quidem quam saepissime. Sed eliu miseri ! qui per undecim annorum spatium prole omnino caruerunt, non certe defectu viri, sed ob miram et omnino insuetam conformationem mulieris.

Et quidem a prima nuptiarum nocie, animadverterat Ioannes aliquid adesse in uxore sua, quod a femineo sexu absonum omnino videbatur. Et licet rem secum ipso examinandam assumpsisset, et pluries de putata uxore sua dimittenda cógitasset; tamen cum ex una parte ad plenius libidinem explendam, praeter uxorem, alias etiam mulieres haberet, cum ex altera Faustinam agnosceret omni vitae subsidio penitus destitutam, illam apud se retinendam putavit; eo vel magis quod tandem rem poterat habere cum ipsa, licet ad effectum prolis obtinendae frustra omnino, planeque inefficaciter.

Ast transacto, ut dixi, undecim annorum spatio, quorundam medicorum consilio, tandem se invicem separaverunt, implorata tum apud civile, tum apud ecclesiasticum tribunal, contracti matrimonii nullitatis sententia. Sed quae res facillima videbatur, difficillima evasit, ob discrepans peritorum testimonium : vi cuius dicendum foret Faustinam Mauro revera esse monstrum illud horrendum et ingens, quod fingebat Horatius in sua arte poetica, quando equinam cervicem humano capiti iunctam supponebat ; si enim quaeramus a peritis quid tandem sit hoc, quod nos vocamus Faustinam Mauro? ipsi respondent quod sit vir-mulier, vera mulier et

perfectus vir, magir vir quam mulier, imo neque mulier neque vir. Quid igitur?

Equidem, sapientissimi Iudices, si mihi onus incumberet scribendi tamquam vinculi defensor, argumenta invenirem, nedum sufficientia, sed etiam redundantia, ad evincendum, Faustinam Mauro vere mulierem esse; ideoque eiusdem cum Ioanne matrimonium esse omnino et sub omni respectu indissolubile. At quoniam pro rei veritate et ex conscientia mihi votum exarare commissum fuit; hinc demonstrare cogor, matrimonium, de quo agitur, nullum omnino, irritum et inane fuisse, quia contractum inter duos viros, quorum unus sub virili habitu Ioannes Ciotoli nominatur, alteri vero sub feminea veste, fuit nomen Faustinae tributum.

Antequam autem veniam ad probationes, quas compendiosas futuras promitto, oro Vos, Emi Patres, ait consultor, animadvertere velitis, totam hanc tractationem esse de phy-r sica et anatomica Faustinae corporis conformatione, circa quam non una eademque fuit peritorum sententia. Hinc mihi condonandum putabitis, si quid verbis prolaturus sim, a quo stylus ipse refugit. Utinam liceret mihi iurare, ut dicitur in verba magistri! quod facere potuissem, si periti omnes consentientes fuissent. At quoniam discrepantia est in peritorum sententiis, eas oportet ad trutinam revocare, saltem ne insoluta maneant, quae inde desumpta, vinculi defensor erit oppositurus,.

Hisce praeiactis, en argumentum. Illa persona certe pertinet ad virilem sexum, in qua et generatim totius corporis conformatio, ac speciatim genitalium partium natura hominem designant : atqui persona, quae venit sub nomine Faustinae Mauro, talem praesefert generalem corporis conformationem, et talem, licet monstruosam, in verendis naturam ut hominem des gnent: ergo Faustina Mauro ad virilem sexum pertinere dicenda est.

Et quod attinet ad generalem corpors conformationem constat ex Peritorum et obstetric um testimonio, quod in corpore Faustinae haec conspiciant ur, videlicet 1. capilli non

satis oblongi; 2. barba in superiori labro, in malis et in mento; 3. sonora vox; 4. sternum amplum et longum; 5. papillae pilis circumductae, deficientibus mamillis; 6. arcta latera; 7. al vus lenis et planus ; 8. bacinus nimis arctus, praesertim in sua externa inferiori et posteriori parte; 9. collum, brachia et crura nimis musculosa; 10. denique genua compernia. Atqui haec omnia virilem sexum manifestant. Ergo attenta generalis corporis conformatione dicendum omnino est, Faustinam Mauro non ad femineum, sed ad virilem sexum pertinere.

Scio equidem ait demonstrationem de sexu maxime deducendam esse ex genitalium partium conformatione et natura. Et scio pariter, sub hoc respectu, quaestionem in casu valde complexam evadere, ex Peritorum et Obstetricium discrepantia, qui vellent Faustinam Mauro esse vel androgynum, vel hermaphroditum, vel virum perfectum, vel veram mulierem, vel tale denique monstrum, quod non sit neque mulier, neque vir. At si animadvertatur, existentiam feminei sexus unice admitti a Peritis ceccanensibus; statim patebit sufficere ad rem nostram, si horum tantummodo depositionem ad trutinam revocemus. Nihil enim nostra refert scire an Faustina Mauro sit andrògynus, vel hermaphrodite; dummodo certo constet ipsam haud esse mulierem, quod certe satis est, ut matrimonium in casu uti nullum haberi possit.

Itaque in primis ceccanensium Peritorum depositionem miram omnino esse et valde singularem, inde vel maxime deducitur, *quod, recognitis in Faustina fere omnibus virili—fatis signis, depositio concludat pro existentia feminei sexus, quod certe absonum videtur et inconsequens.

Sed hoc etiam praetermisso, certum est ceccanenses Peritos ad conclusionem de venisse ex praeconcepta quadam idea, vi cuius ***a priori*** persuasi erant de feminea Faustinae natura. Unde cum probationibus res confirmanda fuit, talia protulerunt argumenta, quae femineum sexum in Faustina non probant, nisi data hypothesi quod ipsa revera femina

fuerit; vel, si magis Iubet, argumenta protulerunt deducta •ex quibusdam factis , quae si talia essent, qualia ab ipsis supponuntur, probaren t utique Faustinam mulierem esse; sed cum contrariam omnino explicationem admittere possint, nil in facto, et de facto probare censenda sunt.

Et sane primum argumentum deducunt ex facto, quod Faustina Mauro, per undecim annorum spatium, rem habuerit cum viro suo; et quidem per veram copulam, in vero femineo vase receptam. At undenam haec scientia Peritis ceccanensibus, ut asserant et veram in suo genere copulam et in .vero femineo vase perfectam fuisse? Acta enim processus et partium depositiones contrarium omnino manifestant et probant; nam quod attinet ad copulam, docet vir se nonnisi difficulter et insufficienter eidem operam dedisse; quod vero attinet ad verum femineum vas, Faustina ipsa fatetur maritalem viri ingressum revera numquam locum habuisse, cum ipsa deficerent, quae ad veram copulam habendam in mulieribus necessaria sunt. Si igitur necessaria deficiebant, quomodo dici poterit copulam Ioannis cum Faustina in vero femineo vase perfectam fuisse? Hoc unum remanet Peritis ceccanensibus, scilicet asserere quod copula in casu simulata et imperfecta fuerit, et quod locum habuerit extra debitum et naturale vas. At si ita est, videant ipsi qua ratione possit, ex tali copula , natura sexus demonstrari.

Idem dicendum de altero argumento, quo Periti ceccanenses probant, Faustinam vere mulierem esse, ex triplici eiusdem assertione. Ait enim Faustina 1. se cum sexdecim esset annorum, menstruum sanguinis fluxum passam esse, et quidem ita abundanter, ut coacta fuerit se in flumen proiicere; 2. adiunxit pariter, etiam in praesentiarum, menstruis quibusdam periodis, se affici doloris sensu in inguine, et in ventre; quo tempore neque stare, neque ambulare valet, imo nec a sponte mingendo se potest continere. Quae omnia cessare asseruerit abundanti quadam haemorrhagia (vulgo ***epistassi).*** 3. demum interrogata de suis affectivis propen-

sionibus, et de impressionibus habitis ex coniugali copula, respondit : se de suo statu et de habitis venereis impressionibus semper satisfaciant fuisse.

Et haec, Sapientissimi Iudices, adeo gravia sunt, ut si vera essent, Faustinam vere mulierem esse, necessario et absolute foret concludendum. At 1. haec asserere non sufficit, sed demonstrare necesse est. Undenam enim sciunt Periti, haec revera locum habuisse, quemadmodum a Faustina narrantur? 2. et probata etiam horum existentia, discutiendum foret de eorumdem natura : nam ex. gr. sanguinis fluxus, nedum ex utero, sed etiam ex. vescica-provenire potest. Ut autem probetur revera menstruorum naturam habuisse, probandum pariter foret non ex. vescica, sed ex utero promanasse. Hoc tamen Periti non demonstrant. Pariter ut frequentes illae doloris sensationes in inguine et in ventre haberi possint tamquam menstrua, vel menstruorum signa, certum esse deberet et regulariter quoad tempus et ordinarie quoad cessationem cum menstruis convenire ; sed de hoc vel silent Periti, vel non satis sufficientem explicationem adducunt. Attamen 3. quod omnem tollit difficultatem est ipsa Faustinae depositio, qua in iuridico examine ultro fassa est, se in hisce omnibus asserendis menti tam fuisse. Cum enim iuridicae depositiones non convenirent cum verbis antea prolatis, cumque de hoc interrogata a Iudice fuisset respondit: ***quod nunc refero est mera veritas... quum per undecim annos inservierim in domo met mariti, proiici ab ea, mihi fiebat res tristitia plena: exinde nascitur falsitas depositionum, quas tunc peregi.*** Ehu infelix ! mortuis parentibus, omni destituebatur vitae subsidio.

Cum igitur habeamus ex una parte facta allegata, saltem graviora, talia esse, quae possint etiam in hominibus verificari; cum habeamus, ex altera, haec omnia falso a Faustina asserta fuisse ; argumentum inde deductum nullius roboris esse, nos non solum, sed ipsi etiam ceccanenses Periti recognoscant necesse est.

Tertium argumentum pro recognoscendo in Faustina Mauro femineo sexu desumitur 1. ex deficiente quocumque signo seminis secretionis; 2. ex absentia illarum infirmitatem, quibus Faustina affici necessario deberet ex praedicta deficiente secretione.

Sed pace tantorum virorum, quaeram ab ipsis, quomodo et qua ratione probent revera deficere in Faustina Mauro omne et quodcumque signum seminis secretionis? Ad hoc enim affirmandum necessariae forent plures inspectiones, repetitae per longum temporis spatium, eo vel magis, quod absolute loquendo, talia signa deficere possint etiam eo die, quo revera semen emissum fuit. Quo igitur iure, ex una tantum, vel altera inspectione concludunt ceccanenses Periti seminis secretionem locum nullum in Faustina habuisse? Dicent fortasse hoc ipsos deducere ex deficiente excreatorio organo, vel magis quod praesumptus Faustinae penis uretra omnino careat. At quid mirum, data etiam facti veritate? ***In homine,*** ait Vidal, ***perfecta deficientia ur etrae rara est, adsunt tamen exempla.*** *P* ***atol. sez. 29 cap. 1 art. 1.*** Igitur dato etiam quod Faustinae penis uretra caruerit, non inde deduci poterit, in ipsa seminis secretionis locum nullum habuisse. Nec magis proficiunt ceccanenses Periti, dum vellent ex hisce omnibus deducere necessariam quarumdam infirmitatum existentiam, provenientium ex impedita seminis emissione. Etenim sciendum est 1. etiam in validis personis omnia in normali statu habentibus, fieri posse, ut genitalia modica vita vivant; ex quo fit ut modicum omnino semen efforment. Quod cum in senibus ex aetatis defectu, cum in iuvenibus quibusdam speciali quadam ex causa, sic et ***a fortiori*** in Faustina retinendum videtur, eo vel quia unicum in normali statu ipsam habere testiculum experientia ipsa demonstret : 2. pariter sciendum est pluribus de causis fieri posse ut semen, retorta via, in vessicam descendat, quo in casu, naturaliter cum lotio emittitur, quin infirmitatibus ullis occasionem praebeat.

Hisce igitur positis, quis unquam asserere audebit, haec

verificari non posse in Faustina Mauro, eo vel magis quod genitalia eiusdem uti imperfecta, uti monstruosa, uti naturae repugnantia, sint omnino et ab omnibus retinenda ?

Sed progrediamur ait ad postremum argumentum, quo ceccanenses Periti recognita in Faustinae verendis exteriori virilium forma, demonstrare conantur, exteriorem hanc formam non ex intrinseca et substantiali virilium natura, sed tantum ex libidinosa quadam mulieris pudendarum evolutione promanare. Hinc penem simulacrum appellant, scrotum vulvam dicunt, extraordinariam eiusdem conformationem vaginam nominant, et uretram agnoscunt in quibusdam membranis, quae ex ***frenulo*** in vaginale ostium descendunt. Et quasi haec satis non fuissent, nymphas et hymenem, imo et plicata pudendarum labra ita describunt, tamquam si Faustina Mauro mulier esset omnium perfectissima.

Ast cui bono, Emi Patres, ait Consultor, haec omnia refellere? Duo nobis innuisse sufficiat, quae si in Faustina reperiantur, virilis eiusdem sexus absoluta demonstratione probatus manebit, scilicet totalem absentiam uteri et certissimam existentiam testiculi. Atqui haec in Faustina reperiri, rei experientia, anatomica demonstratione, et ipsorum ceccanensium Peritorum testimonio comprobatur : ergo velint, nolint ceccanenses Periti, Faustinam virum esse retineamus oportet.

Et sane quod uterum in Faustina totaliter deficiat, nedum physice et anatomice, sed fere metaphysice probatum dicerem, ex duabus accuratissimis explorationibus, peractis a Peritis ceccanensibus quibus, media fistula et digiti ministerio, tum ex praesumpta vagina, cum ex posteriori parte, evidentissime probatum fuit inter vesicam et rectum nullum omnino aliud organum reperiri. Atqui si uterum adesset, praecise in hoc loco reperiri deberet. Neque supponendum quod ex anormali quadam conformatione, in individuo, de quo agitur, extra proprium locum reperiatur: nam data quacumque vitiata conformatione, necesse omnino est ut uterum si adest, in communicatione reperiatur cum vagina: atqui

ex peractis explorationibus constat Faustinae praesumptam vaginam unica cum vessica communicare: ergo in Faustina, uteri existentia est omnino et certissime deneganda.

Dum autem ex una parte constat uterum abesse, patet ex altera retinendam omnino esse testiculi existentiam. Etenim fatentibus Peritis ceccanensibus, in Faustinae scroto ovoidale corpus reperitur, quod omnia et singula continet, quae ad verum testiculum constituendum requiruntur, uti vel solo factu comprobari dicunt, incipientes a scroto usque ad inguinem. Qua igitur ratione denegari poterit corpus hoc esse verum testiculum? Vellent ceccanenses Periti hoc corpus esse glandulam quamcumque, nullam cum vero testiculo relationem habentem. At doceant prius ceccanenses Periti dari posse ordinarias glándulas iis ornatas organis, membranis et tegumentis, et praesertim escreatorio canale, ut in Faustinae testiculo; et tunc ultro dabimus eis, testiculum illum, aliud non esse nisi glandulam quamcumque.

Interim vero nos, iis innixi, quae ab ipsis ceccanensibus Peritis prolata fuerant, sic argumentamur : ibi, quaecumque demum sit exterior genitalium forma, virilis sexus certissime recognoscendus est, ubi probari potest absentia uteri, et praesentia testiculi : atqui in Faustina Mauro argumentis, omni exceptione maioribus, uterum abesse, et testiculum adesse probatur : ergo Faustina Mauro est omnino ut vir ab omnibus retinendus.

Quae cum ita sint, cum physice et anatomice constet generalem Faustinae corporis conformationem, et specialem genitalium partium substantialem naturam, hominem indigitare; eiusdem cum Ioanne matrimonium nullum irritumque fuisse, unico argumento ita demonstratur scilicet: Matrimonium est coniunctio maris cum femina : atqui in casu habetur coniunctio maris cum mare : ergo matrimonium nullum haberi potest.

Itaque nihil impedire puto quominus et Ioanni Ciotoli libertatis documentum concedatur, et permittatur Faustinae Mauro ut, mutato nomine, sub virili habitu incedere possit.

VOTUM CANONISTAE. Praemissis nonnullis animadversionibus et omissa quaestione circa errorem personae ut plenius perspicuitati consulam, ait Consultor, universam disquisitionem ad unum doctrinae caput reduci posse videtur: ***matrimonium in themate est nullam ir ritumque ex deficentia subiecti ex parte putatae uxoris.***

Matrimonium simpliciter sumptum in ***vinculo coniugali*** dumtaxat habet essentiam cum s. Thoma in ***3 Supp. q. 44 ar. 2,*** secus non concipitur. Hac igitur essentia considerata duo necessario requiruntur ut vinculum procedat, ***contractus*** nempe et ***obligatio:*** quae postrema ex se in ***materia*** innititur circa quam celebratur ***contractus.*** Et quoniam iuxta communem cum Pirhinghio ***I. C. lib. 4 tit. 15 n. 69,*** Schmalzgrueber ***eod. tit. 1 n. 225,*** Laurentio ***For. Eccles. I. 4 n. 78,*** huius contractus terminus est ***ius*** ad mutuam traditionem corporum in ordine ad copulam, ut fieri possint una caro; hinc diversitas sexus est ***materia necessaria*** in hoc contractu ex Bas. Poncio ***De Matr. lib. 7 c. 57 num. 2 circa med.;*** et in quantum per eam respicitur ius in sexum est ***materia remota,*** in quantum vero respicitur traditio iuris huius est ***materia proxima*** cum Laymann ***eod. c. 2 n. 3,*** S. Ligorio ***Theol. mor. I. 6 n. 880*** etc. Unde matrimonium sine copula consistere recte concluditur ex iure ***27 q. 2 c. Matrimonia 1*** cum S. Thoma in ***3 supp. q. 48 art. 1 ad 3,*** Sánchez ***De Matrim, lib. 2 disp. 28 n. 3,*** Palao ***De Sponsal. dist. 2p. 1 n. 3,*** Pirhinghio /. ***c. etc. etc.***

Sed ut dilucidius pergam in enodanda quaestione dicendum venit ratione materiae diversum esse respectum matrimonii ad ***sexum*** et ad ***copulam.*** Copula enim attenditur in matrimonio uti ***obiectum,*** quod coniuges equidem promittunt et ad quod ius in corpus ad invicem concedunt; sexus autem attenditur in matrimonio uti ***subiectum,*** quod coniuges non promittunt, sed tradunt ad invicem ***realitatem,*** scilicet diversitatem sexus ad ius illud exercendum, ut possint fieri, quatenus velint, una caro.

Inde ratio desumitur cur in impotentia consequenti adhuc matrimonium consistat ***arg. c. Consulisti 4. De frig. et male;*** quia scilicet etsi deficiat obiectum, hoc est potentia exercendi ius promissum, non deficit tamen subiectum sive materia necessaria matrimonii, quae in diversitate sexus consistit. Quod si per accidens diversitas haec cessaret, ut puta in hermaphrodito gynanthropos, id est femina putato, qui ut talis contraxerat, et postea ex praevalentia sexus imbecillioris, scilicet virilium, ut pluries contigit et videre est apud Pignatellum ***Consult, tom. 4 cons. 34,*** Ursayam ***Inst. crvrn. I. 3 tit. 5 n. 205 seqq.,*** Ziinum ***Comp, de Med. leg. tom. 1 § 168 ed. Neap. 1880,*** Monacum ***Manual, di med. leg. part. 1 c. 7 ibi 1887 etc.*** in androgynem hoc est virum evasit, statim matrimonium dissolvetur iuxta Bas. Poncium ***op. et loc. cit.*** card. De Lugo ***Resp. mor. I. 1 dub. 31 n. 8*** (qui ni fallor soli hunc casum obiter resolvunt). Et ratio est quia deficiente materia, contractus illico extinguitur, eadem prorsus ratione, qua per obitum viri, mulier soluta est a lege viri, et vicissim.

Rursus steriles valide et licite matrimonium contrahunt S. Thom. in ***4 dist. 34 q. unie. a. 2,*** Pirhinghius /. ***c. n. 4,*** Engel ***Coll. univ. I. C. eod. n. 3,*** Palaus ***op. et I. c. d. 4 p. 14 § 1 ii. 3,*** Sánchez ***op. cit. I. 7 disp. 93 n. 26,*** S. Ligor. ***op. et I. cit. n. 1095,*** fundati in praxi universali quae est optima legum interpres, ***I. 37 ff. De legib,*** ob rationem quia tam obiectum quam subiectum non deficiunt ut fieri possint, si velint, una caro, licet ex qualitate subiecti per accidens frustretur finis primarius matrimonii ***27 q. 1 c. Nuptiarum 41;*** nam quod per accidens contingit non est spectandum, sed quod per se ex illa copula evenire potest. Unde constat hermaphrodites valide et licite contrahere etsi, qua tales, nequeant foecundare nec foecundari; ut docent communiter physiologi et tradunt De Orecchio ***Lez. de med. leg. le. 4,*** Laura ***Tratt. di med. leg. Sez. 1 c. 1 %4,*** Monacus ***op. et I. cit.,*** adeoque steriles habendi sunt, quidquid ab aliquibus inter quos mirum S summus Zacchias

Quaest, med. leg. I. 7 tit. i g- S n. 8 et Ursaya /. ***c.*** venditetur et notat Olericatus ***De sacr. poenit. decis. 43 n. 13;*** quod tamen in inferioribus animantium speciebus reperitur ut probant naturalistae et refert Ziinus ***I. c.***

Ut vero in contractibus materia debet esse certa et determinata ***Reg. 116 % 2 de reg. tur.*** ita ut omnis error arceatur, secus iure naturae foret irritus, ut in terminis /. ***Non idcirco C. de iur. et fact. ignor., I. 15 De Rcrisd. I. 11 et 41 ff. De contr. empt.*** sic hermaphroditi sexu determinato dumtaxat, quamvis imbecilliori, dummodo idoneo iuxta Schmalzgrueber ***op. c. I. 4 tit. 15 n. 54*** ReifFenstuel /. ***C. eod. n. 24,*** Laurenium ***eod. q. 242 n. 2*** valide et licite matrimonium contrahunt ex ***I. Quaeritur IO ff. De stat. hom.*** ibique Baldus in ***addici,*** et Glossa in ***4 q. 2 et 3 c. Si testes verb. Hermaphroditus i. Repetundarum § Hermaphroditus ff. De test.-I. Sed est quaesitum in fui. De lib. et posth.*** et in dubio prae valentiae si hermaphroditus contrahere velit, parochus exquirere tenetur ab eo cautionem iuratoriam per iudicem ecclesiasticum de sexu electo servando, ut ex consuetudine usus universalis invaluit et tradunt Maiolus ***De irregular. I. 3 c. 25 n. 16,*** Sánchez ***op. et I. c. disp. 106 n. 1 et 7,*** Palaus ***op. et L c. disp. 4 p. 14 § 5 n. 5,*** Schmalzgrueber ***I. c,*** Leurenius /. c. ***num. 1,*** aliique passim ***arg. 16 q. l c . Presbyteros*** et ***c. Diversis 5 de der. coniug.*** tum propter deformitatem tum etiam quia in duo divisus nemo potest consistere.

Hinc ex praedictis plane constat matrimonium hermaphroditi iure consistere, quia nempe matrimonii obiectum et subiectum habetur in illo, tum relate ad sexum, tum relate ad copulam; ex quibus materiam certam determinatamque sive proximam sive remotam exurgere matrimonialis contractus pro valore obligationis in essentiale vinculum coniugale, etsi hermaphroditus sit sterilis ex se.

Iamvero videndum utrum haec concurrant in themate, ut decernatur an matrimonium Faustinae, ceu ratum vaiidumque sustineatur. Ad quod quaesitum responderem: negative ,

quia ex parte uxoris subiectum deficere plenissima et concludentissima probatione demonstratur ex confessione ipsiusmet hermaphroditi, ex criminosa insimulatione ipsi illata ; ex relatione iuridica peritorum ; tandem ex notionibus ab actis desumendis.

Antequam vero EE. PP. super proposita materia loquar a VV. EE. utendo verbis bonestissimi Zacchiae ***L c. n. 35*** « expeto, ut si quae hic offenderitis castis auribus minus congruentia, argumenti qualitatem excusetis, quod aliter tractari non permittit. » Cum homines simus talibus compellimur miseriis quae utique foeditate perturbant. Sed « si Angeli, ut ait Ludov. Bail ***Concil, tom. 2 pag. 811 a censuris huiusmodi vindicans doetissimus Sánchez,*** essent homines talibus non indigerent. »

Porro subiectum deficere in themate ex parte uxoris probatur ***ex confessione ipsiusmet hermaphroditi.*** Confessionem coniugis plene probare in causis matrimonialibus generaliter loquendo docent Reiffenstuel ***op. cit. I. 4 tit. 18 n. 15,*** Pirhinghius ***eod. n. 3*** aliique communiter ***arg. ex. c. In omni 4 de test,*** et ***c. Cum in tua 27 de Sponsal. et matr.*** sed in punctualibus verbis de hermaphroditis tenent Navarras ***Cons. L 1 tit. 14 de act. et qual. ordin. cons. 8 et alibi,*** Reiffenstuel ***op. et I. cit. tit. 15 num. 25,*** Schamlzgrueber ***I. c. n. 5*** ex usu, qui a consuetudine communis sensus effluens non est reformidanda, ac tuto sequi potest ex Mascardo ***De probat, in proem. n. 2*** ex ratione suffulti quod cum agatur de re praesenti hermaphroditi ipsi de se plusquam alii cognoscere valent.

Me non latet, ait Consultor, contra huiusmodi doctrinae caput quoad hermaphroditos late disserere Zacchiam ***I.*** c. ***n. 15 seqq.*** ubi conatur praeplurima oggerens ut praefatam DD. sententiam explodat, sustinens in contrarium ex signis sexualibus prae valentibus, aliisque habitualibus adstipulatis, omnino pro medicis criterium certissimum assurgere ad hermaphroditum marem vel feminam iudicandum.

Sed postea ipse Zacchias criterium illud exceptiones pati

obiter innuit ***ibi. n. 18 seqq.*** adeoque fallentiae obnoxium, idem ipse dignoscit.

Etsi Faustina nonnulla protulerit mendacia, tamen fidei eiusdem refragari nequit, cum de se testimonium emittit. Nam interrogata an cum viro suo matrimonium consummaverit, respondit negative, quia asta viri ingredi nequibat, deficiente eo, quod adesse debet, sicut in aliis feminis. Confessio haec iudicialis licet explicite de organorum muliebrium absentia, id est de subiecti defectu, non referat, tamen valde probat, Faustinae verecundia in actu iudiciali inspecta, dum circumloquutione aequipollenti utitur, cuius eadem est virtus expliciti ***I. Cum quid ff. si certa petit I. Si filius familias ff. eod. I. final, ff. de legib. 2 L Item quia ff. de paci.*** et probat in puncto Glossa ***c. Unico de Cler. non resid. in 6 verb. affuerint.*** Omnis ambiguitati locus prorsus expungitur et hoc eo magis coniiciendum quia aequipollentia Faustinae adamussim respondet germanis depositionibus peritorum tum iudicialium, tum extraiudicialium, quorum inferius erit locus; ex quibus adminiculis dixerim complementum expletissimum plene et concludentissime eius depositio pertingit.

Probatur ***ex relationibus iuridicis peritorum.*** In arte magistri iuratum in relatione testimonium aliquando, ut in themate, iuxta ***c. Fraternitatis 6 et c. Literae vestrae 7 de frig et malef.*** necessarium in iure esse communiter docent Engel, ***op. cit. I. 2 n. 11,*** Wiestner ***Inst. Canonie, ibi n. 24,*** Schimier ***Procès, iudic. c. 13 n. 35 seq.*** aliique penes ipsos, illudque retinendum esse pro probatione probata, tradit Mascardus ***op. cit. conci. 1037 n. 2 seqq.*** cum aliis plurimis ibi; atque ad tramites iuris peractum scilicet non per viam testimonii exhibitum, sed per viam relationis a iudice impositum ad theoriam Felini in ***c. Proposuisti 4 de prob. n. 6*** universaliter receptam, uti in themate probationum omnium validissima est ***arg. I. Si irruptione 8 fin. ff. finium regund.*** et tenet Gaill. ***De Ian. pub. L 1 cos. 26 n. 9,*** Wiest 7. ***c. n. 27,*** qui omnino adeund- s alique. Quatenus autem habeantur plures periti deputati « non

attenditur quod unus ex illis arbitretur ; sed illorum maior pars, et habens in his casibus maiorem partem, dicitur habere consensum totius corporis ad textum in ***I. Nulli*** ubi Glossa ***verb. duae partes*** et /. ***Et suum haer ed. 8*** ubi Glossa ***verb. Quarta parte vers. Item nota ff. de Paci.,*** Abbas in ***c. Cum omnes n, 13 De Consul.*** » Ita Ursaya ***Disc. Eccl. tom. p. disc. 12 n. 77.*** Quod in individualibus terminis servandum in themate, quo octo periti iudiciales, et duo extraiudiciales cum tribus colliduntur. Sicque octo illi, seu melius decem praeferendi sunt tribus istis contrarium attestantibus eo quod « standum sit sententiae plurium, quorum maior numerus in concurrentia attenditur » iuxta Rotam apud Zacchiam ***op. cit. decis. 43 Romana Somet. officii die 11 Iun. 1619 coram Sacrato § Et licet,*** et ***decis.*** *44* ***Eugubina Beneficii 1 Maii an. eod. coram Buratto § Verum.***

Atqui in themate maior pars peritorum, seu octo contra tres sententiam retinent et iureiurando adfirmat, abesse uterum in Faustina, adesse caracterem virili fatis, et ideo impotentia laborare muliebri. Argumentis autem studet explodere sententiam trium contrariorum. Et uti consequentia legitime deducta, autumat matrimonium in themate nullum irritunique esse ob deficientiam subiecti ex parte putatae mulieris.

Tandem Consultor censuit et evincere studuit esse exposcendum sanationem actorum duplici de vitio, quo processus laborat; tum quia omissi fuerunt testes in examine, tum quia solemnit.ites iudiciales exularimt. Et conclusit proponendo dubium : an matrimonium hermaphroditi sit nullum in casu : cui dubio respondit : praevio iuramento, in examine principali omisso, facto verbo cum SSmo: ***Affirmative.***

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Matrimonium, ait Defensor, quod vertente anno 1855 solemniter contraxit Ioannes Ciotoli cum Faustina Mauro, in leves auris amandare idem contendit ab anno 1866 asserens Faustinam sub feminea veste virilem sexum celare.

Haud necessarium putavit vindex, processus tam diuturni historiam texere ac varias et diversas phases et exitus fuso calamo enarrare. De his nonnihil dicetur in decursu animadversionum, quando disceptationis opportunitas id exiget.

Heic recitare sat esse rescriptum, in quo S. C. C. sub die 12 Maii 1884 ecclesiasticae Ferentini curiae mandavit, ut *servatis de iure servandis,* procedi curaret ad corporalem mulieris inspectionem per *viros exploratae peritiae et probitatis,* et examini subiiceret mulierem et *testes* ab ea producendos, et acta relativa transmitteret ad Sacram Congregationem una cum exemplari relationis a peritis editae coram civili tribunali.

Quamvis ecclesia nihil antiquius habeat quam, ut mulier non per medicos, sed per obstetrices ad explorandam virginitatem inspiciatur, iure tamen optimo S. C. C. in praesenti causa iussit Faustinam per medicos exploran. Agitur enim non iam de indiciis intemerati aut corrupti claustri virginalis perquirendis, sed de potentia coeundi imo sexu dignoscendo, quem in finem maior quam quae sit in obstetricibus artis peritia desideratur.

Ad rem Sánchez *De matrim, libr. 7 disput.* ***113*** *n.* ***21*** — ibi — « Duodecima conclusio. Quamvis regulariter ad mulierem inspiciendam eligendae sint matronae honestatis gratia, ut constat ex *cap. Proposuisti* et ex *cap. penultim. De probat,* et ex *cap. Fraternitatis,* et ex *cap. final. De frigid, et mai e fida t. At ubi agitur de qualitate arctiorem peritiam ad iudicandum desiderante, quam quae in feminis reperitur,* ne probationum facultas pereat, aut matrimonium validum dissolvatur, vel irritum approbetur, *medici periti adhibendi sunt, qui feminam inspiciant.* Quod huius rei *gravitas et necessitas praeponderet naturali honestati;* sicut a medicis inspicitur ubi necessitas urget morbi. Et probatur ex *cap. Ex Uteris de frigid* — ibi — *Si vitium illud mulier a 'natura contraxit, nec ope medicorum poterit adiuvari.* — Et ex *cap. Fraternitatis,* verb. *Per haec autem eod. tit.* — ibi — *Nisi per incensionem, aut alio simili*

ni odo violentia inferatur. — Nam uterque textus supponit in his eventibus feminini a medicis inspiciendae: utpote, qui id nec iudicare, nec decidere possunt absque conspectu. Et ita docent Franciscus Aretinus etc. »

Iamvero Ferentina curia minime id intellexit. Centies queror de medicis in causis matrimonialibus, absque necessitate, naturali honestate refragante, adhibitis ; hodie queri debeo negotium tam arduum ac inusitatum, ad quod impares sunt ipsi medici, nisi sint in arte proceres, obstetricibus commissum.

Quocirca, ut praeteream alia gravissima processus vitia, quae lectissimus consultor canonista perstringit, acta pro infecto sunt, sive quia servata minime est forma a S. C. C. de mandato sacratissimi Principis in memorato rescripto praestituta, sive quia prudentia vetat caecis oculis testimonio et iudicio obstetricum subscribere.

Ante inspectionem « Periti, inquit actuarius, dictas obstetrices sedulo instruxerunt de recognoscenda visu et factu muliebri inspectione ». Et subinde iidem periti *exqaisiti sunt saper relatis et depositis uh obstetricibus.* At istis cautelis, quae sufficiunt ad explorandam virginitatem, nemo sanus contentus esse potest quando res est de generandi facultate vel sexu investigando.

Fateor Faustinam non solum a saepedictis tribus obstetricibus die 10 Novembris 1886, sed etiam antea per viros peritos exploratam fuisse. Scilicet, corpus eius inspexerunt die 4 Septembris 1866 medicus Aloisius de Antonis et chirurgus Aloisius Pagamici ferentinenses ; die 14 Februarii 1867 medici Henricus Iacomelli ac Eugenius Sarzana, nec non chirurgus F. Lucangeli ceccanenses: et die 30 mensis Martii 1884 loseph Badaloni et Valerius Orlandi medici chirurgi frusinates.

Adverte tamen —*primo* - postremos duos peritos, Iosephum Badaloni et Valerium Orlandi tanquam extraiudiciales esse habendos, quippe qui laici non ecclesiastici iudicis imperio corpus Faustinae recognoverunt : — *secando* — tres

archiatros ceccanenses, Henricum Tacomelli, Eugenium Sarzana et F. Lueangeli unanimes concludere apud Forum, quod persona de qua agitur est *femina.*

Quoniam egregii consultores gravissimam ceecanensiuni conclusionem parvipendimt; imo optimus consultor theologus putat ceccanenses peritos ad eam conclusionem devenisse ex praeconcepta quadam idea, vi c ûus a *priori* persuasi erant de feminea Faustinae natura, operae pretium est factis, quibus periti innituntur, paulisper immorari. Ex his enim non solum eniteat impensum studium et iudicium rectum, quo periti ceccanenses munus sibi concreditum expleverunt, sed etiam levitas peritorum, qui ad oppositam conclusionem devenerunt. Non loquor de obstetricibus. Nam istae quasi sutores ultra crepidam iudicant, culpa non sua. Nec referam, cum versemur in materia in qua non licet abundare, indicia minus necessaria a ceccanensibus peritis diligentissime perquisita.

Signa vero potentiora ita perstringit Zacchias *Quaestionum medico-legali u m libr. 7 tit. 1 quaest. 8 num.* ***20:*** — ibi — < Monendum quod excretio menstrua cum carentia testium facit sufncientissimam probationem feminini sexus, etiamsi plura alia vigerent pro sexu masculino, et etiamsi insigne membrum virile adesset: indicat enim excretio menstrua internum feminae temperamentum, et muliebrium genitalium perfectam constitutionem, qua stante impossibile est virilia genitalia ad eam perfectionem, uno eodemque tempore pervenire posse. > Ast omnia haec ceccanenses cognitores testantur.

Quapropter, facti evidentia prostrati, non vero ex praeconcepta quadam idea iidem cognitores concludunt : personam , de qua agitur, esse feminam. Quae conclusio , ex se modestissima, quaestionem plene resolvit. Matrimonium enim semel contractum declarari irritum nequit, nisi apodicticis argumentis demonstretur Faustinam potentia coeundi destitui.

E contra laudare haud possum duos illos peritos a laico

tribunali deputatos, qui facta maximi momenti, de quibus nisi certitudo, dubium omnibus est, cum opinioni suae adversentur, summa securitate negant, quin explicent vel innuere curent quae fuerit aliis peritis occasio errandi. Porro de vagina fuse agunt, non solum tres periti ceccanenses, sed etiam duo ferentinenses asserunt. At praefati cognitores saecularis magistratus contenti sunt e tripode pronunciare : haud existere vaginam : nihil aliud.

Egregius consultor theologus notat : — ***uterus si adest femineum sexum absolute demonstrat.*** — Ab hoc argumento apodictico ii cognitores se expediunt per verba, non prospicitur uterus — Edisserant, quaeso, diligentias, praesidia, quibus usi sunt ad hoc ut uterum, si adesset, videre potuissent. Nonnihil tentarunt medici ferentinenses; Medicus equidem non sum nec medici filius : sed, nec ferentinenses forsan fecerunt quantum satis.

Antedicti medici tribunalis laici non minus, quam in denegandis factis conclusioni suae adversantibus, faciles se praebent in audiendis admittendisque iis, quae sibi arrident. Omnia persequi non possum, sed unum tantummodo veluti specimen indico; aiunt, quaelibet scroti pars testem continet normalem. Hoc argumentum maximi profecto ponderis est. — ***Testes enim,*** ait Zacchias ***op. cit. lib. 7 tit. 1 quaest. 8 n. 18, sic dicti, quod testimonium praebeant virilitatis*** — Ast hi periti, dum hoc affirmant, egregie pugnant coni omnibus aliis cognitoribus : quippe qui uno ore assertos Faustinae testes haud normales iudicant ; imo testis dexter oculos nonnullorum exploratorum prorsus effugit.

Quoad hoc praeterea pugna est trium peritorum ceccanensium et duorum ferentinensium. Illi enim plumbeo veluti pede incedentes, omnia rimantur et concludunt adesse in Faustina ***simulacrum,*** non vero ***naturam*** ipsam testium vel testis: isti autem iudicium sic praecipitant autumando adesse normalem testem.

Peritos ceccanenses optimus consultor canonista deceptos existimat a Faustina. « Commentis quibusdam (inquit) illos

fefellit Faustina; scilicet de menstruorum et epistaxis circulo, nec non de symptomatibus quibusdam ipogastrii et inguinis referens. Quae singula postmodum retractavit. » Observa tamen in primis ceccanenses* peritos non tam inniti Faustinae confessionibus, quam factis per ipsos diligentia mirabili exploratis. Deinde non video quid Faustina retractaverit : non menstrua ineunte pubertate habita, non posteriores sanguinis emissiones cum relativis incommodis, neque alia facta cognitoribus ceccanensibus revelata. Postremo, si timendum foret ne Faustina tunc mentita fuerit, quia aegre ferebat dimitti a viro, metuendum etiam est ne mentiatur modo, quia post viginti annos ad maritales lares remeare refugit.

Neque meliori omine consultor eximius masculinum Faustinae sexum probare contendit ***ex criminosa in simulatione Faustinae illata.*** Impactum enim ei, crimen rei venereae cum fratría, negare possum, quia iudicialiter de illo minime constat, sed hoc etiam paullisper admisso, non statim exinde consequitur Faustinam esse masculum. Compertissimum namque est, mulieres huiusmodi, etsi ad sexum virilem minime assurgant ac femininum quoad substantiam perfectum retineant, mulieres perditissime appetere et appeti. Abs re duco purgatissimis EE. VV. oculis supponere quae ad rem habet Zacchias ***cit. lib. 7 tit. 1 quaest. 8 num. 24 et 25.***

Quae cum ita sint ad propositum dubium — ***An constet de matrimonii nullitate in casu —*** responsum submisse postulo — ***Negative*** — sin minus, — ***Dilata et compleantur acta.***

Quibus animadversis propositum fuit diluendum

Dubium

An constet de matrimonii nullitate in casu.

RESOLUTIO. Sacra Cong. C. causa cognita, sub die 24 Martii 1.888 censuit respondere : ***Dilata et fiat nova, inspectio a tribus peritis medico-chirurgis, a S. C. designandis, quem in finem Fraustina Romain adveniet.***

Iussa s. Congregationis regulariter impleta fuerunt: et inspectione peracta, in hasce devenerunt conclusiones. 1. Faustinam Mauro praeditam esse sexu masculino. 2. Aptam non esse matrimonii consummationi, qualis femina. 3. Huiusmodi impotentiam esse antecedentem matrimonii celebrationi, nempe anno 1855, esse perpetuam atque insanabilem.

Quibus iterum expletis propositum fuit enodandum

Dubium

An constet de matrimonii nullitate in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re iterum disceptata, sub die 18 Augusti 1888 censuit respondere: ***Affirmative.***

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Matrimonium in themate esse nullum irritumque ex deficientia subiecti ex parte feminae : et uterque coniux liberatur a lege alterius, ceu fit per obitum alicuius coniugis.

II. Quum enim huius contractus terminus sit ius ad mutuam corporum traditionem in ordine ad copulam, qua duo fiunt una caro; hinc diversitas sexus in matrimonio est materia necessaria quamvis copula non sit necessaria.

III. Sed diversimode in matrimonio respicitur copula et sexus ; copula enim obiectum constituit quod coniuges promittunt et ad quod ius in corpus ad invicem concedunt; sexus vero respicitur ut subiectum, quod coniuges tradunt ad invicem ad ius copulae exercendum, quatenus velint.

IV. Ex hac diversitate nascitur quod matrimonium iam initum stare potest absque copula, ceu evenit in impotentia consequenti, quia deficit tantum obiectum, non vero materia necessaria matrimonii : nullum autem fieret matrimonium iam initum si diversitas sexus cessaret, uti accidit in hermaphrodite ex consequenti praevalentia sexus, quia tunc deficit materia necessaria seu subiectum.

V. Hinc sequitur quod etiam steriles et hermaphroditi valide et licite nuptias contrahunt, electo et determinato sexu, etsi per accidens ab utriusque frustretur finis primarius

matrimonii; dum secundi, qua tales nequeunt foecundare aut foecundari, et sterili sint aequiparandi, ut communiter docent physiologi.

VI. Regulariter ad mulierem inspiciendam eligi matronas, honestatis gratia; excepto casu in quo desideretur maior peritia, quam in feminis reperitur; tunc enim deputentur medici oportet, ne pereat facultas probationum, aut matrimonium validum dissolvatur vel irritum approbetur.

EX S. RITUUM CONGREGATIONE

DECRETUM Beatificationis seu declarationis Martyrii Ven. Servi Dei Gabrielis Perboyre Sacerdotis e Congregatione Missionis sancti Vincentii a Paulo.

Militantis Ecclesiae decus et gloriam, insigni constantia in Christi fide asserenda ac dilatanda sane auxit Venerabilis sacerdos Ioannes Gabriel Perboyre, qui gentes edocens ut salvae fierent, pretiosam martyrii palmam adeptus est, prodigiorum fulgore a Domino illustratam. Is parentibus antiqua pietate claris natus anno millesimo octingentesimo secundo, die Epiphaniae Domini, in Oppido *Puech* Caducensis Dioeceseos, et integerrimis moribus a pueritia ornatus, iuvenis adhuc inter alumnos Congregationis Missionis s. Vincentii a Paulo cooptatus est. Ibi brevi tamquam virtutum exemplar praebens, ad Imperium Sinense missus fuit, ut paganorum ad christianam fidem conversioni operam daret. Quadriennio autem ab eius in eam regionem adventu, atrox in christianos erupit persecutio, quae in primis operarium ipsum evangelicum impetiit. Satellitibus advenientibus, Ven. Dei Famulus cum aliquot fidelibus aufugit; sed pretio triginta argenteorum a neophyto proditore, Iudae haud absimili, inimicis traditus, vinculis arctissimis constringitur, verberibus contenditur, manibusque revinctis post terga attrahitur. Horribili carcere exinde inclusus, identidem ab eo educitur ut ad tribunalia feratur, non tam iudicia, quam atrociores poenas, opprobria, convicia et impias exquisitiones subitu-

rus. Catenis durissiniis semper detentus, saepe etiam flagellis, tormentisque discruciabatur, donec carnis laciniae deciderent, et in eo propria viri species vix agnosceretur. A. falsis testibus impudicitiae ac magicae artis accusatus, infamiae stigmatibus in fronte notatur, ac superstitioso more canis cruorem bibere cogitur. Post diuturnum vero unius anni inter cruciatus maximos pro fide certamen, quod, miram mansuetudinem cum invicta pectoris fortitudine coniungens, constanter pertulit, ita demum ad extremum supplicium perrexit, ac si ad triumphum properaret. Ad trabem suspensus in qua inflictae mortis causa inscripta inspiciebatur, fune eius collo circumducto, Martyrium gloriose consummavit, die undecima septembris, anni millesimi octingentesimi quadragesimi. Tibi Martyrii fama vulgata fuit, fideles sanctitatis eius ac prodi-* giorum celebritate excitati ad supplìcii locum confluxere, et potissimum curarunt , ut pretiosum inclyti Martyris corpus a satellitibus redimeretur. Vicarii Apostolici, qui in iis regionibus versabantur, accuratas relationes conficere et idonea testimonia colligere sategerunt de rebus a Dei Servo gestis, et Martyrii actis. Quae quum Romam delata essent, attenta temporum et locorum summa difficultate condendi ordinarias iudiciales tabulas, sa. me. Gregorius Papa XVI, qui ea iam in consistoriali Allocutione nuncupaverat *testimonia satis idonea,* **indulsit, ut Ordinariae Inquisitionis instar haberentur, ideoque sententiam peculiaris Congregationis Sacrorum Rituum apposite a se deputatae approbans, Commissionem introductionis Causae ipsius Venerabilis Dei Famuli, aliorumque plurimorum Servorum Dei in odium Fidei in Sinis interemptorum, propria manu signavit die nona Iunii anni 1843. Verumtamen Ven. Gabrielis causa pluribus deinceps nobilitata portentis ut celerius expediretur, a ceteris seiuncta fuit. Sed propter regionum distantiam, rerumque publicarum vicissitudines non breve praeteriit temporis spatium, in construendis apostolicis Processibus iisque Sacrae Congregationi exhibendis, ac singulis praeliminaribus quaestionibus iuxta canonicas sanctiones rite pertractandis. Quibus feliciter ab» solutis, in Congregatione Antepraeparatoria 11 Kalendas Augusti anni 1862 de Martyrio et causa Martyrii disceptatum fuit penes cl. me. Cardinalem Constantinum Patrizi S. R. C. Praefectum causaeque Relatorem. Successit Conventus Praeparatorius habitus in Palatio Apostolico Vaticano pridie Nonas Iulii anni 1886, ubi Relatore cl. me. Cardinali Dominico Bartolini, qui Cardinali Patrizi subrogatus erat, adstantibus Rmis Cardinalibus Sacris tuendis**

Ritibus praepositis, ex Pontificia venia sub unico dubio, etiam de caelestibus Signis seu Miraculis actum est, quae obitum pretiosum illustrarunt tum in corpore et sepulcro defuncti, eiusque mira apparitione qua ethnicum hominem ad Baptismum invitavit, tum in restituta non uni aegroto sanitate. Tertio tandem in generalibus comitiis coram Sanctissimo Domino Nostro LEONE PAPA XIII in eodem Palatio Apostolico Vaticano coadunatis pridie Idus Iunii nuper elapsi, Rmus Cardinalis Carolus Laurenzi, Cardinali Bartolini e vivis sublato, in Causae Ponentem suffectus, Dtibium proposuit: *An constet de Martyrio et causa Martyrii, nec non de Signis et Miraculis, in casu et ai effectum de quo agitur f* **ae singuli Rmi Cardinales et Patres Consultores ex ordine suffragia dederunt. Quibus acceptis, Beatissimus Pater decretorium suum iudicium de more differre voluit, monens adstantes in re tam gravi assiduis apud Deum precibus insistendum esse.**

Hac porro Dominica ultima post Pentecosten, et die sacra triumphis praestantissimae Virginis et Christi Martyris Catharinae, quae per similem acerbissimarum passionum tramitem ad aeternas divini Agni nuptias pervenit, antea Eucharistico oblato sacrificio ad se, ad Pontificias Vaticani Aedes accersivit Rmos Cardinales Angelum Bianchi Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum, et Carolum Laurenzi Causae Relatorem, una cum R. P. Augustino Caprara Fidei Promotore, et me infrascripto Secretario, iisque adstantibus solemniter pronunciavit: Constare de Venerabilis Servi Dei Gabrielis Perboyre Martyrio et causa Martyrii, pluribus signis et Miraculis a Deo illustrati et confirmati.

Huiusmodi Decretum in vulgus edi, et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit 7 kalendas Decembris anni 1888.

A. Card. BIANCHI *S. R. C. Praefectus*

(L. © S.)

LAURENTIUS SALVATI S. R. C. *Secretarius.*

EX S. C. EPISC. ET REGULARIUM

LITTERAE Eminentissimi Praefecti ad Ordinarium Burdigalensem quoad communionem peragendam a familiis religiosis.

Perillustris ac Reverendissime Domine uti Frater,

Ex parte Officialis istius curiae ecclesiasticae expositum nuper fuit, quod in omnibus fere familiis religiosis praescribuntur in Statutis certi dies, in quibus omnes ad sacram communionem accedere debent, et quod multi communionum catalogum ita intelligunt quasi nulli sit licitum communicare etiam de consilio confessarii, nisi accedat quoque formalis consensus Superioris vel Superiorissae.

Quibus expositis, quaesitum proponit: Quaenam sit mens Ecclesiae, quando approbat haec statuta circa communionem in familiis religiosis ? Scilicet, an haberi debeant ut prohibitiva ne plures fiant communiones, vel praeceptiva, ita ut omnes conentur ita vivere ut mereantur ad communionem accedere saltem in illis diebus?

Itaque Sacra haec Congregatio Episcoporum et Regularium, omnibus perpensis, respondit:

Negative ad primam partem; et facultatem frequentius ad Sacram Synaxim accedendi relinquendam esse privative iudicio Confessarii, excluso consensu Superioris vel Superiorissae;

Affirmative ad secundam partem, quoties rationabilis causa non obstet.

Haec erant a me Amplitudini Tuae significanda, cui interim fausta cuncta ac prospera adprecor a Domino.

Amplitudinis Tuae.

Romae, 4 Augusti 1888.

Uti frater addictissimus

I. CARD. MASOTTI, *Praefectus*

ALOISIUS EPISCOPUS G-ALLIMCEN. *Secretarius.*

APPENDIX III.

In qua plura referuntur Decreta S. Rituum Congregationis.

PARISIEN.

Emus ei Rmus Dnus Cardinalis Hippolytus Guibert Archiepiscopus Parisiensis Sacrae Rituum Congregationi quae sequuntur exposuit, opportunam rogans resolutionem seu declarationem, videlicet:

I. Quum in Civitate Parisiensi ex statutis Municipii nulla fiat Processio extra Ecclesiam, Clerus, qui funeri interesse debet, numquam defuncti domum adire potest, ut corpus efferatur ad Ecclesiam parochialem cum caeremoniis et precibus in Rituali Romano praescriptis; sed corpus currui impositum silentio defertur ad Ecclesiam, sequentibus cognatis et aliis qui funus comitantur. Ad corpus vero recipiendum Clerus stat in ianua intra Ecclesiam clerico praeferente crucem et alio aquam benedictam ministrante. Ibi dicuntur Antiphona ***Si iniquitates*** et Psalmus ***De Profundis:*** postea omisso Psalmo ***Miserere,*** cantatur Responsorium ***Subvenite,*** et caetera fiunt ut in Rituali. Imo usus invaluit ut in exequiis solemnioribus Psalmus et Antiphona praedicta non solum recitentur, sed etiam tono solemni decanlenlur, dum corpus in ingressu Ecclesiae excipitur, et turba aliquando frequentissima funus comitans Ecclesiam ipsam ingreditur. Porro petitur ut hic usus servari licite possit.

U. In exequiis parvulorum usus invaluit in Archidioecesi Parisiensi ut Missae vel Vesperae celebrentur prout respective et ante vel post meridiem absolvuntur. Missa vero de die vel votiva dicitur iuxta rubricas, et Vesperae cum cantu habentur de die, vel votivae de parvo Officio B. M. Y. Absoluta Missa, vel cantatis Vesperis, dicitur ad feretrum antiphona ***Hic accipiet*** et reliqua uti in Missali Romano. Exposcitur itaque ut hic usus familiis parvulorum acceptissimus ac pietati maxime favens retineri valeat.

Sacra Rituum Congregatio hisce postulatis, a subscripto Secretario relatis, accurate perpensis, auditaque sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris , ita rescribendum censuit :

Ad I. Usum quoad exequiarum ordinem Parisiis vigentem, uti exponitur servari posse.

Ad II. Affirmative, sed celebrari debet Missa votiva de ***An-***

gelis. Atque ita declaravit atque indulsit. Die 8 Februarii 1879.

PARISIEN.

Quum Emus et Rmus Dnus Card. Hippolytus Guibert Archiepiscopus Parisiensis a Sacra Rituum Congregatione exquisierit: utrum in Missis quae ante SSmum Sacramentum publicae venerationi expositum celebrantur in Archidioecesi Parisiensi, liceat Fideles ad sacram Synaxim admittere extra Missam, et an saltem, attenta consuetudine, maxime pietati favente, idipsum tolerari possit?

Sacra eadem Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem subscripti Secretarii ad utramque propositi quaesiti partem respondit: Negative. Atque ita respondit ac rescripsit. Die 8 Februarii 1879.

COLONIEN.

R. D. Ioannes Ludewig Sacerdos loci vulgo ***Gibelsrath*** in Archidioecesi Coloniensi a Sacra Rituum Congregatione insequentis Dubii solutionem humillime postulavit, nimirum :

Liber Pastoralis dictae Archidioeceseos (editus anno 1870 iussu Iosephi Clementis Archiepiscopi Coloniensis) permittit Sacerdoti unica tantum unctione ac formula abbreviata uti in administratione Sacramenti extremae Unctionis quum id necessitas vel contagium exigat: quod tuetur Benedictus XIV in Opere De Synodo Dioecesana lib. 8 cap. 3. Hoc posito quaeritur utrum liceat, in- impertienda absolutione Generali Papali ad contagium evitandum, uti brevissima formula, quae legitur in Breviario Romano Romae typis edito an. 1843, quaeque ita se habet : ***Indulgentiam Plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti Amen f***

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii rescripsit: Affirmative in casu. Atque ita rescripsit. Die 8 Martii 1879.

N1VERNEN.

Rmus D. Stephanus Antonius Lelong Episcopus Nirvenen. quae sequuntur Sacrae Rituum Congregationi exposuit, opportunam declarationem seu resolutionem humillime expostulans, videlicet:

I. Potestne Episcopus iure ordinario concedere licentiam etiam plures Missas qualibet die celebrandi I° in Capellis seu Oratoriis publicis piarum Communitatum etiam earum quae clausuram non habent; 2° in Capellis seu Oratoriis piarum Communitatum , quae licet non habeant ingressum in via publica, inserviunt tamen quotidianis exercitiis totius Communitatis; 3° in Capellis seu Oratoriis ad personas quidem privatas pertinentibus, sed quae sunt publica vel semipublica

in eo sensu quod habeant ingressum in via publica vel prope viam publicam ut semper cuilibet volenti intrare permittatur.

II. Potestne Episcopus alia oratoria praeter Capellani seu principale Oratorium erigere in piis Communitatibus sive ob numerum Sacerdotum ibi degentium, ut ab omnibus Missa dici possit, sive in gratiam infirmorum qui nequeunt adire Capellani seu Oratorium principale?

HI. Potestne Episcopus iure proprio concedere facultatem asservandi SSmum Sacramentum I° in Ecclesiis seu Capellis publicis quae tamen titulo parochiali non gaudent etsi utilitatibus Paroeciae inserviant; 2° in Capellis piarum Communitatum publicis, id est quarum porta pateat in via publica vel in area cum via publica communicante et quae habitantibus omnibus aperiuntur; 3° in Capellis seu Oratoriis interioribus piarum Communitatum, quando non habent Capellani seu Oratorium publicum in sensu exposito ut evenit ex. gr. in Seminariis?

IV. Potestne Episcopus iure proprio licentiam concedere uni Sacerdoti secundam Missam diebus dominicis aut festivis de praecepto celebrandi I° in Oratoriis seu Capellis quae a S. Sede vel vi Indulti ab ea concessi fuerunt approbata, quando propter distantiam a Parochiali Ecclesia ista secunda Missa proficere potest voto Parochianorum, qui aliter Missam non audirent vel saltem difficillime ; 2° in duabus Ecclesiis in eadem Pa rochia existentibus quando pro utraque deservienda unicus adest Sacerdos et tamen, non sine detrimento religionis, Missa in una tantum celebraretur; 3° in eadem Ecclesia quando aliter pars sat notabilis Parochianorum Missam non audiret; 4° quando valde utilis est, sin autem necessaria ista secunda Missa ut communicari a Fidelibus cum maiori facilitate et aedificatione frequentius possit?

Sacra itaque Rituum Congregatio , referente subscripto Secretario, hisce postulatis sic respondit :

Ad 1. Episcopus utatur iure suo in omnibus casibus expositis.

Ad II. Si porro ex piarum Communitatum conditione necessaria sit erectio alterius oratorii ad valetudinarii utilitatem, pro eius erectione facultas erit a Sancta Sede obtinenda.

Ad III. Implorandum est indultum a Sancta Sede quoad omni* postulata.

Ad IV. Posito quod Episcopus iam facultatem obtinuerit a S. Sede concedere Sacerdotibus suae Dioecesis indultum bis in die festo sacrum litandi, erit suae prudentiae hac speciali facultate in casu necessitatis pro populi bono uti, si vero eiusmodi facultate ipse non sit instructus, eam impetrare poterit. Atque ita respondit ac declaravit. Die 8 Martii 1879.

OP PIDEN.

Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Oppiden. a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionßm humillime expetivit nimirum:

Utrum Episcopus in Sabbato Sancto non pontificaliler, sed privatim conferre possit maiores Ordines in una ex publicis Cappellis in Cathedrali existentibus et parum dissita a Choro et Presbyterio; et an post Comunionem ordinatorum possit quoque ministrare fidelibus sacram Synaxim nondum expleta solemni Missa Conventuali, sed eodem tempore quo in Choro a Capitulo et Clero decantantur Prophetiae et reliqua Officia peraguntur?

Sacra itaque Rituum Congregatio, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Ma^gistris, ad relationem subscripti Secretarii proposito Dubio sic rescribere censuit: Negative ad primam partem'; ad secundam provisum in prima.

Atque ita rescripsit. Die 8 Martii 1879.

SANCTIMONIALIS! ORDINIS CISTERCIENSIS.

Iuxta Rituale Ordinis Cisterciensis ii omnes qui hunc Ordinem professi sunt, dum in mortis periculo versantur, primo Sacramentum extremae Unctionis tenentur recipere, deinde Viaticum. Quoniam vero in Monasterio Vallisdomicellae Sanctimonialium praefati Ordinis Barcinonae existente eiusmodi praxis non vigeat, hodiernus Confessarius Monasterii ipsius a Sacra Rituum Congregatione humillime exquisivit: Utrum liceat iisdem Sanctimonialibus, relicto ordine a Rituali Romano praescripto, primo Extremam Unctionem, deinde Eucharistiam vel Viaticum recipere?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii declarare censuit: Licere. Atque ita declaravit ac rescripsit. Die 8 Martii 1879.

CALAGURITAN. ET CALCEATEN.

Rmus Dnus Episcopus Calaguritanus et Galceatensis Sacrae Rituum Congregationi sequens Dubium resolvendum humillime proposuit, nimirum :

Festum Sancti Iosephi B. M. V. Sponsi et Catholicae Ecclesiae Patroni, quod ad ritum Duplicis primae classis a sa. me. Pio Papa IX elevatum fuit, occurrens a Dominica Palmarum usque ad feriam V in Coena Domini, ita ut festum Annuntiationis Deiparae absque praecepto sacrum audiendi et a servilibus abstinendi transferatur, estne transferendum iuxta rubricas Breviarii, vel praeponendum festo Annuntiationis ?

Sacra vero Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribere censuit : Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam. Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 8 Martii 1879.

BERGOMEN.

A Rmo Dno Alexandro Valsecchi Episcopo Tiberadien. et Coadiutore Episcopi Bergomen, insequentia Dubia solvenda Sacrae Rituum Congregationi proposita fuere, nimirum:

Dubium I. In Actis Ecclesiae Mediolanensis p. Y. inter ea quae in Instructione pro Congregationibus Dioecesanis praescripta sunt, haec habentur. « Deinde Missa solemnis celebretur a Sacerdote ministris adhibitis.... ea missa solemnis fiet pro Defunctis in ea Ecclesia, coemeteriove sepultis... aut de Spiritu Sancto si eam maluerit Vicarius...» Quaeritur itaque utrum eiusmodi Missa locum habere possit in occurrente Officio ritus duplicis, vel tantummodo quando ritus nempe semiduplex eam permittit?

Dubium II. An occasione electionis Summi Pontificis possit Episcopus in singulis Ecclesiis Parochialibus praescribere Missam votivam solemnem de Spiritu Sancto et post electionem pro gratiarum actione, prouti in Dioecesi Bergomensi superiore anno factum fuit?

Et Sacra eadem Congregatio, audito volo in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem subscripti Secretarii rescribere censuit:

Ad I. Praedicta Missa nequit celebrari, nisi diebus a Rubrica permissis, vel de speciali indulto.

Ad II. Affirmative in casu, praesertim attenta consuetudine. Atque ita rescripsit. Die 8 Martii 1879.

MECOACANEN.

Magister Caeremoniarum Ecclesiae Mecoacanensis in America Septentrionali Sacrae Rituum Congregationi humillime exhibuit sequentia Dubia, eorum solutionem supplex efflagitans, nimirum :

I. An consecrari possit Ecclesia quae non potest circumdari ab extra per Episcopum, ex eo quod Potestas civilis nullum actum religiosum externum permittit?

II. An in Dominica Passionis et in Missis Ferialibus eo tempore usque ad Feriam IV Maioris Hebdomadae inclusive et infra Octavas Paschae et Pentecostes dicere liceat oratio a Superiore imperata ?

Sacra porro Rituum Congregatio , audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremo»niarum Magistris, ad relationem subscripti Secretarii hisce Dubiis sic rescribere rata est:

Ad I. Impetrandae sunt a SSmo facultates necessariae et opportunae pro dispensatione in casu.

Ad II. Affirmative iuxta Rubricas et Decreta.

Atque ita respondit ac rescripsit. Die 22 Martii 1879.

Facta per eumdem Secretarium SSmo Dno Nostro Leoni Papae XIII relatione rescripti Sacrae ipsius Congregationis quoad I. Dubium , Sanctitas Sua expetitam dispensationem concessit, sub hac tamen conditione, ut saltem suppleatur ritus, qui est perficiendus extra Ecclesiam, in ipsius Sacrario vel alio loco decenti eidem Ecclesiae adnexo. Die 27 iisdem mense et anno.

DE ZACATHECASi

Rmus Dnus Iosephus Maria a Refugio Guerra hodiernus Episcopus de Zacatheoas in Republica Mexicana Septentrionalis Americae, Sacrae Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuit, videlicet :

I. Quum non mane sed vespere fiat processio cum SSmo Sacramento in eius Festo die vel per Octavam, nonnullis in Ecclesiis harum regionum , quaeritur utrum inveterata haec consuetudo permitti possit?

II. Si via memoratae processionis longior non fuerit, estne tolerandum , sicut usus invaluit per has regiones, ut semel aut iterum, tertio vel quarto, dumque canitur *Tantum ergo* cum versículo et Oratione super altare per viam construclum, SSmum Sacramentum deponatur?

III. Quando extra Missam sacra communio fidelibus ministratur, debetne sacerdos recitare *Confiteor Deo,* vel potius solus minister? Et quatenus negative ad primum, saltem id permitti possit vel tolerandum?

IV. Officium SSmi Cordis Iesu, quod recitatur in Ecclesia Mexicana feria VI post Octavam SSmi Corporis Christi, illud est, cuius hymnus ad Vesperas et Matutinum est *Quicumque certum quaeritis.* Iamvero, nonnullis in Breviariis recentioribus adduntur duo *Alleluia* in Responsoriis Horarum sicut intra tempus paschale. Quaeritur ergo an addenda vel omittenda sint haec *Alleluiai*

Sacra porro Rituum Congregatio audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem subscripti Secretarii propositis Dubiis sic respondere censuit :

Ad I. Affirmative : in Cathedrali tamen non omittatur alia saltem brevis processio, post Missam intra Ecclesiae ambitum.

Ad IL Usum tolerari posse.

Ad III. Negative, nisi omnino deficiente idoneo ministro.

Ad IV. Nihil innovandum. Atque ita rescripsit. Die 31 Martii 1879.

MAZARIEN.

Rmus Dnus Carmelus Valenti Episcopus Mazarien. animadvertens in sua Dioecesi nonnullas vigere consuetudines Rubricis ac Sacrae Rituum Congregationis Decretis minime conformes, quas aboler-e haud facile erit, utpote diuturnis populi moribus confirmatas, ab eadem Sacra Congregatione exquirere sui muneris esse duxit, num eas tolerare licite possit. Istae vero consuetudines sunt insequentes, nimirum:

I. In Dominica Passionis exponi solet tabula referens animas in Purgatorio degentes, in quarum suffragium Officium defunctorum cum absolutione ad tumulum et lugubri nolarum sonitu.

II. Aliquo occurrente die festo tempore Passionis in quo habeatur populi concursus ut ex. gr. in festo septem Dolorum Deiparae exponitur imago propria festi nullo obducto velamine.

III. Tam in Feria V Maioris hebdomadae, quam tempore exercitiorum spiritualium seu praedicationis verbi Dei quae fieri solet tempore Passionis et in Feria VI Maioris Hebdomadae, tum die tum nocte exhibentur venerationi fidelium detectae Imagines Crucifixi ac Beatae Mariae Virginis.

IV. Clavis urnae seu capsulae in qua asservatur SSma Eucharistia a Feria V ad VI Maioris Hebdomadae custodienda traditur alicui ex dignioribus laicis etiam adolescentioribus lucrandi gratia aliquod munus in beneficium ecclesiae.

V. Ab aliquot Archipresbyteris et Parochis fit statutis diebus benedictio Candelarum, Cinerum, Palmarum, Fontis Baptismalis et postea alter Sacerdos Missam cantant, sicut etiam in Dominicis aspersio aquae benedictae peragi solet a Sacerdote diverso ab eo qui Missam est cantaturus.

VI. Archipresbyteri et Parochi in omnibus functionibus stolam deferre consueverunt sicut etiam Caeremoniarii et Capellani parochi extra Sacramentorum administrationem.

VII. Mos est tam apud Canonicos et Beneficiarios quam apud ceteros presbyteros, licet nullo gaudeant privilegio, annulum deferendi, quem neque tempore Missae deponunt.

Sacra itaque Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, omnibus mature perpensis, sic rescribendum censuit:

Ad I. Serventur Decreta.

Ad II. et III. Serventur decreta praesertim in una Ianuen, diei 16 Novembris 1649 ad 2 et 3.

Ad IV. Clavis capsulae, in qua SSmum Sacramentum asservatur, tradatur Sacerdoti sacram functionem crastina die celebraturo aut sin minus servetur in sacrario; et detur decretum in una Neapolitana diei 14 Iunii 1845.

Ad V. Serventur decreta Pinerolien. diei 1 Septembris 1838 ad 2. Liburnen. diei 23 Septembris 1848 ad 8.

Ad VI. Servetur Decretum generale diei 7 Septembris 1816.

Ad VII. Servetur Decretum Bahlen, diei 23 Maii 1846 ad 6.

Atque ita rescripsit ac decrevit. Die 31 Martii 1879.

CONSTITUTIO SSmi D. N. Leonis XIII de Licaeo magno Quebecensi.

LEO PP. XIII.

Iamdudum pars ea Canadensis regionis, quae gallica et inferior dicitur, Romanorum Pontificum curas ad se convertit eo intentas, ut illic res catholica ad privatam communemque prosperitatem floreret. -— Sane ex quo primum iteratae ex Europa migrationes largius illuc humanitatis lumen adduxere, Clemens X Episcopalem Sedem Quebeci statuit, quae quasi parens habetur Dioecesium, quae ex gallicis colonis ortum habuere in Americae plagis, quae spectant ad septentriones. — Huic subinde Pius VII, anno huius saeculi undevicesimo, Archiepiscopalis Sedis nomen tribuit ac dignitatem; cui congruens accessit iurisdictio post annos quinque et viginti, quum Gregorius XVI ecclesiasticam provinciam Quebecensem constituit. — Quin etiam Nos amplius aliquid praestare curavimus; augescente enim fidelium numero e re catholica fore censuimus, si ea provincia diduceretur in duas ; adeoque non ita pridem Sedi Marianopolitanae, seu Montis Regii, archiepiscopales concessimus honores et iura, suasque illi, uti par erat, suffraganeas Sedes adsignavimus.

Neque his finibus contenta fuit provida Apostolicae Sedis sollicitudo erga fideles illius regionis. — Nam, quum primum per tempora licuit, animum appulit ad rectam solidamque iuvenum institutionem. Nimirum Pius IX inclytae recordationis praedecessor Noster, rogantibus Quebecensis Provinciae Episcopis, libens dedit operam ut Catholica *Universitas* **studiorum conderetur Quebeci. Cui quidem Universitatis ius omne legitimum largitus est per Litteras Apostolicas datas Idibus Maiis anno MDCCCLXXVI : eiusdem patronum esse iussit Cardinalem praefectum pro tempore sacro Consilio Christiano nomini propagando, et Cancellarium Archiepiscopum Quebecensem. Per easdem Litteras huic Athenaeo (quod a nomine Antistitis nientissimi** *Lavallense* **est appellatum) facultatem fecit creandi doctores, ceterosque gradus academicos in singulis disciplinis conferendi: rogati excitique sunt Episcopi Provinciae, ut sua illi aggregarent Seminaria et Collegia ; iisdemque Praesulibus demandata cura advigilandi cavendique ne quid a**

fide alienum vel pravum in doctrinas morumve disciplinam Universitatis irreperet.

Eodem anno, quo commodius et uberius sanae doctrinae late ad plures fluerent, simulque ut Monti Regio, civitati illustri, peculiaris haberetur honos, placuit S. Congregationi Christiano nomini propagando (cuius scitum Praedecessori Nostro probatum fuit) ut, subsidiariis scholis Monte Regio constitutis, Lavallense Athenaeum etiam ibi in *succursali* quam vacant sede magisterio fungeretur. — Decretum deinde est, ut illic omnes traderentur disciplinae, quas docentur Quebecenses alumni ea tamen lege, ut eae scholae subessent Summo Consilio a quo Lavallensis Academia administratur ac regitur, et vigilantiae Episcoporum Canadae interioris, praeeunte Quebeci Archiepiscopo. Denique Vice-Cancellarii munus Archiepiscopo Marianopolitano a Nobis creditum est. — Ex quo fructus haud mediocris ad pleniorem iuvenum institutionem est consequutus. Obeunt enim ibi docendi munus viri lectissimi, quorum plures in Archigymnasio Gregoriano, in Romano Seminario Nostro et in Urbano Collegio edocti sunt, eorumque ope dorent illic scientiarum studia, praesertim Theologiae et Philosophiae, revocata ad doctrinam *S. Thomae Aquinatis,* quam in omnibus ephebeis scholisque Catholicis restituendam curavimus. — At vero ut assolet in rebus humanis, ex varietate studiorum ac sententiarum dissidia quaedam orta sunt et concitationes; quae nisi protinus huius S. Sedis auctoritate fuerint consopitae, salutaris instituti firmitatem in grave possunt discrimen adducere , metumque iniicere ne optati speratique fructus exarescant. Nonnullos enim cupido incessit plures seiunctasque *Academias* habendi; ipsique iuvenum animi a cura discendi avocati, distrahi ceperunt in contraria studia et opiniones dissidentes.

Quamvis autem haec vario agitentur sermone, comperimus tamen libenter *Lavallense Athenaeum* Quebeci florere adhuc et laeta prosperitate frui; simulque scholas Montis Regii sic esse constitutas, ut nihil in iis desit ad plenam iuvenum institutionem, qui scientia velint imbui rerum divinarum, iuris, medicinae et artium.

Plane ob eam rem facere non possumus, quin gratulemur magnopere Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis Canadae inferioris, aliisque ecclesiasticis viris et laicis fidelibus, qui ad excitandum ornandumque opus tam utile, industriam contulerunt opesve suas, et iis qui hortationibus huius Sanctae Sedis obsequuti, huic Athenaeo aggregari curaverunt alia Collegia et Gry-

mnasia, quae in utriusque provinciae finibus continentur. Id namque eo valet ut par apud omnes sit docendae instituendaeque iuventutis ratio, atque ita firmiora arctioraque vincula fiant , quae iungunt invicem istius regionis fideles.

Quum vero Nobis nihil sit antiquius, quam ut haec animorum coniunctio solidetur in dies, adeoque in votis sit ut immotum maneat Athenaeum istud, cuius tanta vis est et utilitas ad eam fovendam, imprimis hortamur etiam atque etiam Venerabiles Fratres sacrorum Antistites regionis Canadensis Grallicae, ut eo quo praestant pastorali zelo adiuvare pergant vigilantia sua Archiepiscopum Quebecensem, prospicientes ne quid noxium integritati fidei et morum honestissimum illud scientiarum domicilium inficiat. Insuper quaecumque ab hac Apostolica Sede eiusve auctoritate accedente acta , gesta decreta sunt circa studiorum Universitatem Lavallensem rata habemus et confirmamus ; imprimisque declaramus unam hanc a Nobis agnosci et haberi Catholicam Universitatem Canadae inferioris, satis aptam et instructam praesidiis queis opus est, ut rectae ac plenae iuvenum institutioni consulatur, neque Nos passuros aliam Catholicam Universitatem ab ea seiunctam in -ea regione extare, cui ius sit gradus academicos conferendi. Quod autem Monte Regio est *succursale* **Athenaeum , hoc servari volumus, quasi sedem alteram Universitatis eiusdem, ac loco haberi Lavallensis Universitatis Monte Regio magisterio fungentis. Huius Pro-Rector designandus erit ab Episcopis provinciae Marianopolitanae, qui eum Consilio exhibebunt quod regendae Universitati praeest ; quemque respuere nequeat nisi ex causis quas iidem Episcopi probaverint.**

Consilium Universitatis Lavallensis iara sua sive in sede Quebecensi, sive in sede Montis Regii exercebit iuxta ea quae in Regia *Charta* **eidem Consilio conceduntur. Ut tamen paci ac concordiae inter idem Consilium eosque qui Montis Regii** *succursalem* **administrant plenius consulatur, haec quae sequuntur edicimus; quae idem Consilium pro sua erga Apostolicam Sedem devotione fideliter esse servaturum minime dubitamus.**

In *succursali* **Marianopolitana professores et decani eo ritu eligentur, qui nunc servari solet in singulis facultatibus, et a Con_ silio praedicto agnoscentur ac recipientur, extra quam si Archiepiscopus Montis Regii intercesserit, quominus admittantur. Semel autem admissi gradu moveri a Consilio poterunt, approbatis tamen ab eodem Archiepiscopo remotionis causis.**

In ea facultate quae *artium* dicitur, quaeque literarum studia continet, scientias naturales, earumque doctrinas variis industriae artificiis accommodatas, ius potestasque esto professores eligendi , sive ex utroque Clero, saeculari et regulari, sive ex laicis viris, prout usus fuerit ac res postulaverit.

In adornandis tabulis quae *programmata* dicuntur, quibus nempe praescripta ratio est experimentis habendis ab iis qui in facultate Artium baccalaureatum petunt, consuetudinem in praesens servatam retineri optimum ducimus, ut scilicet in sede Montis Regii proponantur consentientibus iis, qui collegiorum aggregatorum rationes curant. Cui consuetudini consentaneum est ea non posse immutari nisi immutatio placuerit Collegiorum eorumdem Delegatis, iisve qui horumce vices obierint. Aliorum programmatum conficiendorum ius et cura penes Doctores singularum facultatum esto, quae cum Quebeci tum Monte Regio traduntur, servatis regulis et praescriptionibus quae continentur in Statutis : quae pariter programmata, posthabita voluntate Doctorum facultatum ad quos ea pertinent, eorumve quibus potestas est illorum nomine agendi immutari nequeant.

Quoniam vero Collegium extat Monte Regio a *S. Maria* appellatum, quod regitur a religiosis sodalibus e Societate Iesu et clarescit eximia praeceptorum doctrina et auditorum frequentia, Nos ne specialibus privilegiis quae eidem Societati iamdiu ab Apostolica Sede concessa sunt omnino derogetur, benigne indulgemus ut sodales ipsi examine instituto alumnorum suorum experimentum capiant, iisque quos probaverint scriptum, testimonium praebeant, quo digni declarentur iis honoris gradibus, qui iuvenibus pari peritia praeditis conferuntur ab Universitate Lavallensi in Collegiis eidem aggregatis. Quo exhibito testimonio, a Consilio, quod Universitati regendae praeest, diploma tradetur, quo eiusdem Universitatis alumni gradum illum adepti, honestantur.

Episcopi utriusque provinciae Quebecensis ac Marianopolitana© quotannis una conveniant ut de Athenaei doctrina ac disciplina cognoscant ; iidemque omnia, quae eadem super re ratione temporis statuere necesse sit, communi consensu decernant.

Profecto eorum prudentia factum iri confidimus, ut quaecumque deinceps se prodiderint dissidii germina confestim evellantur, et Universitas novis semper floreat laudum incrementis.

Insuper quum ab exordiis salutaris huius Instituti potentissima Angliae Regina illud muniverit auctoritate et patrocinio te-

serit suo, certa spe nitiniur validum hoc praesidium ei non defuturam in posterum, pariterque confidimus praesto eidem semper fore favorem et studia illustrium virorum qui foederatarum Canadae civitatum, quique Quebeci gubernationi praesunt.

Imprimis vero persuasum Nobis est, Catholicos Canadenses, semotis dissensionibus, viribusque collatis, constantem daturos operam ut insigne hoc Athenaeum quam maxime diuturnum permaneat, rebusque in dies magis prosperis ac secundis utatur.

Id ut feliciter ex sententia contingat, haec quae supra scripta sunt statuimus, praecipimus atque mandamus, decernentes praesentes Nostras Litteras firmas, validas et efficaces existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum, Palatii Apostolici Auditores, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate fungente scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, nec non Apostolicis Constitutionibus et Ordinationibus aliisque speciali licet atque individua mentione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 2 Februarii Anno 1889, Pontificatus Nostri Undecimo.

EPISTOLA SSmi D. N. Leonis XIII de magno Lycaeo catholico Foederatorum Americae septentrionalis Statuum in urbe Washington constituto.

Magni Nobis gaudii causam affert studium vestrum, quo ad catholicae pietatis incolumitatem, ad vestrarum Dioecesium utilitates curandas incumbitis, et praesertim ad praesidia paranda, quibus rectae institutioni tum Clericorum tum laicae iuventutis , ac doctrinae in omni scientiarum divinarum et humanarum genere ad fidei normam tradendae, consulatur. Quamobrem pergratae Nobis extiterunt litterae vestrae exeunte superiore anno ad Nos datae , quibus Nobis significatis, Lycaei magni seu Universitatis studiorum cui in Urbe Washington excitandae operam datis, ita coeptum opus feliciter procedere, ut ad tradendas hoc anno in re theologica

doctrinas, omnia iam curis vestris rite sint comparata, ac a Ven. Fratre lohanne Keane Episcopo Tit. Iassensi eiusdem Lycaei rectore, quem ad Nos misistis, libenter statuta ac leges vestrae Universitatis excepimus, quas Nostrae auctoritati et iudicio subiecistis. Qua in re omni laude dignissimum iudicamus consilium vestrum, qui anno centesimo ab ecclesiastica hierarchia istic constituta, monumentum ac memoriam perpetuam rei auspicatissimae, initiis Universitati positis, statuere decyevistis. Nos itaque cura confestim suscepta explendi iusta desideria vestra, leges Universitatis vestrae ad Nos allatas delectis S. E. R. Cardinalibus e sacro consilio christiano nomini propagando cognoscendas et expendendas commisimus, ut de iis ad Nos sua iudicia referrent. Nunc eorum sententiis ad Nos delatis, Nos postulationibus vestris libenter annuentes, statuta ac leges Universitatis vestrae per has litteras auctoritate Nostra probamus, eidemque propria iustae ac legitimae Universitatis studiorum iura tribuimus. Potestatem itaque Academiae vestrae facimus, ut alumnos quorum doctrina experimentis probata fuerit, ad gradus quos vocant Academicos provehere possit,, itemque ad magisterii lauream, tum in philosophicis et theologicis doctrinis, tum in iure Pontificio caeterisque disciplinis in quibus gradus et lauream conferri mos est, cum earum in Academiae sede progredientibus annis fuerint magisteria instituta. Volumus autem te, Dilecte Fili Noster, Vosque Venerabiles Fratres , rectae studiorum rationi et disciplinae alumnorum in vestra Universitate tuendae, vigili cura praeesse, sive per Vos ipsos, sive per delectos ex Vobis Antistites, quos huic muneri praeficiendos censueritis. Cum porro princeps inter Episcopales foederatorum Americae septentrionalis Statuum sedes Baltimorensis sit, Baltimorensi Archiepiscopo eiusque successoribus munus tribuimus, ut supremi Academiae moderatoris seu Cancellarii auctoritate fungatur. Cupimus praeterea ut studiorum methodus servanda, seu programmata disciplinarum quae in Universitate vestra tradentur, ac inprimis rei philosophicae et theologicae, huic Apostolicae Sedi cognoscenda exhibeantur, quo eius approbatione firma et rata sint, atque uti Universitatis eiusdem magisteria in omni doctrinarum genere ita sint constituta, ut clerici iuvenes ac laici aeque opportunitatem habeant, qua possint pleno doctrinae pabulo nobilem scientiae cupiditatem explere. In his autem magisteriis volumus, ut iuris quoque Pontificii et iuris ecclesiastici publici doctrinae tradendae schola instituatur, quam doctrinam his praecipue temporibus magni

momenti esse cognoscimus. Hortamur porro Vos omnes ut vestra seminaria, collegia, aliaque catholica instituta Universitati vestrae prout in statutis innuitur adscribi curetis, omnium tamen libertate salva et incolumi. Quo autem uberiores fructus et variis Lycaei Magni disciplinis in plures deriventur, placet ut ad eas scholas praesertim theologicas et philosophicas ne dum admittantur ii qui ea studia absolverint ut Concilii plenarii tertii Baltimorensis decreta ferunt, verum et ii etiam qui vel incipiendis vel prosequendis eius scientiae curriculis navare operam velint. Quoniam vero haec magna studiorum Universitas non modo ad Patriae vestrae decus augendum pertinet,sed uberes et salutares fructus tum ad sanae doctrinae propagationem tum ad Catholicae pietatis praesidium pollicetur, iure confidimus Americanos fideles pro sui magnitudine animi, suae liberalitatis opem, ad coeptum opus splendide perficiendum, desiderari a Vobis non passuros. Constituta autem, per has Nostras litteras Universitate Washingtoniensi indicimus , ne ad alia huius generis instituta procedatur inconsulta Sede Apostolica. Haec quae hisce litteris declaravimus et constituimus, perspicuo argumento fore Vobis arbitramur studii et sollicitudinis qua afficimur, ut gloria et prosperitas catholicae Religionis in ista regione in dies magis augeatur. Caeterum Deum Clementissimum a quo omne datum, optimum et donum perfectum dimanat impense rogamus, ut incoepta vestra secundo laetoque exitu ad animorum, vestrorum vota fortunet, idque ut feliciter contingat Apostolicam Benedictionem sincerae Nostrae dilectionis testem, tibi Dilecte Fili Noster, Vobisque Venerabiles Fratres, et universo Clero ac Fidelibus quibus praesidetis, in auspicium omnium caelestium munerum peramanter in Domino impertimus.

Datum. Romae apud Sanctum petrum die 7 Martii D. Thomae Aquinati sacra A. MDCCCLXXXIX. Pontificatus Nostri Duodecimo.

LITTERAE Sanctissimi D. N. Leonis XIII ad Episcopum Brixiensem (1).

Gratam scito Nobis epistolam tuam fuisse. In ea enim visi sumus novum perspicere testimonium episcopalis vigilantiae tuae, itemque studii singularis, quo perseveras cum colere Nos amantissime, tum iurium Apostolicae Sedis velle atque optare incolumitatem. Animique tui declarandi siqua detur opportunitas, te videmus eam libenter arripere, nec praeterlabi facile sinere : uti nuper cum illud in lucem prodiit Opusculum quod ipse commémoras: quodque sane si displicet tibi, ut scribis, iure displicet. Imo vero nemo prudens rerumque existimatur aequus reperiatur, quin tecum, magna voluntate consentiat. Hoc enim quis ferendum putet, res permagni momenti, cum potestate Pontificis Maximi, cum ipsa Apostolici muneris libertate copulatas, audacter ad suum revocari arbitrium, publiceque diiudicari ab homine quidem privato, nulla ad id auctoritate praedito? Atqui ab ipso Pontifice iudicata caussa est: is enim quid et sentiat ipsemet et sentire ceteros oporteat, non semel neque obscure significavit. Utrumne suadere secus multitudini, salva officii religione, liceat? Illud vero magis arrogans magisque praeposterum consilia rerum gerendarum dare, Sedique Apostolicae quid optimum factu sit, velle ostendere. Sane eiusmodi dis-" putationurh huc fere summa redit, expedire atque utile esse, se date Nos pacateque acquiescere rebus novis ac temporibus. Scilicet quod est per vim iniuriamque actum, id cuperent Nostra fieri voluntate ratum; perinde ac minime liqueret, hanc rerum conditionem in quam diu compellimur, omnino esse et a dignitate romani Pontificis alienam, et verae eius libertati repugnantem, ita quidem ut non illam accipere, sed perpeti necessitate coacti debeamus quoad summo ac providentissimo rerum humanarum moderatori Deo placuerit. Praeterea civilem romanorum Pontificum auctoritatem non populorum voluntas, sed verius pravarum sectarum audacia violavit : illae quippe sacram coniuratae evertere potestatem, initium

(1) Opusculum, cui titulus — Roma e l'Italia e la realtà delle coso — latine — *Boma et Italia, atque rerum sinceritas* — occasionem dedit hisce litteris. Nam Episcopus Brixiensis prospiciens propagari opusculum eiusmodi; quo sub specie studii erga Ecclesiam exhibentur iudicia et sententiae minus rectae quoad iura S. Sedis; merito praeoccupatus fuit de damnis, quibus causam praebere posset libellus. Quamobrem litteras, affectu plenas, dedit SSmo Patri Leoni XIII, ut istius animum , ceu filius amans, demulceret. Cui magnus Leo respondit per nobiles hic relatas litteras.

excidii a civili principatu fecere, ut hoc veluti expugnato deiectoque praesidio, in illam ipsam conatus suos impetusque converterent. Id iam quam aperte obstinateque moliantur, res loquitur ipsa. Opportunum est igitur ac magnopere salutare munire animos diligenter contra huius generis scripta, eo periculosiora quod, ut plurimum simulatione modestiae atque ementita religionis specie multitudini imponunt. — Caelestium munerum auspicem ac benevolentiae Nostrae testem tibi, Venerabilis Prater, et Clero populoque tuo Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 21 Martii An. 1889, Pontificatus Nostri duodecimo.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

NEAPOLITANA

MATRIMONII

Die 15 Septembris 1888.

COMPENDIUM PACTI. Martina Laura Aurigo ab illicito concubinatu Tarvisii orta die 11 Novembris anni 1866, in instituto expositorum illius civitatis collocata fuit. Ex baptismi fide colligitur, supradictam Martinam die 16 Aprilis anni 1868 recuperatam fuisse a propria matre Anna Columba, Chiliarchi Michaelis Del Giudice concubina, affirmante, ipsam esse matrem Martinae, et patrem Michaelem Del Giudice. Is Martinae suum semper denegavit cognomen, licet eam domi excepisset, atque de eius educatione curam gessisset.

At Michael Del Giudice nunquam Martinae permisit, ut se cum aliquo ex multis, qui eius sollicitabat dexteram, matrimonio iungeret, eo quod in corde siu> iam disposuerat eam fratri suo Ianuario Del Giudice, militiae addicto, ut coniugem dare , idque semper suadebat filiae. Cum Martina annum decimum octavum attigisset, pater praemeditatum matrimonium filiae proposuit; et cum Ianuarius matrimo-

nium contrahere nequiret civiliter ob dotis defectum, neque coram Ecclesia ob consanguinitatis impedimentum, scelestus pater Martinae suasit, ut tamquam concubina eum comitaret.

Martina, re cognita, se coram sacerdote Francisco Popolo sistit, eique aperiens patris dispositionem et etiam assensum, quem ipsa ut ait, necessario praebere debebat, eum rogavit, ut operam daret ad impedimenti dispensationem a Summo Pontifice obtinendam. Sacerdos ille a Sacra Poenitentiaria facultatem dispensandi in ***foro conscientiae*** obtinuit a dicto impedimento, quod omnino occultum manserat usque ad matrimonii celebrationem, ceu testatur Vicarius generalis Curiae neapolitanae; et die 30 Augusti 1884 matrimonium coram Ecclesia celebratum fuit. Sed heic advertere iuvat, Martinam semper praedictum matrimonium abhorruisse, uti ex libello supplici ad Summum Pontificem misso, atque ex eius et testium depositione evincitur. Hinc factum est, quod numquam erga sponsum amore sit affecta. Imo aversatio eo devenit, ut potius parata esset necem sibi inferre, quam cum sponso cohabitare. Haec aversatio causa fuit, quod matrimonium inconsummatum manserit, et sponsam ad petendam a Summo Pontifice dispensationem super matrimonio rato et non consummato impulerit...

Disceptatio Synoptica

VOTUM THEOLOGI. Nonnulla censuit praemonere Theologus antequam nodum arriperet quaestionis enodandae: ait enim Martina Laura Amigo, in suo supplici libello ad SSmum misso, humiliter petit, ut Sanctitas Sua dignetur dispensare super matrimonio rato et non consummato, inter ipsam et Ianuarium Del Giudice inito. Die autem 20 Ianuarii anni 188G Curiam areli, neapol. adiit petens ut , ad formam rescripti SSmi, processus initiaretur ad praedictam dispensationem obtinendam duplici de causa, 1. quia matrimonium inconsummatum mansit; 2. quia consanguinitatis

impedimentum existebat ipsam inter et sponsum; et licet a Sacra Poenitentiaria obtenta fuerit super praedicto consanguinitatis impedimento dispensatio, haec tamen uti nulla est habenda, eo quod dispensatio petita fuit super impedimento occulto, quod de facto erat publicum, uti probaie nititur sacerdos Dominus Salvator Tarantino, actricis procurator.

Sed ex actis processualibus, non satis constat, consanguinitatis impedimentum ante matrimonii celebrationem revera fuisse publicum; quinimo contrarium evincitur per quatuor testes, nimirum Maria Columba vidua Stornati, et Philumena Fede pro sponsa; Petrus d'Alessio, et Ianuarius Ruggero pro sponso, qui omnes sub iuramenti sanctitate affirmarunt, Martinam Lauram Aurigo, et Ianuarium Del Giudice, non esse neque parentes, neque compatres.

Sacerdos Franciscus Popolo ad Illmum ac Rmum Vicarium generalem scribens pro facultate benedicendi matrimonium in themate, actricem *filiam* Michaelis Del Giudice non appellat.

Dominus Gabriel M. Rinonapoli, parochus Sanctae Mariae Apparentis, dicit : fecisse proclamationes de iure; et nullum obstitisse impedimentum.

Cum igitur impedimentum in themate testes lateat atque parochum, cum nemo ex fidelibus, canonicam denunciationem in Ecclesia audientibus, impedimentum praedictum ecclesiasticae auctoritati denunciet, ratio latet qua impedimentum in themate publicum vocari posset ante matrimonii celebrationem.

Sed dato etiam quod aliquod remaneat dubium circa impedimenti publicitatem, quam uti certam actricis procurator affirmat, ac per consequens dubia remaneat validitas dispensationis; tamen cum rationes praesto sint ad dispensationis gratiam obtinendam, potius videtur evincendum esse matrimonium in themate fuisse tantum ratum.

Dein sic prosecutus est consultor; quamvis ex actis processualibus probari non possit actricem numquam cum suo sponso cohabitasse, et numquam cum eo nec separatim, nec coram aliis alloquutam fuisse; imo cum ex iisdem con-

trarrmi resultet; tamen non est difficilis probationis demonstrare matrimonium in themate fuisse tantum ratum, et non consummatum, cum id ex partium, atque testium depositionibus, iuramento firmatis, evidenter resultet; et, quod magis interest, ex corporis mulieris inspectione, iuxta instructionem a Sac. Cong. Conc. editam die ***22*** Augusti 1840 comprobetur.

Coniuges igitur ad demonstrandum eorum matrimonium ratum mansisse, sequentia, iuxta dec. D. Greg. ***lib. IV de frigid, et male f. tit. XV, cap. V Laudabilem,*** deponere debent, « iuramento praemisso » se numquam per carnis copulam unam carnem effectos esse, idque testimonio septimae manus propinquorum, vel vicinorum bonae famae confirmare; atqui haec duo ex actis processualibus eruuntur. Et imprimis ipsa actrix Martina Laura Aurigo, quae interrogata utrum statim post contractum matrimonium se sponso iunxerit habitatione et dormitione, et quid inde sit sequutum, sub iuramenti religione respondit: matrimonium consummatum non fuisse, omniaque enumeravit adiuncta quibus matrimonium consummare conatus est vir, et quibus illa plorando, aut fortiter resistendo et tandem a viro aufugiendo consummationi obstaculum posuit.

Martinae Laurae Aurigo depositio cum testium depositionibus omnino concordat, ut secure concludi possit, ipsam narrando fuisse veridicam. Et licet depositio Ianuarii Dei Giudice, actricis sponsi, iuramento firmata, non satis videatur actricis depositioni consona; tamen et ipsemet confessus est, matrimonium tantum ratum mansisse.

Interrogatus utrum post matrimonii celebrationem actibus coniugalibus operam dederit ad prolem procreandam, evasive respondit.

At licet ne verbum quidem faciat de matrimonii consummatione vel inconsummatione; tamen ex actricis depositione aperte colligitur, Ianuarium matri actricis ipsum interroganti super matrimonii consummatione ***negative*** respondisse.

Sed quod Ianuarius non est confessus in actu examinis, id iureiurando affirmat in sua epistola per procuratorem constitutum praesentata cum procurationis mandato. In ipsa declarat suum matrimonium cum Martina Laura Aurigo numquam consummatum fuisse; sed semper mansisse ratum.

Actricis depositio, quoad matrimonii incosummationem, maxime a testibus septimae manus roboratur, qui tactis scripturis, et praestito de more iuramento, uno ore profitentur Actrici omnem deberi fidem.

Si testimonium septimae manus partis adversae in processu desideratur, nihil mirum. Ianuarius enim iuridice vocatus ad notam exhibendam testium septimae manus per suum procuratorem Albertum Marotta, die 4 Iulii anni 1886 respondit: se vitam, uti miles, duxisse vagam, neque habere amicos exhibendos uti testes et libenter nuncium mittere iuri propriae defensionis.

Aliud non minoris roboris argumentum ad probandum matrimonium in themate non fuisse consummatum, sed tantum ratum mansisse, est inspectio corporis mulieris ad tramites instructionis a S. Cong. Conc. exacte absoluta.

Post quam inspectionem Doctores, Matronae et Obstetrices, uno ore deponunt oratricem esse omnino virginem.

Quoad testium, doctorum et obstetricum in processu relatorum veracitatem habetur testimonium Emi Card. Archiep. Neapol. in sua epistola ad Emum Card. S. Cong. Conc. Praef, diei 7 Maii anni 1887.

Cum igitur, partes sub iuramenti religione deponant, quod se nunquam per carnis copulam una caro sint effecti; idque testes septimae manus propinquorum et vicinorum bonae famae confirment: insuper cum ex corporis Martinae Laurae Aurigo inspectione constet eius integritas, atque obstetrices sab sanctitate iuramenti deposuerunt, sine errandi formidine concludi posse videtur Matrimonium Martinae Laurae Aurigo cum Ianuario Del Giudice fuisse solummodo ratum et non consummatum.

Inter principaliores atque iustas causas, quibus dispensationis gatia obtineri possit, est, iuxta Theologos, « gravis timor scandali magni futuri, » quia, ut ait Sánchez ***lib. II disio. XIV n.*** *8* id cedit in magnum damnum commune, indeque rixae graves, et neces oriri solent. D. Alphonsus de Ligorio inter iustas causas dissolutionis matrimonii rati ***scandalum imminens*** recenset. Caietanus in respons. ad Paris. ***art. II*** dicit « discordiam ortam inter coniuges sine spe remedii, accedente eorum consensu, esse causam sufficientem pro restituenda inter eos pace, sublato hoc vinculo, quod fuit causa discordiae, et ad evitanda homicidia, quae a desperatis coniugibus facile procurari possunt. » Tandem Bonacina ***tom. I quaest. IIIpunct. XI n.*** *4* tenet, « Summum Pontificem posse aliquando dispensare in matrimonio rato ad tollendas graves discordias, ad tollenda scandala etc. » Sic de facto se gessit Eugenius IV dispensando ob odium, quod inter coniuges emergerai, uti refert Bargasius ***de irreg. jp.*** *6* ***tit. de spons. n.*** *74.*

Iam vero ecquis non videt magnum revera superventurum scandalum, nisi dispensetur super matrimonio rato in themate? Ex parte actricis erga Ianuarium habetur repugnantia quam maxima, uti ipsa sub iuramento deposuit; quam repugnantiam affirmat esse semper duraturam.

Ex parte Ianuarii, qui licet ante matrimonii celebrationem ardenti erga actricem afficeretur amore,- tamen post separationem impossibilitas reperitur cum ipsa convivendi.

Insuper quod revera nulla effulgeat reconciliationis spes, testantur etiam aliqui ex septimae manus testibus.

Posita igitur supradicta animorum dispositione, et matrimonii vinculo manente, nemo non videt, quot pericula temporalis atque aeternae vitae actricem maneant. Iuvenis est Aurigo et pauper, quid impedit quominus, alio invento amatore, cum ipso uniatur , atque inhonestam ducat vitam? Corruptio optimi pessima. Usque ad praesentem diem Martina Laura Aurigo est iuvenis optimis ornata moribus, iuxta depositionem omnium septimae manus te-

suum; sed si ob suam paupertatem, vel affectionem ad matrimonialem statum corrumpatur, procul dubio pessima erit ipsius corruptio. Et ex hac sua agendi ratione, quot evenirent scandala?

Insuper licet partium consensus per se non sit causa sufficiens, ut matrimonium ratum dispensetur, uti multi docent Theologi; tamen aliis concurrentibus causis, potest esse rationabilis dispensandi causa. Caietanus enim ***tom. I opuscula*** ***tract.*** *18* ***quaest, unica*** quaerit « utrum discordia orta inter coniuges sit rationabilis causa dispensandi ***(matrimonium ratum)*** ***y*** > respondet « crediderim quod sic, consensu coniugum accedente. » Et rationem reddit dicens : « Tum in favorem animarum, ne scilicet in adulteria adolescentes ruant, aut permanere quasi cogantur, dum separati perpetuo manerent. Tum ad bonum pacis restituendum inter eos, praesertim quia coniugii finis unitas est; » atqui ambo coniuges hanc a Summo Pontifice gratiam postulant ob rationes a Caietano adductas.

His omnibus etiam dubium accedit, de quo in praemissis, loquuti sumus, quoad consanguinitatis impedimentum utrum nempe ante matrimonii celebrationem praedictum impedimentum fuerit occultum vel publicum; et hoc dubium potest esse una ex causis ad facilius dispensationis gratiam obtinendam super matrimonio rato et non consummato.

VOTUM CANONISTAE. In primis silentio praetereundum non esse censeo, ait Consultor, dum acta conficiebantur, procuratorem oratricis institisse apud Curiam neapolitanam ut processus institueretur circa nullitatem matrimonii, quod conctractum fuit in vim dispensationis super impedimento consanguinitatis primi et secundi gradus a S. Poenitentiaria obtentae, quam dispensationem sub et obreptitiam fuisse contendebat, ac proinde nullius ponderis. At Vicarius generalis, qui circa non consummationem dicti matrimonii processum instituere debebat, ut iudex subdelegatus, non vero ad nullitatem vel validitatem eiusdem decernendam, super quo iudicium proferre debuisset, ut iudex ordinarius in prima in-

stantia, hinc documenta quidem recepit, et in actis inseruit, sed solummodo ut adminiculum ad dispensationem facilius obtinendam.

Verum argumenta a super dicto procuratore allata non sunt, suo quidem iudicio, idonea ad assertionem eius confirmandam. Ait enim, impedimentum consanguinitatis inter Lauram Aurigo et Ianuarium Del Giudice fuisse ***certum*** et ***publice notum,,*** cum e contra in supplici libello ad S. Poenitentiariam expositum fuit uti dubium et occultum.

At vero certo ne constat Lauram Aurigo, filiam esse Michaelis Del Giudice? In hoc quaestionis cardo vertitur.

Filiationem ex parte patris difficilis esse probationis convenit unanimiter inter canonistas; praesertim si agatur de filiis illegitimis. Nam filio legitimo, ad probandam filiationem suam, matrimonium assistit et legalis dispositio favet in ***leg. filium definimus ff. de his qui sunt sui vel alieni iuris.***

Quae adeo potens est, ut non admittat probationem in contrarium nisi, in casibus exceptis ab ipsa lege, ***filium etc.*** At filii illegitimi suam filiationem probare nequeunt nisi, recurrendo ad varias praesumptiones, plus minusve concludentes, quarum praecipuae sunt sequentes, Barbosa ***vota decr. vot. Xli.,*** Actus faciendi baptizari filium, et patrinos designandi : laetitiam quam parentes habuerunt in nativitate filii: alimentorum praestatio : nominatio et tractatio de aliquo uti filio: confessio patris: demum fama publica. Quae si omnes, vel saltem praecipua simul concurrant constituunt filium in quasi possessione suae filiationis. Iam vero nemo non videt in casu nostro plures easque concludentissimas desiderari. Nam vix in lucem edita in publico braephotrophio exposita fuit uti notha, ubi baptismum accejDit, eique nomen et cognomen impositum Martinae Laurae Aurigo ibique mansit per triennium.

Desunt igitur argumenta quae in favorem filiationis Laurae suppeditare possent actus faciendi baptizari filium et patrinos designandi; laetitia quam parentes habuerunt in eius nativitate, nominatio de ea ut filia; et confessio patris;

eique solummodo suffragantur alimentornm praestatio, et fama publica.

Haec armentorum subministratio atque überaus educationis institutio si per se considerentur magnam quidem praesumptionem inducunt de eiusdem ñliatione. Nam ut ait Monald. ***Constit. 123, num. 14.*** Neque obstat quod opponitur, educationem et tractationem non probare quasi possessionem filiationis dicti agentis, ex quo etiam alimentantur in domo illi qui non sunt filii___quia ad hoc respondetur, praedictam opinionem esse veram quando non fuerint praestita nisi alimenta; sed quando cum alimentis accesserunt alia, veluti quod fuit indutus dissimiliter a servis, missus ad scholas, in domo diu retentus, et alia facta, quae propriis filiis fieri solent, prout in casu nostro factum est, tunc bene omnia simul sumpta probant quasi possessionem filiationis.

Haec, ut dixi, si per se spectentur magnam quidem praesumptionem inducunt circa eiusdem Laurae filiationem. At si ratio habeatur motivi tam accuratae educationis, et pravi finis ad quem tendebant magnae expensae, quae in eius sumptuosis vestibus agebantur, procul dubio huius argumenti robur quammaxime debilitatur. Nam, ut ex eiusdem Laurae iurata depositione, nec non ex Uteris dicti Vicarii generalis aperte constat, hic praesumptio pater Lauram ab ipsa pueritia destinaverat concubinam fratris sui, qui eam deperibat, ea spe ductus fore ut morum honestate, sensuumque nobilitate ipsum ad meliorem frugem reductum esset, qui inter ludos et meretrices pingue suum stipendium dissipabat. Hanc ob causam et plures respuit occasiones, quae sibi obtulerant filiam honeste collocandi per legitimum matrimonium, et ipsius Laurae reclamationes, quae ab hoc incestuoso concubinatu maximopere abhorrebat, parvifecit. Quae agendi ratio adeo aliena est ab officiis paternitatis, ut non facile quis in animum sibi inducat, eam reapse esse eius filiam.

Suffragatur etiam luculentissime filiationi fama publica

et vulgaris traditio, quia fama, Barbosa ***loc. cit.*** circa res veras aut veritati proximas versari solet. At si certo innotescat eam inniti falso fundamento, omnem probandi vim amittit. Iam vero in tantum vicinitati persuasum erat Lauram Aurigo filiam esse Michaelis Del Giudice, eamque Del Giudice appellabant, in quantum bona fide credebant inter eius parentes legitimum intercessisse matrimonium, eamque filiam esse legitime pro genita: u: penitus ignorantes circumstantias quae eius nativitatem atque primam infantiam comitarunt, ut videre est in opusculo a Laurae procuratore typis edito.

Cum igitur haec fama publica et viciniae persuasio falsae innitatur hypothesi, nullam praesumptionem in Laurae favorem inducere potest. Breviter: adest probabilitas quod Laura Aurigo sit progenita a Michaele Del Giudice, sed non certitudo, unde merito hoc impedimentum consanguinitatis s. Poenitentiariae relatum fuit uti dubium.

Relate ad id quod secundo loco procurator obiecit, nempe impedimentum consanguinitatis s. Poenitentiariae propositum fuisse ut occultum, atque quatenus occultum, iuxta consuetam S. P. formulam super eo fuisse dispensatum, dum e contra esset publice notorium, breviter ait consultor me expediam. Mihi enim videtur impedimentum dubium non posse neque materialiter, neque formaliter publicum esse. Non materialiter, quia ad hoc reqiritur ut factum illud ex quo impedimentum originem duxit reapse positum fuerit; ex. gr. copulam ex qua impedimentum affinitatis ortum est reapse sequutam fuisse etc. et in casu nostro Michaelem Del Giudice realiter genuisse Lauram Aurigo. Quod cum certo non constet atque propterea impedimentum sit dubium non potest esse materialiter publicum. Sed neque formaliter, quia haec notorietas materiam praesupponit in eaque fundatur.

Ex quibus concludendum esse censeo, ait, non constare de nullitate matrimonii in casu.

Quibus breviter enucleatis, ad non consummationem matrimonii atque ad rationes quae animum S. Pontificis movere possunt ad dispensationem elargiendam transitum fecit consultor.

Ad inconsummationem quod attinet, adeo concludentes probationes exhibent tabulae processuales, ut omne dubium de opposito penitus excludant. Acta enim iudicialia in magna Curia Neapolitana ad normam ***Const. Ben. XIV,*** et Instructionis ab hac S. Congr. editae peracta sunt; primo enim Vicario generali qui ab Archiepiscopo constitutus fuit iudex delegatus in hac causa, citatas fuit defensor validitatis matrimonii ex officio, qui iuramento promisit se munus suum diligenter et incorrupte expleturum, quique omnibus actis praesentium exhibuit atque nomine suo subsignavit.

Statuta vero die ad auditionem partis alligantis, comparuit •coram iudice Laura Aurigo adstante matrimonii defensore, quae praevio iuramento de veritate dicenda, responsa dedit interrogationibus a defensore matr. exhibitis et a iudice reseratis ; quorum summa haec est.

Trevisii ortum habuisse ex concubinatu inter Columbo et Michaelem Del Giudice atque in eiusdem civitatis publico braephotrophio expositam fuisse, uti notham, ibique baptizatam, imposito ipsi nomine, Laurae Martinae Aurigo. Post triennium a matre recuperatam atque Neapolim perductam fuisse, ubi eius parentes domicilium posuerunt. Ab ipsa infantia eius amore captum fuisse patruum Ianuarium Del Giudice virum militarem, qui iam tum ipsi repetebat ***tandem aliquando mea esse debebis;*** quae amoris exhibitiones puerulam ad iram excitabant, eo quod ipsi esset invisus. Decursu temporis, ut se ab hac patrui vexatione liberaret, postulasse ut inter sorores a charitate nuncupatas, quarum scholas frequentabat aggregaretur ; at voti compotem fieri non potuisse vel ex defectu aetatis, vel probabilius ex defectu natalium. Tandem ad aetatis annum decimum octavum perventam, cum videret instantias patrui, ut sibi concederetur magis in dies urgeri, atque parentes, non obstantibus eius reclamationibus, consensum praebuisse, atque ipsam arctiori in dies custodia detineri ne ad alios amores diverteret, huic unioni assensisse, dummodo, quoniam civiliter contrahere non poterant ob defectum dotis a lege militari requisita,.

iura conscientiae in tuto ponerentur per matrimonium ecclesiasticum. At ob infelicem vitae conditionem in qua se oollocaverat perterritam, quod apud viros militares cum quibus versari debuisset uti concubina et incestuosa haberetur, nunquam matrimonii consummationi consensisse. Testes septimae manus ab actrice prolati amplissimum extabuerunt testimonium de eiusdem honestate atque veracitate, seque ex aliunde habitis informationibus certo cognoscere vera esse quae actrix cum iuramento exposuit. Quos testes omni exceptione maiores affirmavit Emus Archiepiscopus in sua ad S. Cong. Praefectum epistola.

Citatus pariter fuit Ianuarius Del Giudice apud Curiam Teatinam atque eius relatio licet aliquantulum dissentiat a mulieris testificatione, praesertim quoad condormitionem, tamen cum ea plenissime convenit quoad matrimonii inconsummationem, et maximam mulieris erga eum aversionem. Invitatus ad testes septimae manus exhibendos, respondit sibi praesto non esse septem personas, quae pro ipso spondere possent, cum ratione sui officii perpetuo debeat hac illae pervagare.

Sed verius dicere debuisset, se magno angi timore ne matrimonium suum in publicum prodiret, atque ad aures superiorum accederet, quo in casu graviter punitum iri sciebat. Qua de caussa iam obtinuerat a Curia neapolitana ut ex tribus una tantum proclamatio fieret. Hic autem defectus septimae manus ex parte viri cum non procedat ex malitia vel studio mulieris nullum praeiudicium ipsi afferre potest, prout pluries declaravit Sacra Congr. et novissime in ***Varsavien. 14 Maii 1887.***

Hic unanimis consensus utriusque contrahentis nec non septimae manus magnam dubio procul praesumptionem inducit quod matrimonium in casu non fuerit consummatum. At veram, certam atque plenissimam probationem nobis suppeditat inspectio corporis mulieris. Haec inspectio ad tramitem notissimae Instructionis Sacrae Congr. Conc. adamussim peracta fuit. Tum matronae, tum obstetrices, tum medici iudicium protulerunt de integritate mulieris.

Ad aliud extremum gradum faciendo, graves ait censeo adesse causas quae Summi Pont. animum movere possunt ad •dispensationem elargiendam et 1. quod mutuus contrahentium consensus absque alia causa possit esse legitimum dispensationis motivum tenent Card. Hostiens. in ***cap. ex publico;*** Fagnani in ***cap. ex parte de Const. et affin.*** Cosci ***De sep. th. 43 cap. 2 aliique canonistae;*** 2. causa invenitur in nimia animorum aversione praesertim mulieris erga virum. Haec antipathia qua ab ipsa adolescentia in animo conceperat, post initum matrimonium adeo excrevit, ut iam in promptu esset mortem veneno sibi comparare, nisi reditus ad propriam familiam pateret. Hanc autem animorum aversionem causam esse sufficientissimam dispensationis tradunt uno ore doctores.

Aliud quoque argumentum suppeditat periculum incontinentiae in quo versatur haec mulier. Agitur enim de iuvene ***22*** annorum validae salutis et ferventi imaginatione praedita, cui oblata est optima occasio nubendi cum alio viro. Aliasque plures adduxit consultor causas pro dispensatime impetranda.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Matrimonium, quod, volvente anno 1884 sub die 30 mensis Augusti, solemniter contraxit cum duce militum, in aetate annorum trium supra triginta constituto, Ianuario del Giudice, Martina Aurigo, duodeviginti annos nata, in leves auras amandare contendit, inconsummationem causata.

Cohabitationem, condormitionem, Ianuarii potentiam minime inñciatur Martina, sed antipathìam in medium affert.

Sed obiecta aversatio ac fastidium veri haud similis apparet. Ipsa enim Martina, etsi de importunis Michaelis dei Giudice, putati patris, suasionibus obmussitet, non denegat se libere in huiusmodi matrimonium consensisse. Imo fatetur se per sacerdotem Franciscum Popolo dispensationem a sacra Poenitentiaria super occulto quod matrimonio forsan obstabat in primo et secundo lineae collateralis gradu consanguinitatis impedimento, solicitasse. In confessis pariter est Ianuarium

familiarissimum Martinae a teneris unguiculis fuisse, nec quidquam, absolutis nuptiis, perpetrasse, quod extemporalem,, in medium allatam, aversionem pareret.

Roget quis, quorsum ista, si Martina virginitatem ad iuris amussim ostendat ? At, hoc opus, hic labor. Nam tres- obstetrices ad explorandam Martinae virginitatem, a iudice deputatae *-primo -* haud seorsim commissum sibi munus peregerunt, sed insimul cubiculum, in quo Martina cum duabus matronis manebat, ingressae sunt. - ***Secundo - scriptam*** peractae recognitionis relationem minime ediderant, sed ***orali*** tantummodo examini suppositae sunt: quamvis instructio a S. C. C. die 22 Augusti 1840 concinnata expresse caveat : ***Ad corporis inspectionem a singulis*** seorsim ***deveniendum erit... Peracta recognitione, seorsim singulae obstetrices referent de virginitatis aut corruptionis indiciis ab inspectione resultantibus, an certa et qualia supersint signa et argumenta intemerati aut corrupti claustri virginalis , et an ulla fraus ad virginitatem simulandam adhiberi potuerit.*** Deinde ***super his*** magis praecise ***deponent in responsionibus ad interrogatoria, quae clausa et obsignata exhibebit defensor validitatis matrimonii.***

Neque maioris ponderis est testimonium ***septimae manus.*** Ut cetera enim praeteream, desiderantur testes ex latere viri, qui testes indigitare recusavit. Qua agendi ratione Ianuarius, qui non minus quam Martina matrimonium iam fastidit, lumen caecis se praeferre nolle demonstrat.

Quibus omnibus praemissis, proposita fuerunt dirimenda

Dubia

I. ***An constet de matrimonii nullitate in casu.***

Et quatenus negative

II. ***An sit consulendum SSñto super dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.***

RESOLUTIO Sacra C. O. re discussa sub die 15 Septembris 1888 censuit respondere: ***Ad L providebitur in secundo. Ad II. affirmative.***

REGIEN.

IURISPATRONATUS ET PENSIONIS (1)

Die lo Decembris 1888.

Sess. 14 cap. 9 De reform.

COMPENDIUM* FACTI. Mense Maio 1884 vacato ex morte sacerdotis Guidetti s. Nicolai beneficio, Episcopus, tamquam unicus patronus, ad S. Sedem, ad quam ex fundationis tabulis institutio pertinet, praesentavit sacerdotem Aloysium De Medici. Qui, acta causa coram S. C. C. Ianuario et Maio 1885, apostolicis collationis bullas obtinere quidem valuit; minime tamen institutionem canonicam.

Imo, facto iterum periculo Septembri et Decembri 1887, in plenariis S. C. C. comitiis declaratum fuit, animarum curam paroeciae S. Nicolai actualiter praeposituræ inhaerere et insuper definitum sacerdotem De Medici ex defectu qualitatum, a sacris canonibus requisitarum, haud idoneum esse ad beneficium, et ideo *esse invitandos patronos ad novam nominationem et praesentationem.* » Quam sententiam SSmus ratam habuit et firmavit die 19 Decembris 1887.

At praesentatio adhuc facta non est, siquidem cum quaestione huc usque descripta, alia non minoris difficultatis erat connexa, de qua unice satagenduni nobis modo est, quoad pertinentiam scilicet iurispatronatus.

Tamen in praesentatione sacerdotis De Medici Ordinarius Regiensis retulerat, in se unum hodie iuris exercitium esse solidatum ; — ceteros patronos, nempe familiam Cagliari et familiam Cassoli, a patronatu decidisse ; eo quod sua iura (quae scilicet coram pseudo lege civili de suppressione quatenus patroni obtinebant) turpi mercimonio divendiderant hebraeis De Benedetti : — hi autem, tali titulo innixi, bona collegiatae S. Nicolai iam occupaverunt (patronatus enim, tam super praepositura quam super unito capitulo S. Nicolai extenditur), et attentaverint etiam ad praeposituræ

(1) Recolé Vol. XVII, 526 et Vol. XX, 443 ubi quaestio haec relata fuit, pluries agitata apud S. C. Congregationem.

praebendam : — quod si frustrati fuerant a desiderio suo ; id unice contigisse, quia civilia tribunalia fetinuerant praeposituram S. Nicolai verum esse parochiale beneficium.

Verum unus de familia Oassoli, comes nempe Carolus una cum matre et sorore sua, usque ab initio, dum assentire profitebatur nominationi sacerdotis De Medici ab Episcopo factae, nihilominus reclamabat, ut qua patronus agnosceretur, et qua pauper subsidio ex beneficii reditibus donaretur.

Respondit S. C. C. ipsi praeservando iura agendi tum super proprietate iurispatronatus, tum super petito subsidio coram quo, prout et quatenus de iure.

Tum comes Carolus egit penes apostolicam Datariam ut sui voti compos fieret. Dataria autem retinens in facto be-^ neficium S. Nicolai purgatas quotannis habere 9600 libellas et tertiam partem tantummodo ex eis reservari posse; retinens ulterius, praeter comitem Carolum, duos alios esse patronos, Episcopum scilicet, ipsumque tunc temporis electum sacerdotem De Medici ; ideoque ex quota imponibili nonnisi tertiam partem assignari posse oratori; eidem in linea administrativa, prout solet istud tribunal, annuam pensionem 1200 libellarum constituit, et hoc onus in apostolicis bullis quae sacerdoti De Medicis tunc concedebantur, inseruit ac notavit.

Res tamen corniti non placuit, qui, unicum aut saltem pro duabus partibus patronum ss esse contendens, et affirmans, praeposituram 18 millibus libellarum ab oneribus purgatis quotannis cumulari, petiit pensionem ad 6000 libellarum ampliari, et utramque causam a S. C. C. videri.

Proposita itaque causa Iunio mense 1886 sub dubiis, 1. ***an et quotuplici voce iuspatronatus oratori competat in casu,*** et 2. ***an et in qua summa sit ei ampliandum subsidium in casu;*** S. C. C. respondit: ***Dilata, et audiatur novus Episcopus, qui per publica edicta moneat interesse habentes et ad mentem. Mens est:*** ut iura Ordinarii deduceret, et referret an authentica sit genealogia De Medici et

quot sint beneficii redditus. Post instantiam enim comitis Cassoli plures alii ius ad beneficii patronatum iactaverant.

Ad trutinam iterum revocata quaestio die 10 Septembris 1887, licet Episcopus per patronum quae sua erant strenue tuitus esset, et vicissim comes Carolus per suum procuratorem; tamen comperendinata denuo est, « ut cum iisdem quidem scripturis proponeretur; sed facta reassumptione omnium illarum rationum quas plures alii, praeter Episcopum et comitem Cassoli, proponebant ad patronatum sibi vindicandum. »

Id factum fuit die 18, Februarii 1888. Et tunc S. C. C. reformato primo dubio hac ratione, — ***an et cuius favore constet de iurepatronatu in casu*** — Ad I. ***Favore Ordinarii tantum.*** Ad II. ***Negative.***

Porro in totius causae decursu, qui ad iuspatronatus in praeposituram titulum praesumere comperiebantur, hi erant quidam Zoboli, familia De Medici, comes Carolus Cassoli Lorenzotti, comitissa Victoria Cassoli Pancaldi, comitissa Cassoli Gattini eiusque fratres, ac familia Monesi. Familia autem Cagliari, licet et ipsa partem habere in hac controversia potuisset, tamen se abstinuit sicut et modo se abstinet, forte quia criminosae venditionis patronatus a se factae conscia, de bono suo iure veretur, et in conspectu EE. PP. sistere pudet.

Iura autem haec erant. Quatuor fratres e nobili familia Zobulorum, nempe Philippus Episcopus Comaciensis, Leonellus, Iacobus et Christophorus sub finem saeculi XV proposuerunt in collegiatam erigere parochialem ecclesiam S. Nicolai Regiensis, quae sub familiae patronatu iam erat, atque inibi praeposituralem dignitatem cum octo canonicatibus fundare; quod et obtinuerunt per apostolicas bullas Sixti Papae IV; reservato tamen iure patronatu et iure praesentandi tam ad praeposituram quam ad minora beneficia, ***dictis Iacobo, Christophoro et Leonello ac eorum haeredibus et successoribus in perpetuum.***

Ex hac fundationis specie duo consequebantur principia:

1. non unum unicumque ius esse constitutum, sed triplex. Ex doctrina enim communiter recepta Pitonii ***{De contr. patr. alleg. 13 n. 7. seqq.*** et ***alleg. 76 n. 8-18),*** sibi ab initio a fundatore iuspatronatus pluribus distinctis personis ac lineis fuerit reservatum, tot habentur distincti patronatus quot lineae, nec inter eos est ius accrescendi. Contrarie ad illud quod contigit si unum unicumque ius ab initio sit constitutum: quo casu si contingat, plures decursu temporis in ius fundatoris succedere, tunc inter eos est ius accrescendi, quia unicum est ius, et haeredes, licet plures, unicum in solidum patronum repraesentant.

2. Ex hac fundationis natura sequebatur, patronatum in themate non esse nec pure haereditarium nec pure gentilitium ; sed mixtum. Talis enim nuncupatur « qui fuerit reservatos haeredibus et successoribus » iuxta Ferraris, ***v. iuspatr. c. 1. n. 9.*** Porro ad effectum succedendi in hoc patronatu utraque qualitas, haereditaria scilicet et agnatitia, seu ***haereclis*** et ***sanguinis*** prorsus requiritur iuxta eumdem Ferraris /. ***cit.*** cum communi.

Porro — venia petitur si per summa capita referantur quae gesta iamdiu sunt : hoc enim tam memoriae ergo, quam quia hodie iterum in controversiam res adducitur, forte prodesse poterit. — Leonellus fundator eiusque filius Ioannes vocem suam donaverunt Episcopali mensae Regiensi; eamque donationem primum suis apostolicis bullis probavit ratamque habuit Pius IV, — recognovit ac firmavit duplex resiudicata rotalis, prior coram De Rubeis, Oradino et Robusterio, altera vero sub initium saeculi XVIII coram Priolo Caffarello et Ab Iob rancio, — ac demum circa annum 1840 S. C. C. quadruplici iudicio, sanxit. Regienses autem Episcopi, ab initio, ius sibi cessum per investituram uni vel alteri de familia Zobulorum ad tempus committere consueverunt; dein, ac precise post iudicatam rotalem saeculi XVIII, vita functo ultimo investito Ioanne Zobuli, qui et Praepositus fuit, iurispatronatus exercitium sibi retinuerunt, ac per se exercuerunt, licet aliquando pacis studio cum aliis

patronis convenirent de nominatione alternatim a singulis facienda.

Christophorus, alter ex fundatoribus, cui videtur descendentia defuisse, vocem suam donavit Timotheo, Iacobi filio. Idque evincitur ex disceptatis in re iudicata rotali saeculi XVIII, ubi res ut incontroversa admittitur ac sancitur.

Demum Iacobus, tertius ex fundatoribus vocem suam reservavit primogenito suo Sigismundo ac masculis dignioribus et senioribus eius descendentiae. Quod pariter ex eadem re iudicata plenissime adstruitur.

Unde tandem paulo post fundationem invenitur, tres voces Leonelli, Christophori et Iacobi transfusas fuisse, priorem in Episcopalem mensam Regiensem, alteram in Timotheum, tertiam demum in Sigismundum, Timothei fratrem.

Sub initium autem saeculi XVIII, quum saepius commemora tum Rotale iudicatum contigit, invenitur, Leonelli, seu Episcopi, vocem per investituram consedisse in Ioannem Zobuli praepositum : vocem Iacobi, seu Sigismundi, per Sigismundum iuniorem in quosdam Zobulos Parmenses devenisse : ac demum vocem Christophori, seu Timothei, transiisse in puerulam Corneliam Zobuli unicam filiam atque haeredem Ernesti.

Cum itaque ea vice coram S. Pota quaestio agitaretur, ut semper in similibus contigit, super efficacia cuiusdam praesentationis, sacrum Auditorium triplici conformi sententia, quam executorio decreto die 4 Iulii 1710 expedivit, praesentationem factam a Cornelia Zobuli, sive eius matre ac tutrice, et a pmeposito Ioanne probavit et admisit, contra oppugnationem Zobulorum Parmensium, qui alii sacerdoti favebant. Expresse enim firmiterque retinuit S. Rota ius nominandi pertinere « *ad dictum marcJiionem et praepositum Ioannem, necnon ad comitissam Corneliam de Zobulis pro duabus ex tribus partibus;* nempe ex linea seu voce Christophori in dictam comitissam Corneliam; et ex linea seu voce Leonelli in Rmum pro tempore Episcopum civitatis Regii, sive eius mensam episcopalem ac investitos ab

•ea, et sic in dictum marchionem praepositum Ioannem a dicto Episcopo in vestitum transfusa. » Non curavit autem, nec ad causae resolutionem necessarium erat definire, ad quemnam potissime ex variis Zobulis Parmensibus tertia vox nempe Iacobi, pertineret. Visum tamen est S. Auditorium propendere pro ipsomet marchione praeposito Ioanne, qui per Sigismundum cum Iacobo fundatore aeque ac ceteri Zobuli Parmenses coniungebatur ac insuper dignior in familia eorumdem Zobulorum Parmensium censeri poterat, licet forte qua sacerdos videretur exclusus.

Ex Zobulis Parmensibus ultimus agnatus fuit sacerdos Nicolaus Zobuli, qui praeposituram adeptus, die 26 Iunii 1802 mortem oppetiit, et suorum iurium haeredem reliquit Mariannam Cagliari, ex qua natus est Ioannes Cagliari, et inde Antonius et Aemilius Cagliari, qui quidem iuspatronatus hebraeis vendiderunt.

Porro Ioannes Cagliari possessor vocis Iacobi exhibetur in causa, quae medio hoc saeculo coram S. C. Ç. agitata est. Itemque Antonius et Aemilius Cagliari qua patroni egerunt et qua tales recogniti sunt quum trientem suum vendiderunt. Unde non sine causa retinendum videtur, Iacobi vocem trans fus am tandem fuisse in familiae Cagliari cognationem. Utrum vero ob simoniacam patronatus venditionem fratres Cagliari a sui iuris exercitio, an ab ipso iure decidisset in ultimo Congregationis folio disceptabatur. At S. C. C. data resolutione aperte retinuit de iure familiae Cagliari non constare.

Relate autem ad vocem Christophori ex re iudicata rotali saeculi XVIII compertum fuerat, eam solidatam fuisse in Cornelia Zobuli. Cornelia Zobuli nupsit Carolo Cesi, ex quo per successivas generationes nati sunt Ferdinandus, Annibal et Eleonora. — Haec Eleonora in quadruplici iudicio habito coram S. C- C medio hoc saeculo, universalis haeres recognita fuit iuris Corneliae Zobuli, idest patronalis vocis Christophori.

Eleonora autem nupsit Paulo Cassoli-Lorenzotti, ex quo Georgius, Aloysius et Victoria sunt prognati.

Porro Georgii nepos est illa Aloysia Cassoli Gattini, nupta enim est quidam Cattini, quem cum fratribus suis instat ad patronatum sibi vindicandum.

Aloysii autem filii sunt comes Carolus Cassoli et Adelaides qui primi actores in hac causa fuerunt, et pro quibus etiam in hodiernis comitiis Procurator dimicat.

Demum Victoria Pancaldi, ipsamet est Victoria superius commemorata, filia nempe Pauli Cassoli Lorenzotti et Eleonorae, nobili viro Pancaldi coniuncta.

Porro licet de iure Eleonorae dubitari legitime non posset; attamen in praecedenti causae actione incertum prorsus erat, utrum et in quem ex his omnibus Eleonorae ius deberet recognosci transfusum. Hos omnes Eleonorae successores esse, et cum ea sanguine coniunctos, legitima ortus documenta plane evincebant. At vero, quis inter eos esset Eleonorae haeres incertum omnino manserat, ac nemo ad hoc intenderat. Et nihilominus ex adductis superius iuris principiis et ex clara fundatorum dispositione utraque qualitas ***haer editaría et agnatitia, haeredis scilicet et sanguinis*** ostensa erat ab eo qui patronatum sibi vindicare voluisset.

Sed aderat et gravior obiectio. Nam Georgius qua generalis procurator patris sui Pauli Cassoli Lorenzotti, cui Eleonora ante mortem patronalia sua iura legaverat, hic, inquam Georgius vendiderat hebraeis De Benedetti suum patronatus trientem. Unde tandem contra Cassoliorum deseendentiam idem obstabat impedimentum ac contra familiam Cagliari.

Nec leve id erat. Nam si patronatus sit gentilitius, ex simoniaca eius venditione actualis patronus a sui iuris exercitio suspensus quidem manet ; sed ecclesia non evadit libera: et filii post mortem criminosi patris ad patronatus exercitium instituuntur. Sunt namque a fundatore vocati et ius suum ab eo, non a simoniaco venditore nanciscuntur. Ita Fargna ***p. 1, cau. 4, cons. 13, n. 2.*** — At si patronatus sit haereditarius, eodem Fargna docente ***cit. I. n. IO et 15,*** per simoniacam venditionem prorsus amittitur, nec filii in ius

patris redintegrentur. Et merito: nam in patronatu haereditario ille qui succedit non est a fundatore proprie ac directe vocatus, sed a testatore tantummodo electus ac designatus. Porro si testator quacumque de causa, ideoque etiam si ex culpa patronatum ante mortem amittat, non habet quod conferat haerecli ; et ideo ecclesia evadit libera.

In themate autem agitur de patronatu mixto, idest gentilitii) simul ac haereditario: in quo solemne est, ut nedum in favorabilius, sed etiam in essentialibus de utriusque natura participet. Atqui essentiale in patronatu haereditario videtur ut transmittatur a testatore hoc iure fruente. In themate vero tam fratres Cagliari quam Paulus Cassoli Lorenzotti ex simoniaca venditione hoc iure se exuisse videbantur. Plane itaque S. C. C. censuerat, de bono iure nedum fratrum Cagliari, sed etiam Pauli Cassoli Lorenzotti eiusque prolis, hac etiam de causa, non constare.

De ceteris vero nec erat satagendum. Etenim ii Zobuli qui instare ab initio conati erant, nomine quidem, minime tamen sanguine et cognatione cum veteribus Zobulis repetriebatur coniuncti.

Siquidem ex tribus fundatoribus, Christophorus descen<Lentiâ caruisse. — Leonellus unum filium Ioannem, prole tamen haud donatum, habuisse, — unusque Iacobus duobus filiis Sigismundo et Timotheo auctus invenitur. At ultimus agnatus ex Timothei descendentia sub initium saeculi XVIII fuerat Cornelia Zobuli ; ultimus vero e Sigismundi linea extiterat Nicolaus Zobuli sacerdos ac praepositus, qui vita functus est die 26 Iunii 1802. Ergo hodierni Zobuli nibil habent quod sibi vindicent a collegiatae fundatoribus.

Item Aloysius De Medici, alter ex instantibus, per quinque feminarum cognationem rite comperiebatur coniunctus cum Sigismundo, et per eum cum fundatore Iacobo. Verumtamen cum familia De Medici ad agnationem Zobulorum attingat per Catharinam Zobuli, medio saeculo XVIII nuptam cuidam Parisetti; et haec femina e gente sua avulsa sit quin ullum ius secum ferret, quippe quod masculis in hac

linea tunc existentibus reservatum erat ; hinc nec familia De Medici ullo legitimo iure frai videbatur.

Quoad Monesios vero sufficienter per schemata genealogica aliaque documenta probatum remanserat, eos cum Timotheo et per eum cum Iacobo fundatore coniungi. Verumtamen et ipsi sub initium saeculi XVIII per feminam Camillam nuptam Scaruffi cum Zobulorum agnatione nectebantur. Porro Camillae pater, Nicolaus, assignata Camillae filiis certa pecuniae summa, cetera omnia sua iura testamento diei 26 Octobris 1693 cumulavit in Ernestum fratrem suum. Ernestus autem, pater fuit illius Corneliae Zobuli, cui res iudicata rotalis integrum patronatus trientem merito attribuit; et ex qua proveniunt Cassolii. Nullo itaque nec Monesiorum gens positivo titulo innitebatur ad patronatum sibi vindicandum.

Quibus stantibus consultissime prodiit in praecedentibus comitiis rescriptum « ***favore Ordinarii tantum*** » constare de iu^epatronatu in casu.

At evulgata sententia reclamaverunt tum familia Monesi, tum Carolus et Adelaides Cassoli.

Disceptatio Synoptica.

At prior nil aliud retulit quam particulam testamenti qua fratres Ernestus et Nicolaus Zobuli, hic Camillae, ille Corneliae pater, constituebantur pro aequali parte haeredes. At vero cum ex testamento Nicolai Zobuli, quod Cassoliorum procurator producit, sciamus, Nicolaum haeredem non instituisse filiam Camillam eiusque nepotes, ex quibus gens Monesia dérivât; sed potius fratrem suum Ernestum, ex quo est Cornelia et Cassolii. Ergo productum documentum nihil facit.

Sed maiora sunt quae comitis Caroli Cassoli procurator proponit. Missis enim iis quae ad ceterorum concursum excludendum cumulat, quaeque iam praeoccupata sunt in praecedentibus, pro cliente suo ita insistit.

Productis in primis testamentis, evincit Eleonoram cui in quadruplici iudicio coram S. O. O. medio hoc saeculo agitato recognita est possessio unius ex tribus vocibus patronalibus : Christophori nempe, hanc, inquam, Eleonoram supremis quibus decessit tabulis haeredem instituisse virum suum Paulum Cassoli Lorenzotti.

Hunc vero haeredes nuncupavisse filios suos masculos, Georgium et Aloysium; atque ita a iure patronatu exclusisse filiam, Victoriam nempe, nuptam Pancaldi. Comes autem Carolus Cassoli et Adelaides filii sunt Aloysii.

Per hoc procurator correxissa videtur quae antea omiserat, et qualitatem haereditariam in Carolo et Adelaide adstruxisse. Sed hic non sistit; nam ulterius progrediens contendit universum patronatus ius in clientes suos esse solidatum.

Ad quem effectum in primis Pitonii doctrinam reiicit, et, relata Fagnani sententia, ubi in ***p. 1 can. 5 eas. 9 n. 3*** loquens de speciali quadam institutione illustris hic canonista profitetur : « ***propterea cum sicut re et verbis coniuncti, sine dubio intrare videtur ius accrescendi pro aequali portione inter omnes ;*** » — ex hoc procurator concludit, etiam in themate, cum patroni sint re et verbis coniuncti, dari inter eos ius accrescendi.

Atqui, subdit, ex nefaria patronatus conditione familia Cagliari trientem suum amisit. Itemque Georgius, Aloysii frater, partem suam quam cum fratre dividebat, eadem ex causa deperdidit.

Quapropter duas has voces patronales ex integro in Aloysium, seu, hoc iam defuncto, in Aloysii filios Carolum et Adelaidem cumulatas esse.

Quin regeri valeat ex iniqua patronatus venditione Aloysium passum esse laesionem. Res enim ita processisse refert ex fide tum Parochi S. Georgii, tum Archiepiscopi Mutinensis. Aloysius gravi morbo correptus decumbebat, et mandatum generale ad negotia dederat seniori ex filiis suis Ferdinando, Caroli fratri, nunc vita functo. Hic autem man-

dato abutens, inscio patre convenit cum Georgio patruo suo ut iniquam venditionem perficeret. Certum est, ait Archiepiscopus et parochus: proprius Aloysii, quod hic numquam venditioni iniquae consensisset, si de hac rogatus fuisset, quia pius> Ecclesiae praeceptis obsequens semper fuit.

Quapropter Orator concludit, reos criminis, Ferdinandum nempe eiusque patruum Georgium, iusta poena multari debere, minime vero Aloysium rei ignarum, nec eius filium Carolum, de quo imo constat, ad praepositurae defensionem dimicasse, ne scilicet ab hebraeis una simul cum ceteris collegiatae beneficiis usurparetur.

Vindicatis ita clienti suo duabus vocibus patronalibus, procurator, more suo assuetaque argumentatiòne studet et tertiam, quae Episcopi est, eidem adscribere¿ Dicit namque donationem Episcopo factam in praeiudicium successorum a fundatore vocatorum contingere non potuisse. Omittitur autem referre quae ipse hariolatur ex particula rei iudicatae rotalis saeculi XVIII, quam collatam cum textu originali nec precise refert, et insuper extra omnem suum contextum, imo contra vel proximum contextum interpretatur.

Atque ita primum suae orationis caput procurator absolvit. Gradum inde faciens ad alterum, recolit in primis subsidia patronis egentibus non negari; et deinceps pluribus adductis auctoritatibus tum Doctorum tum sacrorum diversorum Ordinum contendit « pensionem usque ad medietatem redituum beneficii constitui posse ». Quae verba leguntur in ***Caesenaten. Pensionis § Praeterea,*** quae acta est coram S. C C. die 23 Februarii 1822.

Porro prosequitur, purgati praepositurae reditus non ad 9000 libellarum ut Episcopus vult, sed ad 14000 conscendunt. Reprehendit enim quod nimium augeantur onera, atque ita 1000 libellae assignentur pro manutentione aedium, 2600 vero pro expensis cultus et coadiutoris pensione in paroecia quae 500 animas non excedit.

Quapropter legitimam omnino putat elientis sui petitionem, qua postulat pensionem elevari ad 6000 libellarum cum

iure tamen divisionis et ***reversibilitatis*** inter omnes de familia, Carolum scilicet, Adelaidem eorumque matrem.

Haec procurator. Vicissim vero quae adversus haec dici possint quam citissime colligam. Et in primis casum a Fagnano propositum haud videri facere ad rem; nam in patronatus institutione si plures ab initio patroni ac lineae praestituantur, hi coniuncti quidem re dici poterunt, minime tamen verbis. Imo prorsus divisi habentur ex recepta Pitonii sententia. Quod et practice confirmatur in themate. Nam per tot saecula tres huiusmodi voces semper divisas mansisse, sacrorum tribunalium sententiis ultro probantibus invenimus.

Item quod donatio vocis Leonelli Episcopo facta non teneat, cum eam apostolicis bullis probaverit S. Pontifex, S. Rota duplici conformi re iudicata recognoverit, nec non et S. C. C. quadruplici iudicio medio hoc saeculo sanxerit, vanum videtur contendere.

Potius quae referuntur de successione haereditaria et de innocentia Aloysii ac Caroli relate ad patronatus venditionem, haec quidem maioris videntur momenti.

Quibus praenotatis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. ***An sit standum vel recedendum a decisis in primo dubio in casu.***

II. ***An sit standum vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu.***

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 15 Decembris! 1888, censuit respondere: ***Ad I. Recedendum a decisis; ita ut pro una voce iuspatronatus ad Episcopum, pro altera voce ad Carolum et Adelaidem Cassoli, pro tertia beneficium esse liberae collationis. Ad II. Esse augendam summam usque ad libellas 2000; et amplius.***

TUDBRTINA

ELEEMOSYNAE PRO SECUNDA MISSA

Die 15 Septembris 1888.

Per Summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Supremis quibus decessit tabulis mensis Iunii 1887 Franciscus Bianchini, domo ***Collevalenza*** Dioecesis tudertinae, legatum ducentorum libellarum annualium constituit ad hoc, ut singulis diebus festis in illius pagi parochiali ecclesia, secunda missa celebraretur pro anima sua et populi commodo.

Verum sacerdos non invenitur qui illuc accedat et legato satisfaciat.

Aliunde, notat in suo supplici libello parochus loci, necessitas duarum missarum pro diebus Festis in hac paroecia videtur evidens. Nam nedum permagnus animarum numerus, quae 700 superant, nedum accessus ad Ecclesiam pro multis perdifficilis, sed etiam parvitas Ecclesiae, quae unica est et vix capit 300 fideles, exposcunt celebrationem secundae Missae pro diebus anni festis. Idque evincitur etiam ex facto, quia, tempore praeterito, adfuit semper Cappellanus pro celebratione secundae Missae.

Qua de re praesens parochus prospiciens necessitatem secundae Missae in die crescentem, propter populi iuge augmentum, atque in praebenda paroeciali videns magnum detrimentum, humiliter petit facultatem celebrandi secundam, et per eandem satisfaciendi legato defuncti Bianchini.

Hisce precibus Ordinarius commendatitias litteras adiungebat sequentis tenoris: « Preces.... commendamus, nam Paroecia Collis valentiae, quae semper habuit secundam Missam diebus festivis, nunc eadem indiget etiam plus quam anteactis temporibus, cum numerus animarum valde auctus sit, et nunc ascendat ad animas plusquam septingentas. »

« Testamur insuper Beneficium paroeciale esse ita tenue, ut vix, aut ne vix quidem, ad misere vivendum Parocho sufficiat. Hisce de causis submisse putamus posse concedi^

si ita Eminentissimis Patribus libuerit, tum facultatem sacrum binandi diebus festis, tum facultatem satisfaciendi legato per Missam binatam. »

Disceptatio Synoptica.

Duplex igitur exquiritur gratia, altera binandi, altera vero percipiendi pro binatione legatum. At quoad primam observandum est, quoties constet de causis expressis in const. ***Declarasti nobis*** Benedicti XIV, Episcoporum esse, licentiam secundae celebrandae missae impertire. In dubio vero an huiusmodi causae adsint, et a fortiori quoties hae desint, ac nihilominus verum atque grave necessitatis motivum ad binandum occurrat, dispensationis iudicium ad S. Sedem natura sua reservari.

Causae autem in Benedictina ad binandum indicatae hae potissimum sunt, ut scilicet unus idemque parochus duabus distinctis parochiis, vel duobus populis disiunctis praesit; vel unius paroeciae, populus uno eodemque tempore universus missae nequeat assistere, ac ceteroquin alius sacerdos non detur. Atque ita resolvit S-. O. O, in ***Salman** Una VV. SS. LL.*** die ***22 Februarii 1862,*** et in ***Cameracen, missae pro populo 25 Septembris 1858 aliisque.***

Quibus in iure ad hunc effectum perpensis, quaenam esset applicatio in casu facienda, remissum fuit prudentiae EE. PP. iuxta ea quae parochus orator et episcopus deducunt.

Quoad aliud precum caput ex allegata Benedictina constitutione et ex citatis superius causis coram S. C. C. agitatis, liquido constare, eleemosynam pro secundae missae celebratione vetitam prorsus esse.

Nec in contrarium valere causam paupertatis beneficili parochialis. Haec namque tradit ***constit cit. n. 11:*** « Bene deprehendimus , ait Pontifex, parochos, de quibus agimus posse tum utilitatem, tum necessitatem praetexere, ut sibi putent fas esse bis in die celebrare, etiamsi alius sit sacer^ dos> qui sacrum facere valeat : utilitatem quippe in eo con-

stituent, quod bis ipsi celebrando non subministrabunt sacerdoti celebraturo eleemosynam pro missa quam celebrabit ; necessitatem in sua inopia constituent, ob quam nequeunt praedictam eleemosynam alteri sacerdoti missam celebranti elargiri. At, constituit Pontifex, neutrum eis suffragari por test. Et utilitas quidem non suffragatur: quidquid enim sit de titulo utilitatis, qui illum admittunt, illum explicant et intelligunt non de utilitate celebrantis, sed missam audientis... Minus quoque prodest necessitas ex inopia desumpta etc. »

Et merito quidem: nam iterare missam ad lucrum captandum, avaritia ac simonia redoleret, et hoc ipso reverentiae tanto sacrifìcio debitae detraheret populus autem haec perspicies, nedum obloqueretur, et offenderete, sed et scandalum inveniret, ac facile in spretum sanctissimi ac divini sacramenti veniret : quod avertendum omni nisu est : dum sacerdotum inopiae succurri aliis pluribus, iisque innoxiis ac canonicis rationibus aeque potest, ceu bene edocet ***cit. const. n. 12.***

Unde S. 0. C. passim, quando agitur de permittenda sacri iteratione cavet, ut absque ullo recepto stipendio secunda missa celebretur, prout constat ex ***Cameracen,*** cit. ***Brixien. 3 Martii 1855*** aliisque recentioribus.

Nihilominus pro rei veritate recoli oportet aliquando S. C G . permisisse, ut sacerdos sacrum iteraturus aliquid perciperet, non quidem qua missae eleemosynam, sed propter incommodum extraordinarii itineris, laboris, aliusque tituli externi, prout contigit in ***Monasterien, 11 Iulii 1845,*** in ***Treviren. Eleemosynae missarum 23 Martii 1861*** ac recentius, die ***20 Februarii 1886,*** in ***Aprutinae*** in qua parocho pro secunda missa in dissito oratorio celebraturo fìliani spondebant 15 ***tomoli*** frumenti valoris 140 aut 150 libellarum; quibus S. C. G. utramque gratiam, tum binationis tum emolumentorum perceptionis permisit; agebatur enim in hoc, sicut et in aliis superioribus casibus , de parocho arcte vivente et extraordinarium laborem obeunte; quas cir-

cumstantias semper S. C. O. prae oculis habuisse videtur, quoties de permittenda aliqua lucri perceptione in secundae missae celebratione actum est. (1)

Quibus praenotatis quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra O. Concilii, re cognita, sub die 15 Septembris 1888, censuit respondere: ***Quoad binationem affirmative, quoadusque alius Sacerdos reperiatur, qui secundam missam celebret; quoad reliqua negative.***

EX S. CONGR. EPISC. ET REGULARIUM

REGIEN.

SUPER PENSIONIBUS IN BENEFICIIS CURATIS

Die 15 Martii 1889.

COMPENDIUM FACTI. EX remotissimis temporibus Episcopi Regii Aemiliae studuerunt, ut oeconomicae conditiones quamplurimorum beneficiorum illius Dioecesis , omnino deterrimae, tolerabiliores fierent, reditibus usi aliarum Ecclesiarum, quae divite censu honestarentur. Quamobrem arrepta concursus occasione, praevioque episcopali decreto, pinguioribus imposuerunt pensiones paroeciis, ***ad vitam onerati*** tantum. Et eiusmodi pensione onerati, nedum decretum Episcopi exceperunt, atque subsignarunt, sed post canonicam institutionem, soliti etiam fuerunt formalem exhibere syngrapham pro solutione oneris apud Curiam, quae aequam peragere valeret distributionem inter parochos pauperiores.

Antistes , qui praesens in tempus eamdem moderatur .Dioecesim, numquam easdem imposuit pensiones, nisi auctoritate suffultus Apostolica pro paucis vacationis casibus, qui locum habuerunt tempore suae administrationis; et

(1) Aprutina prostat Vol. XVIII, 544.

quin formaliter constaret de oneris aequitate. Solerti etiam cura studuit Antistes idem, ut ad pensionis solutionem excitarentur tardi ores; qui, opimis inspectis reditibus, quibus ditantur, facili ratione propria implere valerent onera, in auxilium quamplurimorum parochorum, qui omni destituuntur commoditate, et miseriae aerumnis divexantur.

Curae tamen et studia Antistitis felici caruerunt exitu quoad nonnullos morosos in solvendo: quinimo nonnullus, ex parochis pensione gravatis, eo pervenit, ut futili innixus ratione, abscisse onera implere renuerit. Qua de re coactus fuit Antistes Apostolicam adire Sedem, ne frustra tempus et operam impenderet; et ut sanatio accederet expetivit decretis episcopalibus, per quae fuerant praedictae pensiones impositae.

Decem et septem, ait Ordinarius, esse parochos pensione oneratos, et ex his septem tantum solutionem oneris integram non peregisse. Horum parochorum insimul notulam exhibuit redituum ; animadvertens, rationem qua impositae fuerunt pensiones, haud esse omnino regularem; ast ad antiquissimum remeare tempus et omnino manutendas esse ait; quia parochi hisce pensionibus sublevati, in actu concursus aut examinis tempore, easdem consequuti sunt, congruae, aut sin minus beneficii instar.

Disceptatio synoptica

EPISCOPI POSSUNT PAROECIIS IMPONERE PENSIONES. Animadversum fuit non deesse doctores quamplurimos, qui tribuunt Episcopis facultatem imponendi pensiones personales, seu ad vitam gravati. Inter alios recensendus est Fagnanus ***ad cap. Nisi essent 21 de praebenda.***

Nec obstat Constitutio ***Quanta f. r. Benedicti XIII:*** nam seu retentum fuerit, ipsam respicere tantum abusus illius temporis, contra quos e vulgata fuit, seu eandem destitutam fuisse suo effectu primissimo, in facto nunc est quod Episcopi consueverunt, Apostolica Sede non reclamante,

imponere pensiones beneficiis paroecialibus pinguioribus, ut indigentia aliarum paroeciarum sublevaretur,.

Consuetudo inolita firmatur auctoritate ephemeridis Acta s. Sedis Vol. IV pag. 78 in nota «Episcopi, ex iamdiu invecta consuetudine, pensiones imponunt in collatione beneficiorum...»

Quamobrem auctores recentiores nullam de Constitutione illa peragunt mentionem, et facultatem imponendi pensiones Episcopis tribuunt indiscriminatim quoad beneficia vel simplicia vel particularia. Hisce accensendus est Vecchiotti ***lib. 3 cap. 3 p. 39 :*** « Aliquando tamen pensio non imponitur beneficio ipsi, sed personae beneficiarii, unde eius morte extinguitur, neque in beneficii successorem transit. Huius temporariae pensionis imponendae facultatem Episcopis esse plures canonistae, innixi textui ***Nisi essent cap. 21 de praeb.*** contendunt ob eam rationem quod nulla fiat beneficii, sectio, seu dismembratio, quum personae non beneficio ipsi imponatur. »

Neque deest auctoritas S. C. Concilii; nam in una Nullius Poripompilii 23 Augusti 1834 et in una Asculana 25 Iunii 1836 Episcopis innuitur, ad augendas parochorum congruas posse etiam uniri, suspendi, dismembran, aut annua pensione gravari Cappellanias vel beneficia quaecumque, regularibus tantummodo exceptis.

Huic sententiae concinit Reiffenstuel ***lib. III tit. 12 p. 4 n. 88*** « Etsi regulariter loquendo Episcopus vel alius collator, Papa inferior, non possit conferre beneficium sub reservatione pensionis , cuipiam persolvendae , nihilominus in casu speciali, atque ex iusta et rationabili causa, **poiesT** etiam Episcopus pensionem imponere, seu constituere saltem duraturam ad vitam beneficiarii gravati, atque in eam consentientis, cum quo extinguatur pensio. Conclusio haec quoad priorem partem est certa; et patet ex rubrica **et** textu praesentis tituli, ubi pro regula ponitur ; ***beneficia sine diminutione conferuntur*** cum similibus. > Alteram conclusionis partem tenet Glossa in ***c-audivimus v. pensionem, de col-***

lusion. deteg. Innocentius ***c. De cetero, n 7,*** et Abbas ***ibid. n. 2 de tr ansäet.*** Navarrus ***consil, 43 n. 4 de simonia.*** Garcias ***p. 1 de beneficiis c. 5 n. 295 et 296.*** Gonzales ***ad reg. 8 Cameli, gloss. 5 p. 5 n. 27 citans Rotam in una Meliten, canonicatus 6 Martii 1597> coram d. Merlino*** et alias saepius. Fagnanus c. ***Nisi essent n. 28 de praebendis,*** citans complures alios, atque asserens hanc esse receptisssimam sententiam.

« N. 89 non obstat rubrica et texsus praesentis tituli: ***ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur*** et similibus. Siquidem per huiusmodi pensionem non gravatur beneficium dumtaxat, et sic adhuc beneficium sine diminutione confertur: nec fit aliqua sectio circa proventus ipsius, cum hos omnes recipiat beneficiarius gravatus, licet postea ad dies vitae suae, sive quamdiu tenuerit beneficium debeat certum quid praebere Pensionario. >

Sub n. 103 loquens de Edicto Datariae diei 11 Novembris 1692 per quod prohibentur pensiones super ecclesiis paroecialibus, ait : « ad alteram vero partem prohibentem ne admittantur resignationes aut permutationes paroeciarum cum reservatione pensionum ad cuiuscumque favorem et sub quocumque titulo, etiam praestationis alimentorum ; responderi potest eo modo quo in simili ***ad constit,*** b. Pii V. quae incipit ***Intolerabilis,*** contra confidentias 1569 kal. Iunii emanatum, respondet Barbosa ***p. 2 de offic, et potest. Episcopi alleg. 85 n. 11*** citans Nicol. Garciam ***p. 1 de beneficiis c. 5 n. 313*** et Fillucium ***tract. 42 de pensionibus, c. 3 n. 5*** videlicet quod eiusmodi verbis non sit Episcopis abrogata aliqua facultas, qua prius licite uti poterant ; sed solum prohibeatur, vel puniatur impositio pensionis ab Episcopis facta sine causa videlicet rationabili et iusta. »

Pensiones in themate requisitis haud destituuntur quae auctores requirunt, ceu causam iustam et honestam ad hoc, ut imponi queant. Pensiones enim impositae fuerunt ***ad vitam gravati*** et ideo temporaneae et personales stricte loquendo sunt. Constituuntur in quantitate determinata pe-

cuniae, minime vero in quota proportionali redituum; et non inducunt beneficii sectionem. Non sunt graves quia numquam attingunt tertiam redituum partem. Causa vero harum pensionum legitima et iusta omnino est, quia necessitate innititur et obiecto sublevandae indigentiae plurimorum parochorum, qui vere egent : minime ut alicui gratificetur, aut ob titulos illos, contra quos edita fuit Constitutio Benedictina. Neque tandem posthaberi potest quod gravati ipsi, sponte sua, semel atque iterum has exceperunt pensiones. Et ideo adversus eos qui in mora sunt, post decreti acceptationem, et post solutionis syngrapham, vim propriam omnino exerunt haec iuris principia ***quod semel placuit semper placere debet « Sic convenisti mecum.*** >

Constituti in mora nullam excusationem habent, quasi decepti novitate rei fuerint; nam antiquissimae sunt pensiones eaedem, omnibus notae, neque nuperrimis impositae collationibus. Unica in his rebus novitas est solum reductio ipsarum pensionum rite peracta ab anno 1867, ex quo taxae et gravamina civilia augeri coeperunt.

Ex adductis ergo liquido patet nullam deficere conditionem, ut rite impositae dici queant pensiones in themate ; nullumque perfugium oneratis adesse, quam easdem tempestive persolvere, omnem relinquendo moram.

EPISCOPI NEQUEUNT IMPONERE PENSIONES PAROECIIS. Quum redditus Beneficii, praeter honestam Rectoris vivendi rationem, sint convertendi in pios usus ; ideo quando superior pensionem imponit determinat hosce pios usus, quibus adducendum est quod superest. Quando similiter Pontifex ob causam detrahit de fructibus beneficii, iam eosdem applicat in usus pios. Sed hoc ordinarie loquendo locum habet quoad beneficia simplicia: quoniam rector cum cura animarum, vel Episcopus vel Parochus ipse sit, suos habet pauperes propriamque Ecclesiam, quibus debet superfluum.

Hinc multa prolapsa sunt saecula, quin ageretur de imponendis oneribus aut pensionibus super Beneficia, curam animarum habentia. Et quando consuetudo contraria ino-

1ère coepit, pensiones impositae sunt ad id solummodo, ut haberet unde vivere qui, confectus annis et incommodis, par amplius non erat implendis ministerii sacri oneribus, taleque resigna vera t beneficium. Qua de re tantum resignantibus beneficia pensiones concessae fuerunt, iusta adstante causa et de Romani Pontificis consensu.

Exemplum pensionis impositae beneficio cum animarum cura reperitur in Concilio calcedonensi ***part. 2 art. 10*** in fine. Aliud exemplum praebet s. Gregorius magnus, qui scribens ad Episcopum Galliarum iubet dari pensionem Episcopo illi, qui infirmitatis causa implere sacra sua onera amplius nequit ***Can. Quamvis.*** « Ipse data petitione se non ulterius ad hoc ministerium intellectum habere, nec ad alia officia, subvertente infirmitate, posse fateatur assurgere; alium suo loco expetit ordinandum; quo facto omnium solemniter electione, alter qui dignus fuerit Episcopus ordinetur, sic tamen ut quousque eundem Episcopum in hoc saeculo vita tenuerit, sumptus ei debiti de eadem Ecclesia ministrentur. »

Et ipsum Tridentinum, etsi forsan adiuncta temporum immutata, contrarium suaderent, magna cum difficultate admisit pensiones imponendas super beneficiium cum cura animarum. Siquidem cum ageretur de ratione consulendi necessitatibus Ecclesiae cathedralis et dignitati episcopali, innuit in hunc finem uniendos esse plures tenues reditus beneficiorum nonnullorum, sed excipit beneficia paroecialia, ***€ de beneficiis aliquibus, dum tamen curata non sint.*** > Decernit etiam consulendum esse paroeciis pauperibus sive per unionem tenuium beneficiorum, sive per decimas imponendas.

Quoad Ecclesias paroeciales aegre videtur induisisse, ut super eisdem imponerentur pensiones, quia de his loquendo ait : « ***Ecclesiae paroeciales, quae summam ducatorum centum, secundum verum annuum valorem non excedant, nullis pensionibus aut reservationibus fructuum graventur.*** > Ast concessio haec cum difficultate facta in praxim deducta fuit, ita immodice ut Apostolicae Sedis interventus necessa-

raus fuerit. Nani in Italia praesertim parochi pensionibus onusti, impares evaserant collabentibus ecclesiis reparandis **€t** cultui divino sibique consulendo.

Resque hisce de causis eo pervenerant ut romanus Pontifex Innocentius XII coactus fuerit medelam afferre per decretum diei 11 Novem. 1692 ; quo prohibuit ut paroeciae pensionibus onerarentur. Bonum obtinuit exitum, donec in vivis ageret Innocentius XII , postea vero in desuetudinem abiit, tamquam temporanea provisio ; iterumque paroeciae gravari pensionibus coeperunt.

Tum vero, ut novis ingruentibus malis Benedictus XIII remedium afferret, Constitutionem edidit ***Quanta pastoribus*** diei 6 Septembris 1724; cui uti fundamentum ponit onus divinum incumbens parochis quoad pauperes, aiens < Inter cetera, quae animarum rectoribus divino praecepto - mandata sunt, quaemadmodum Tridentina Synodus recte admonet* illud esse dignoscitur, ut ipsi pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerant; hoc est illis, qui inopia laborant, praesertim vero viduis, atque virginibus orphanis, pupillis et infirmis, non modo spiritualia debitae pietatis et caritatis officia tribuant, verum etiam more boni patris familias, eorum necessitatibus pro viribus subveniant, et quaecumque possunt, temporalia subsidia conferre non praetermittant. >

Deinde Summus Pontifex valde dolet quod parochi, pensionibus onerati, coacti fuerint negligere onera divinitus eisdem imposita, tum quoad pauperes, tum quoad divini cultus decorem. Et laudibus exaltans edictum Innocentii XII, ad litteram inserit in hanc suam Constitutionem, idem confirmat in suo robore, et renovat, reservando sibi suisque successoribus in Romano Pontificatu auctoritatem imponendi super paroeciis pensiones: « ***(pao Beneficiorum proventus, et locorum personarumque conditio imponi permiserint, in favorem dumtaxat et commodum Fabricae earumdem Ecclesiarum'*** »

Ex hac ergo Constitutione omnis facultas onerandi pa-

roecias pensionibus a Tridentino concessa perimitur ab eo qui supra omne Ius stat, idest a Papa, qui ***in cap. Proposuit 4 de canees, Praebendi,*** exprimit celsitudinem suae auctoritatis per verba: « ***qui secundum plenitudinem potestatis de iure possumus supra Ius dispensare.*** »

Quum ex citata Constitutione certum sit soli Papae corata petere ius imponendi pensiones in beneficiis paroecialibus.! sequitur quod omnis pensio imposita paroeciis per Ordinarios nullius sit valoris, nisi in antecessum expetita fuerit facultas a R. Pontifice. Neque dicere iuvat quod beneficiatus ipse, sponte sua, onus pensionis exceperit; nam ignorantia beneficiati de existentia dictae Constitutionis Benedictinae addere valorem nequit pensióni nullae in radice; quinimo consensus ille expetitus et concessus quoad pensionem sapere posset pactum simoniacum. Pensiones autem de quibus quaestio est impositas fuisse ab Episcopis, absque auctoritate Apostolicae sedis, colligi potest vel ex eo quod nullum in Curia episcopali requiratur documentum.

Praeterea animadversum fuit, quod si praedictae pensiones regulariter quoque impositae fuissent, auctorante romano Pontifice, tamen nullius valoris esse possent alios Ob titulos; quatenus nempe deesset ***causa, modus*** et ***mensura*** in earumdem impositione. ***Causa,*** iuxta De Luca ***De pens. disc. 40 n. 4.*** « iustificanda est aliunde per extrínsecas probationes, neque in hoc defertur ipsius Ordinarii assertioni, ex generali pro*-positione, de qua apud Rotam dec. 224 ut prohibitus facere dicatur etiam prohibitus confiteri, seu asserere. >

Modus impositionis suspicionem ingerit quod nulliter pensio imposita fuerit; nam dum pensio imponeretur nil aliud patefactum fuit onerato, quam quod pensio haec exhibenda erat Curiae episcopali, ceu dispensatrici: quin patefierent personae, quarum favore cederet. Modus hic invalidam reddit pensionem eiusmodi quae probabiliter accenseri potest casibus simoniae confidentialis.

Mensura in imponendis pensionibus posthaberi nequit: nam certum est pensionem imponendam excedere nequire tertiam

redituum partem, liberam ab oneribus: iuxta *Constit. Speculatores* Innocentii XII ut beneficiatus competenter vivere valeat: « *Beneficium* eius sit reditus, ut ad congruam vitae sustentationem, detractis oneribus, per se sufficiat. > Ast mensura haec facili de ratione servari nequit hisce praesertim nostris temporibus; quando beneficiorum reditus, taxis gubernii civilis, iugiter imminuuntur, et summa eorumdem redituum variare potest quotannis.

Quibus in utramque partem animadversis, propositum fuit enucleandum

Dubinm.

An et quomodo confirmanda vel revocanda sint Decreta episcopalia, quae imponunt annuas pensiones, ad vitam gravati, supra beneficia curata in casu.

RESOLUTIO. Sacra Cong. Ep. et Regularium, re discussa sub die 15 Martii 1889, censuit respondere : ***Affirmative •ad primam partem, negative ad secundam et amplius.***

Ex QUIBUS COLLIGES: I Receptissimam esse sententiam, Episcopum iure suo ordinario posse imponere pensionem ad vitam titularis gravati; dummodo concurrant iusta causa, consensus gravati eiusdem, redditus beneficii, si parochialis sit, superent summam ducatorum centum ***Trid. Sess. 24 cap. 13 p. ad haec.*** et pensio non superet tertiam fructuum partem.

II. Licere Episcopis imponere pensiones super beneficiis suae Dioecesis ad tempus beneficiati titularis, quia personae et non beneficio hac ratione imposita est pensio; et beneficia sic non scinduntur, dum persona, non beneficium gravatur hoc onere, quod non ligat successorem in beneficio.

III. Gravatos eiusmodi pensione, dictis fultâ requisitis, teneri omnino ad oneris solutionem, quod sponte susceperunt -etiam ex iuris principiis — ***quod semel placuit semper placere debet—sic convenisti mecum.*** — etc.

IV. Onera enim et obligationes rite impositae et libenter susceptae, proiici et resolvi nequeunt effugiis, quae saepe parat non dubia obligationis notitia, sed immutata obligati oeconomica conditio ex aliorum perversitate vel ex propria in rebus gerendis imperitia.

V. Pensiones in themate omnino esse persolvendas, absque effugiis, quia requisitis ex iure fulciuntur et quia legitima auctoritate impositae fuerunt.

EX 3. CONGREG. INDULGENTIARUM

Beatissime Pater,

Sacerdos Ludovicus Dèscamps S. I. e provincia Lugdunensi ad pedes S. V. humiliter provolutus, exorat S. V. ut aliquam Indulgentiam benigne concedere dignetur omnibus utriusque sexus Christifidelibus devote recitantibus sequentem Orationem excerptam ex Diteris Encyclicis S. V. quae incipiunt : *Exeunte iam anno* **d. d. 25 Decembris 1888.**

Quam gratiam etc.

Oratio

Vides, Domine, ut undique eruperint venti, ut mare inhorrescat, magna vi excitatis fluctibus. Impera, quaesumus, qui solus potes, et ventis et mari. Redde hominum generi pacem veri nominis , quam mundus dare non potest, tranquillitatem ordinis. Scilicet munere impulsuque tuo referant sese homines ad ordinem debitum, restituta , ut oportet,

Versio authentica

Tu vedi, o Signore, come da ogni banda si disferrino impetuosi i venti, ed il mare si arruffi, levando altissimi flutti. Belìi tu, che solo lo puoi, comanda ai venti e al mare. Rendi all'umana famiglia la vera pace, che il mondo non può dare, la tranquillità dell'ordine. Facciano, cioè, gli uomini, mercè la tua grazia e il tuo impulso, ritorno all'ordine dovuto, restaurando nei loro cuori la pietà verso Dio, la

pietate in Deum, iustitia et caritate in proximos, temperantia in semetipsos, domitis ratione cupiditatibus. Adveniat regnum tuum, tibique subesse ac servire ii quoque intelligant oportere , qui veritatem et salutem, te procul, vano labore exquirunt. Inest in legibus tuis aequitas ac lenitudo paterna : ad easque servandas ultro nobis ipse suppeditas expeditam virtute tua facultatem. Militia est vita hominis super terram , sed ipse *certamen inspectas, et adiuvas hominem ut vincat, et deficientem subie' vas, et vincentem coronas.*

giustizia, e la carità verso il prossimo, e la temperanza verso sè stessi con pieno dominio della ragione sull' appetito. Venga il tuo regno; e quelli stessi che lungi da te äffaticansi invano nella ricerca della verità e dèlia salute, intendano essere cosa indispensabile che a te si assoggettino e ti servano. È innaturata nelle tue leggi la giustizia e una soavità tutta paterna: e tu stesso spontaneamente ci doni, mercè la tua grazia, la forza di osservarle. Milizia è la vita dell'uomo sulla terra, ma tu stesso « sei spettatore delta battaglia, aiuti l'uomo a vincere, scorato lo rinfranchi, e vincitore lo coroni, - certamen inspectas, et adiuvas hominem ut vincat, et deficientem sublevas et vincentem coronas. >

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, in audientia habita die 19 Ianuarii 1889 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis et ss. Reliquiis praepositae, benigne concessit Indulgentiam *bis centum dierum,* semel in die lucrandam ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus, corde saltem contrito ac devote recitantibus supra relatam precem. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum ex Secretaria eiusdem sacrae Congregationis die 19 Ianuarii 1889.

SERAPHINUS Card. VANNUTELLI *Praefectus.*

>$f ALEXANDER Episcopus OENSIS *Secretarius.*

rSfm

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM

Sabbato 13 Aprilis 1889.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita, in Palatio Apostolico Vaticano die 13 Aprilis 1889 damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnatum atque proscriptum in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quod sequitur Opusculum :

Homa e 1' Italia e la realtà delle cose, pensieri di un Prelato Italiano. Opuscolo estratto dalla *Rassegna Nazionale* **an. XI, vol. XLVI, I° Marzo 1889. Firenze etc. '**

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate aut in posterum edere aut edita legere vel retinere audeat sed locorum Ordinariis aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. G. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 13 Aprilis 1889.

PLACIDUS MARIA Card. SCHIAFFINO Praef.

Fr. HIERONYMUS PIUS SACCHERI Ord. Praed.
S. Iud. Congreg, a Secretis.

Loco ✠ Sigilli.

Die 16 Aprilis 1889 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia Mag, Curs.

APPENDIX IV.

In qua plura referuntur Decreta S. Rituum Congregationis.

NEMAUSEN.

Paroecia Ecclesiae Cathedralis Nemausensis in Gallia, quae antea ab ipsa Ecclesia Cathedrali distincta erat ac prorsus divisa, nunc est penes Capitulum Cathedralis eiusdem. Antiqua enim Ecclesia Paroecialis sub titulo Sancti Castoris Ep. Conf. a Pseudo-reformatis occupata iam ab antiquo tempore fuit et Paroecia translata in Cathedralem Ecclesiam.

Titulus Ecclesiae Cathedralis est Assumptio Beatae Mariae Virginis quae et Civitatis totiusque Dioecesis Nemausensis est Patrona. Titulus autem antiquae Paroeciae, nunc in Cathedralem translatae, est Sanctus Castor Episcopus et Confessor. Cum titulus non sit nisi ille quem in Consecratione quaevis Ecclesia accipit, late patet huius Ecclesiae titulum esse Assumptionem Beatae Mariae Virginis.

Dubium vero exortum in nonnullis est an Episcopus Nemausensis et Vicarii Generales, qui ad Capitulum pertinere possunt tantum titulo honoris, debeant festum S. Castoris, E. C. celebrare et quo ritu. Unde exquisitum fuit :

I. Utrum Episcopus Nemausensis et Alesiensis, eiusque Vicarii Generales, nec non Capitulum et Ecclesia Cathedralis teneantur celebrare festum S. Castoris Episcopi Confessoris?

II. Et quatenus affirmative, quo ritu illud celebrare teneantur?

Sacra itaque Rituum Congregatio, exquisito voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem subscripti Secretarii declarare censuit :

Ad I. Negative.

Ad II. Provisum in primo. Atque ita declaravit et rescripsit. Die 31 Martii 1879.

SANCTI IACOBI DE CHILE.

Sacerdos Franciscus Martínez Canonicus et Secretarius Capituli Ecclesiae Metropolitanae S. -Iacobi de Chile Sacrae Rituum Congregationi haec exposuit: In Ecclesia Metropolitana S. Iacobi de Chile ex antiqua consuetudine in Sabbatis Quadragesimae aliisque diebus decantantur vesperae minus solemnes quam in maioribus festis: et in illis Canonicus hebdomadarius immediate post Missam, ex sua sede habituque chorali facit Officium usque ad ***Magnificat;*** tunc autem accipit pluviale, quod etiam acci-

piunt Capellani illi ministrantes, ponit et benedicit incensum, relinquens chorum, pergit ad altare , illud incensat,-vadit ad legile in medio chori ibique incensatur, et stans dum repetitur antiphona ad ***Magnificat*** décantât orationes et finem facit officio, in quo omnes salutationes omittuntur.

Hinc humillime exquisivit utrum a Capitulo Ecclesiae Metropolitanae praedictae retineri licite valeat haec consuetudo, vel an potius hoc Officium vesperarum faciendum sit ad normam Caeremonialis Episcoporum Lib. II Cap. 3 ?

Sacra porro Rituum Congregatio, audito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem subscripti Secretarii proposito Dubio rescripsit: Negative ad primam partem ; Affirmative ad secuadam. Atque ita rescripsit. Die 31 Martii 1879.

ROMANA.

Eme et Revme Domine Dne Mi Obsme,

Insignis Basilicae S. Mariae Trans Tiberini Capitulum et Canonici, ut quaelibet tolleretur dubitatio quoad intelligentiam provisionalis decreti diei 16 Martii 1876, Sacrae huius Congregationis examini subiicere constituerunt peculiares Ecclesiae suae consuetudines quae ad sacras caeremonias et functiones pertinent. Quod consilium Eminentia Vestra, postquam Titulum Basilicae huius assumpsit, nedum laudavit, sed apud praefatam Sacram Congregationem suis etiam adiuvit officiis. Sacra itaque Congregatio, omnibus mature discussis, praecipue relate ad assertam antiquam earumdem consuetudinem observantiam, et re cum eadem Eminentia Vestra opportune collata, ea quae sequuntur in praefata Basilica ab omnibus servanda constituit :

1. Qui pileolo utuntur, eum in choro semper deponant dum accedentes aut recedentes salutant altare, dum genuflectunt, dum confessionem faciunt aut incensantur; tempore autem divini officii cum soli intonant psalmos aut antiphonas, cum in medio chori ad legile cantant aut legunt invitatorium , lectiones, responsoria brevia, martyrologium etc., tempore demum Missae dum aqua benedicta asperguntur, dicunt ***Gloria, Credo, Sanctus, Agnus Dei,*** dum canitur Evangelium, recipiunt aut dant pacem ; dum SSmum Sacramentum elevatur, ministratur aut defertur; ad benedictionem in fine Missae.

2. Lector, qui in medio Chori lectiones recitat aut cantat, benedictionem petat caput profunde versus hebdomadarium inclinans, legat distincte ac devote et in fine uniuscuiusque Lectionis, si non est Canonicus, genuflectat ad verba ***Tu autem Domine.***

3. Diebus Dominicis Canonicus celebrans pluviali indutus pro asper-

sione aquae benedictae, omissa thuris impositione in thuribulum, incedat cum caeremoniario, diacono et subdiacono eum praecedentibus. Nisi vero celebrans sit Canonicus, sed Beneficiatus aut ex inferiori clero, Canonici ministri officium nullatenus expleant.

4. Dum per Canonicum hebdomadarum fit aspersio aquae benedictae omnes stare debent aperto capite: interea vero Diaconus et Subdiaconus ad infimum altaris gradum consistant. Expleta autem aspersione Canonicus hebdomadarius eodem in loco casulam assumat, non tamen de altari sed super scamno positam.

5. Peracta a Celebrante cum Ministris confessione, in Choro omnes sedeant, neque surgant nisi cum ille facto crucis signo legit Introitum Missae, et suo tempore alternatim dicant *Kyrie eleison.* Pariter omnes sedeant; dum incensante oblata et ipse celebrans , surgant vero ad incensationem Chori, si haec locum habet, secus sedeant usque ad Praefationem.

6. In Missis solemnibus die Annuntiationis B. M. V. et Nativitatis Domini ad verba *Et incarnatus est,* et in cantu Passionis in Maiori Hebdomada ad verba *emisit spiritum,* Canonici, Celebrans et Ministri, uti •valeant pulvino. Qui vero Passionem canunt legib suppedaneo imposito pro ambone utantur, facie versa ad altare prouti hactenus observatum est.

7. Diaconus et Subdiaconus respective post Epistolam et ante Evangelium, si sunt Canonici inclinati, alii vero genibus flexis, a' Celebrante benedictionem recipiant. Pariter in fine Missae ad benedictionem stare debent Canonici se profunde inclinantes, alii omnes genuflectere.

8. In solemni SSmi Sacramenti expositione, loco diaconi poterit alius minister superpelliceo indutus cum stola illud in throno collocare et post benedictionem in Tabernaculo deponere.

9. In Sabbato Sancto Subdiaconus epistolam cantaturus, non alter, crucem deferat, tam ad benedictionem novi ignis, quam Cerei Paschalis. Peracta autem benedictione Fontis, clerus egrediens ex minori porta maiorem ingrediatur et Lilaniam instituat.

10. In festo S. Marci et in feriis Rogationum Missa de Feria non ante, sed post Processionem celebretur. In festo Sanctorum , quorum habentur Ecclesiae filiales, Missa de festo in Basilica omittitur,, quae absoluto choro canenda erit in Ecclesia filiali. Laudabilis tamen consuetudo servetur ut in praecipuis Deiparae Festis ex legato Missa de Festo B. M. V. cum cantu celebretur per Capellanos in Sacello Beatae Mariae Virginis *a Clementia,* quamvis deinde per Rmos- Canonicos Missa eiusdem solemnitatis decantetur.

11. Si propter occursum Do-

ininicae privilegiatae, aut Festi altioris ritus officium B. M. 'V. de ***Clementia,*** aut de ***Strata Cupa*** transferri debeat, in cuius festo Chorus in eiusdem Sacello convenire solet, conventus eiusmodi eo die habebitur in quo per rubricas Officium Festi translatum fuerit.

12. Cum ex antiqua consuetudine Feria V. post Dominicam II. Quadragesimae, occasione Stationis in praefata Basilica, solemne Completorium coram SSmo Sacramento, pro oratione 40 Horarum exposito, decantari soleat, consuetudo haec, utpote vere laudabilis, in posterum servetur, non obstante Clementina Instructione.

In reliquis autem Caeremoniale Episcoporum ac Rubricae inviolabiliter serventur.

Romae die 4 Aprilis 1879.

Emo et Rmo

Dno Cardinali Laurentio Nina Titulari Basilicae S. M. Trans Tiberini.

MARIANOPOLITANA.

Sacerdos Carolus Lecoq Professor Sacrae Theologiae in Seminario Marianopolitano, a Sacra Rituum Congregatione sequentis Dubii solutionem humillime exquisivit:

Utrum approbanda, tolerandave sit effigies satis late vulgata, duorum Cordium eiusdem magnitudinis, eiusdem decoris, et in eodem quasi gradu consistendum, quorum unum refert Cor adorandum Verbi incarnati, iis ornatum insignibus, quibus pia B. Margaritae Mariae Alacoque revelatione depingendum exhibetur; alterum autem immaculatum Cor Beatae Mariae Virginis exprimit, rosea corona redimitum et gladio perforatum; utroque interdum radiis eiusdem, ut aiunt, gloriae circumcincto ?

Sacra itaque Rituum Congregatio, audita sententia Rmi Emi Assessoris eiusdem Congregationis, referente subscripto Secretario, huic Dubio sic respondendum censuit : Eiusmodi emblemata privata ex devotione permitti posse, dummodo altaribus non apponantur. Atque ita respondit ac rescripsit. Die 5 Aprilis 1879.

VANCOUVERIEN.

A Rmo Episcopo Vancouveriensi pro opportuna resolutione proposito Dubio: An clerici totius Dioeceseos Vancouveriensis ita teneantur ad Officium S. Andreae Titularis Ecclesiae Cathedralis, ut debeant illud persolvere sub ritu duplici primae classis cum octava sic statuente Ordinario; siquidem in ea regione nullus habetur Patronus canonice electus, sed ex, concessione Apostolica Sanctus Ioseph Deiparae Sponsus, ut primarius et S. Franciscus Xaverius, ut secundarius universae provinciae ecclesiasticae coluntur Patroni.

Sacra Rituum Congregatio ad relationem subscripti Secretarii re-

spondit: Affirmative, et dentur Decreta Rossanen. 22 Augusti 1772 ad V, Ravennaten. 9 Maii 1857 ad 2, et Northinghamen. 17 Martii 18S9. Atque ita respondit ac servari mandavit. Die 9 Maii 1879.

ORDINIS MINORUM
S. FRANCISCI CONVENTUALIUM.

Hodiernus Superior Conventus S. Antonii Patavini Ordinis Minorum Sancti Francisci Conventualium Bruxellis, exposuit quod plures fideles, praesertim pauperes, non habentes unde solvere valeant, iuxta suum statum societatis, stipendium nimis onerosum Missae exequialis in Ecclesia parochiali, in ea celebrare faciunt tantum funeralia sine Missa : postea vero ne defuncti anima privetur augustissimi Missae sacrificii solatio, Missam de Requie celebrare faciunt in aliena Ecclesia, praesertim apud Regulares.

Cum vero praefata Missa de Requie in aliena Ecclesia post aliquot dies a sepultura defuncti cantata locum tenere videatur exequialis, cuius celebrandi ius soli parocho competit, quamvis revera non sit nisi Missa de tertia, septima vel trigesima die a depositione, vel votiva, dubitatur an huiusmodi Missam celebrare liceat in aliena ecclesia. Hinc insequentia Dubia enodanda Sacrae Rituum Congregationi humillime subiecit, nimirum:

Dubium I. An liceat in aliena Ecclesia et apud Regulares cantare Missam de Requie, quam fideles celebrare petunt pro parentibus vel amicis defunctis, postquam funeralia in Ecclesia parochiali persoluta fuerunt, etiamsi Missa exequialis in Ecclesia parochiali fnon celebretur ?

Dubium II. An in casu ad praefatam Missam convocari vel invitari possint parentes et amici per litteras, sicuti mos est in faciendis exequiis ?

Dubium III. An liceat in aliena Ecclesia pro defuncto cantare Missam de festo vel de feria, etiamsi Missa exequialis pro eodem non celebretur in Ecclesia parochiali?

Sacra itaque Congregatio, audito voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem subscripti Secretarii, propositis Dubiis sic rescribendum censuit:

Ad I, Affirmative, servatis tamen Rubricarum regulis.

Ad II. Nihil obstare.

Ad III. Licere. Atque ita rescripsit. Die 13 Maii 1879.

SANCTIMONÍALIUM
ORDINIS EREMITARUM
S. AUGUSTINI.

Sanctimoniales praedictae postularunt approbationem cuiusdam Scapularis exhibentis colores et imagines quatuor scapularium collective nempe Pretiosissimi San-

guinis D. N. L G. , Immaculatae Conceptionis, De Monte Carmelo, et Septem Dolorum B. M. V.; Sacra Congregatio vero rescripsit : Negative. Die 14 Iunii 1879.

DUBIORUM.

1. An corrigenda Missa S. Francisci Borgia iuxta Bullam Canonizationis qua assignatur Missa *Os iusti* cum Evangelio de Communi Abbatum et prima Oratione propria, etsi in omnibus editionibus Missalis Romani etiam post correctionem postremam factam a Sacra Congregatione inveniatur integra Missa *Os iusti* de Communi Abbatum, prima oratione excepta? Responsum fuit : Nihil innovetur.

2. An collecta in fine Missalis iV. *3 pro omni gradu Ecclesiae* cum eadem sit ac illa quae legitur in Missa Parasceve, debeat corrigi scribendo *Spiritus* cum *s* parva et in conclusione absque pronomine *eiusdem?* Responsum fuit: Negative. Die 14 Iunii 1879.

PRAEFECTURAE APOSTOLICAE DE MADAGASCAR,

Sacra Congregatio de Propaganda Fide ad hanc Sacrorum Rituum Congregationem insequentia Dubia a Rmo Praefecto Apostolico de Madagascar pro opportuna resolutione proposita, transmisit, nimirum :

Dubium I. Utrum tolerantur cantica in lingua vernacula etiam in Missis, quae cum cantu celebrantur, salvo semper remanente usu cantandi Introitum, *Gloria, Credo, Sanctus* et *Agnus Beiì*

Dubium II. Utrum tolerari possit usus interrumpendi caeremonias Baptismi solemnis adultorum, ad explicandas vernacula lingua hasce caeremonias?

Sacra eadem Congregatio Rituum ad relationem subscripti Secretarii, audita etiam sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, hisce Dubiis sic rescribendum censuit:

Ad I. Cantica in vernáculo idiomate in functionibus et Officiis liturgicis non esse toleranda, sed omnino prohibendam extra functiones liturgicas servetur consuetudo.

Ad II. Negative.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 21 Iunii 1879-

POLYCASTREN.

Pastoralem visitationem in Ecclesiis Dioeceseos suae peragens Rmus Dnus loseph Maria Gione Episcopus Polycastrensis, nonnulla invenit altaria in quibus aliquae scissurae conspiciuntur; dubitans porro an haec suam consecrationem amiserint, insequentium Dubiorum declarationem a Sacra Rituum Congregatione humillime expetivit, nimirum :

I. An haberi debeat execratum Altare fixum cuius mensa lapidea

sit scissa in duas partes fere aequales, ita tamen ut eiusmodi scissura maxime afficiat sepulcrum reliquiarum, neque ambae partes sint seiunctae a gradibus superioribus altaris ipsius aut a stipitibus suppositis?

II. An censendum sit altare portatile suam amisisse consecrationem ex eo quod lapis sepulcri reliquiarum aliquas habeat scissuras, quae vero sic inter se adhaereant ut nullimode dubitari possit de reliquiarum authenticitate.

Et Sacra eadem Congregatio, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris ad relationem infrascripti Secretarii utrique Dubio rescripsit: Affirmative.

Atque ita rescripsit ac declaravit. Die 23 Iunii 1879.

LAUDEN.

Quamvis Ecclesiam Cathedralem Laudensem ex indubiis monumentis constet rite fuisse consecratum anno 1840, nihilominus in suis parietibus haud una ex duodecim praescriptis crucibus in praesentiarum apparet. Hinc vero defectui providere cupiens Rmus Dnus Dominicus Maria Gelmini hodiernus Ecclesiae Laudensis Episcopus a S. Rituum Congregatione percontatus est, quid in casu agendum sit?

Et Sacra eadem Congregatio, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad subscripti Secretarii relationem sic decernere rata est: Depingantur vel sculpantur iterum cruces, omissa unctionis caeremonia. Atque ita decrevit. Die 28 Iunii 1879.

ANTLBAREN. ET SCODREN.

R. D. Ioseph Sacchi Sacerdos Archidioeceseos Antibaren, et Scodren. a Sacra Rituum Congregatione sequentium Dubiorum declarationem humillime effiagitavit, nimirum :

Dubium I. In Rituali Romano titulo *Ordo administrandi Sacram Communionem* haec habentur : Sacerdotes vero cum stola communicent. Quaeritur cuiusnam coloris debeat esse huiusmodi stola?

Dubium II. Utrum Diaconi accedentes privatim ad Sacram Communionem debeant deferre super cottam stolam transversam?

Sacra porro eadem Congregatio, exquisito voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem subscripti Secretarii sic declarare censuit :

Ad I. Sacerdos communicans utatur stola coloris eiusdem ac Sacerdos qui ministrat.

Ad II. Affirmative.

Atque ita declaravit ac rescripsit. Die 1 Iulii 1879.

CONGREGATIONIS ORATORII

Modernus sacris Caeremoniis Praefectus Ecclesiae Congregationis

Oratorii in Civitate Venetiarum Sacrae Rituum Congregationi sequentia Dubia declaranda humillime subiecit, nimirum:

Dubium L An in exequiis pro Episcopo, vel Archiepiscopo, vel Patriarcha, vel etiam Cardinali, tam praesente quam absente corpore, vel in exequiis pro Summo Pontifice absente corpore, ponendum seu deferendum sit Baldachinum nigrum super defunctum aut super castrum doloris? Et quatenus negative, ad normam responsionis diei 8 Iulii 1631 in una Florentina, quid de consuetudine contraria?

Dubium II. An Episcopi nomen dicendum sit in Canone Missae ut in aliis liturgicis Orationibus a die notitiae, etiamsi haec non officialiter habeatur, electionis eiusdem in Concistorio, vel a die captae possessionis Ecclesiae cui a Summo Pontifice praepositus fuit?

Sacra itaque Rituum Congregatio, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem subscripti Secretarii sic declarare rata est :

Ad I. Exposita consuetudo uti abusus est eliminanda.

Ad II. A die captae possessionis vel per Episcopum ipsum, vel per suum Procuratorem. Atque ita declaravit ac rescripsit. Die 4 Iunii 1879.

VICARIATUS APOSTOLICI BOMBAYËN.

A Sacra Congregatione de Propaganda Fide ad hanc Sacrorum Rituum sequens Dubium Rmi Vicarii Apostolici Bombayen. transmissum fuit pro opportuna resolutione, nimirum :

Frequentissimum in Indiis praesertim inter Goanos obtinet mos porrigendi Sacerdoti celebranti aquam post sumptas ablutiones et ante Postcommunionem, in calicem infundendam, quam aquam postea domum asportatam Fideles tradunt aegrotantibus bibendam, rati eidem inesse quamdam sanandi vim. Huiusmodi usum aliqui Sacerdotes tamquam antiquum et pium adprobant, alii vero tamquam vanum a communi Ecclesiae consuetudine alienum, et illicitam Missae interruptionem improbant. Quaeritur itaque an liceat nec ne istum agendi morem servare?

Sacra vero eadem Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, audita sententia tum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, tum Rmi Assessoris ipsius Sacrae Congregationis, rescribendum censuit: Intra Missam non licere. Atque ita rescripsit. Die 4 Iulii 1879.

IADREN.

R. D. Antonio Sucic Canonico Insignis Collegiatae Ecclesiae Pagensis in Archidioecesi ladren, a Sacra Rituum Congregatione humillime sciscitanti: An in Oratione ***A Cunctis*** nomen Sancti loseph

Deiparae Sponsi et Catholicae Ecclesiae Patroni addi possit hoc modo *cum beato Ioseph sponso eius* vel omnino adiici debeat per verbum tantum *cum beato Ioseph?*

Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Sacrae Rituum Congregationis Secretario respondit : Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam, et detur Decretum in una Ratisbonen, diei 22 Aprilis 1871 ad II. Atque ita respondit ac servari mandavit. Die 18 Augusti 1879.

SEGUSIEN.

Vigore Brevis Apostolici diei 6 Septembris 1853 pro ditione Regis Sardiniae, sublatum fuit praeceptum audiendi sacrum et a servilibus abstinendi in nonnullis festis , inter quae recensetur Annuntiatio B. M. V., obligatione tamen adiecta *sacras functiones peragendi ut antea.* Anno autem 1869 Feria V in *Coena Domini* et festo Annuntiationis occurrentibus eodem die, Kalendarii extensor Dioeceseos Segusien. perpendens nimis acerbum vulnus inferri solemnitati eiusdem Feriae V permitiendo celebrationem eodem die Missarum privatarum quas populus non tenetur amplius audire, Annuntiationis officium cum praecepto peragendi functiones ut antea et Missae a Parochis pro populo replicandae transtulit ad feriam II post Dominicam in Albis: in aliquibus aliis Dioecesibus subalpinis aliter factum est. Ita et anno 1875 a Kalendariorum extensoribus Provinciae Taurinensis alii parvam crucem festum suppressum indicantem apposuerunt diei 25 Martii Feria V *in Coena Domini,* alii vero festum transferentes crucem praemiserunt feriae II post Dominicam in Albis.

Quum proxime insequenti anno 1880 sese tertio offerat eadem occeurentia , Festi scilicet Annuntiationis et Feriae V *in Coena Domini,* ne in re tanti momenti libera privatis opinionibus pateat via, Rmus Dnus Eduardus Iosephus Rosaz Episcopus Segusien. sui muneris esse duxit S;tcram Rituum Congregationem adire insequentium Dubiorum resolutionem ab ea humillime expostulaus, nimirum:

I. An incidente Feria V in *Coena Domini* in diem 25 Martii, festum suppressum Annuntiationis B. M. V. celebrandum sit eodem die prout antea quando erat de praecepto?

II. An ideo Missae privatae sint permittencbe in Paroeciis ad Fidelium commoditatem?

III. Et quatenus negative in hoc secundo casu, an in Cathedrali, Episcopo ad conficiendum Chrisma celebrante et Missam solemnem pro Dioecesanis ratione Festi applicante, Parochus Missam privatam pro populo celebrare et applicare debeat ?

IV. An praefatum festum Annuntiationis quoad sacras functio-

nes, Missae applicationem pro populo etc. transferendum sit, prout transfertur Officium in feriam II post Dominicam in Albis?

Sacra vero Rituum Congregatio, referente Sacrae Rituum Congregationis infrascripto Secretario, re mature perpensa, sic rescribere rata est :

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative; et detur Decretum in Yiglevanen. die 26 Septembris 1868.

Ad III. Parochus unicam Missam Conventualem diei celebrans eam applicare debet pro populo, alias ad primam sacri celebrationem ; et detur Decretum in Lingonen. diei 5 Decembris 1868.

Ad IY. Negative in omnibus. Atque ita rescripsit, declaravit ac servari mandavit. Die 18 Augusti 1879.

LUCANA.

Rmus D. Nicolaus Ghilardi hodiernus Archiepiscopus Lucanus visitationem suae Dioeceseos peragens reperiit in quadam Ecclesia parochiali duo altaria fixa cum integra tabula ex lapide, quae tamen (uti asseritur) ab alia Ecclesia ubi primitus tamquam fixa consecrata fuisse censentur, et ad illam, in qua nunc inveniuntur, translata fuere, atque in eis ab antiquo tempore Missa semper celebrata fuit. Notandum vero est dictam Ecclesiam anno 1866 ab Antistite decessore suo consecratam fuisse et in hac consecratione eadem Altaria in exposito statu remansisse. Ideo ipse Archiepiscopus a Sacra Rituum Congregatione humillime exquisivit: Num dicta Altaria pro execratis habenda sint, attento Decreto Sacrae Rituum Congregationis die 18 Maii 1819 in Senogallien. ? Praeterea idem Archiepiscopus aliqua altaria portatilia invenit, de quibus, etsi prudenter praesumi nequeat ullo tempore sepulcrum reliquiarum fuisse apertum, tamen rimula quaedam cernitur inter sepulcrum ipsum eiusdemque operculum , atque huic admota manu tantisper moveri dignoscitur, ob defectum cohaesionis ex quo coementum rimulam ipsam non satis penetrasse ab initio, vel consumptum postea fuisse comperitur. Hinc pariter exquisivit an eiusmodi altaria execrata censenda sint?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente Secretario, auditaque sententia alterius' ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris , respondendum censuit :

Ad I. Affirmative, iuxta alias decreta.

Ad II. Negative et ad mentem : mens est ut Archiepiscopus privatim facta malta ex coemento prius iuxta Pontificale benedicto , cum eadem tutiori quo fieri potest modo rimulam, quae in aris portatilibus cernitur, inter sepulcrum reliquiarum eiusdemque operculum

impleat et operculum ipsum firmet. Atque ita respondit, declaravit ac rescripsit. Die 3 Septembris 1879.

BAIONEN.

R. D. Ioannes Antonius Solefranque Canonicus et Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Baionensis de consensu sui Rmi Episcopi Sacrae Rituum Congregationi quae sequuntur exposuit, ab eaque opportunam resolutionem humiliter expetivit, videlicet: Anno circiter 1847 Episcopus Baionensis quorumdam fidelium devotioni concessit expositionem SS. Sacramenti feria YI primae hebdomadae cuiuscumque mensis in honorem Sacri Cordis Iesu. Usque ad annum 1858 secundum consuetudinem ecclesiarum Galliae Missae celebrabantur et Communio distribuebatur ad altare ubi SS. Sacramentum erat expositum. Haec consuetudo suppressa fuit anno 1858 tamquam abusus decretis Sacrae Congregationis Rituum condemnatus, quando Ritus romanus assumptus fuerit pro Breviario et Missali in Dioecesi ; et abhinc decem et octo annis non celebrantur Missae et non dabatur Communio ad altare ubi expositio fiebat. Huic laudabili consuetudini simul et legi derogatum fuit facto Parochi Ecclesiae Cathedralis anno 1873.Quod aegre ferens Commissio liturgica dioecesana Decreta in memoriam revocavit, et statuit quod diebus quibus SSmum Sacramentum adorationi fidelium exponeretur Missa non celebraretur ad altare exposé tionis. Sacra vero Pyxis poneretur in altari proximo in tabernaculo portatili et ibi daretur communio. Huic decisioni restitit Parochus, et suo Vicario iussit sacram Pyxidem referre ad altare ubi SS. Sacramentum erat expositum, ibique celebravit et communionem distribuit. Hinc exorta est lis : Parochus praetendit ad se pertinere custodiam SS. Sacramenti, et Magistrum Caeremoniarum nullam habere auctoritatem in Cathedrali extra caeremonias et functiones mere Capitulares. Hinc quaeritur :

1. Utrum Magister Caeremoniarum agens iuxta decisionem Commissionis liturgicae, cui praeerat Vicarius Generalis, et mandans celebrationem Missae et Communionis distributionem extra altare ubi SS. Sacramentum erat expositum, sua excesserit et Parochi iura usurpaverit?

2. Utrum custodia et cura venerationis SSmi in Ecclesia Cathedrali pertineat iure ad Parochum vel ad Capitulum?

3. Utrum Parochus resistendo mandatis et ordinationi Magistri Caeremoniarum et celebrando in altari expositionis et ibi distribuendo Communionem male egerit et violaverit auctoritatem legitimam et regulas Ecclesiae?

4. Utrum in Ecclesia Cathedra-

Ii, quae simul est Parochialis, functiones cultus divini uti Expositiones et Benedictiones SSmi spectent ad Capitulum vel ad Parochum?

5. Utrum Magister Caeremoniarum Cathedralis ius habeat et oblir gationem, ut regulae liturgicae observentur etiam extra Chorum in Exequiis et in administratione Baptismi et Matrimonii et omnibus Parochialibus functionibus?

6. Utrum officia de quibus agitur in Caeremoniali Benedicti XIII cum cantu persolvi possint iuxta praxim communem in minoribus Ecclesiis? et quatenus affirmative;

7. Utrum in Missa cantata a celebrante absque ministris sacris, *Passio* Domini legi possit usque ad *Munda cor* et cantari pars , quae sequitur *Munda cor;* vel tota cantari in tono Evangelii ; vel etiam duae partes, scilicet, narrationis et sinagogae cantari a laicis, et verba Iesus Christi a celebrante, uti olim consuetum erat in pluribus locis nostrae Galliae?

Sacra porro Rituum Congregatio, exquisito voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem subscripti Secretarii, omnibus rite perpensis, sic rescribere rata est:

Ad I. Negative, seu Magister Caeremoniarum in casu optime se gessit.

Ad II. Etsi cura et custodia SSmi Sacramenti pertineat ad Parochum iuxta consuetudinem Ecclesiarum, attamen Capitulum invigilet, ut res sacrae rite expleantur.

Ad III. Affirmative.

Ad IV. Functiones in ecclesia Cathedrali, quae simul est Parochialis, spectant ad Capitulum, excepta tamen Sacramentorum administratione.

Ad V. Affirmative.

Ad VI. et VII. Negative. Atque ita rescripsit, declaravit ac servari mandavit. Die 13 Septembris 1879.

CELSONEN.

Vicarius Capitularis Gelsonensis, Sede illa Episcopali vacante, a Sacra Rituum Congregatione resolutionem insequentis Dubii suppliciter expostulavit, nimirum:

Quum Decreto eiusdem Sacrae Rituum Congregationis die 14 Augusti 1858 statuatur, non licere Missam pro Sponso et Sponsa et benedictionem eorumdem differre ad diem proxime sequentem , vel in aliam multo remotiorem, quum coniuges, ante benedictionem in templo suscipiendam, in eadem domo cohabitent ; attenta consuetudine huius aliarumque Dioecesium a tempore immemorabili existente celebrandi postea dictam Missam cum benedictione, semper ac ob aliquam causam in die nuptiarum celebrari nequiverit, quaeritur an sit talis consuetudo toleranda vel potius inhibenda?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente infrascripto Secreta-

rio, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, nec non Rmi Assessoris ipsius Sacrae Congregationis, sic rescribere rata est :

Assertam immemorabilem consuetudinem tolerari posse, dummodo rationabilis causa intercedat, ac tempore intermedio coniuges simul non cohabitent. Attamen Rmus Ordinarius nubentes opportune moneat ut, quoad fieri possit, in Ecclesia matrimonium contrahant. Atque ita rescripsit. Die 27 Septembris 1879.

ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI CONVENTUALIUM

Quum Fratres Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium praecepto Regulae et Urbanarum Constitutionum teneantur divinum Officium facere secundum ordinem Sanctae Romanae Ecclesiae ; hodiernus Superior Conventus S. Antonii Patavini Ordinis Minorum Conventualium Bruxellis, insequentia Dubia enodanda Sacrae Rituum Congregationi humillime subiecit, nimirum:

Dubium I. An Fratres Minores praecepto Chori satisfaciant Officium divinum recitando in Oratorio privato Conventus ab Ecclesia separato? quod si negative;

Dubium II. An praecepto Chori satisfaciant, Officium divinum recitando in Oratorio privato Conventus quod aperto muro vel accessu Ecclesiae iungitur?

Dubium III. An Superior localis dispensare possit, et eius arbitrio ex causa, veluti ob nimium frigus, seu calorem, per aliquot menses Officium divinum recitari extra Ecclesiam in Oratorio Conventus vel Sacristia?

Sacra porro Rituum Congregatio, exquisito voto ex alterius Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem subscripti Secretarii, propositis Dubiis rite perpensis sic rescribere rata est :

Ad 1. Negative.

Ad II. Affirmative iuxta modum, nimirum: Ad Rmum Episcopum qui tamquam Apostolicae Sedis Delegatus visitet locum, et videat an sit decens et cum Ecclesia communicet.

Ad III. Provisum in secundo. Atque ita rescripsit et decrevit. Die 12 Decembris 1879.

MEXICANA.

Exposuit Rmus D. Pelagius Antonius Lavastidas y Davalos Archiepiscopus Mexicanus Sacrae Rituum Congregationi in Metropolitana Ecclesia Mexicana plurimis abhinc annis celebrari consuevisse die 31 Augusti Anniversarium solemne eiusdem Dedicationis, potiusquam illud suae Consecrationis, quae accidit anno 1850 : hinc ab eadem Sacra Congregatione humiliter exquisivit :

I. An eiusmodi consuetudo servari licite possit, aut celebrari omnino debeat Anniversarium Consecrationis in diem 14 Augusti incidens ?

II. An uno eodemque die utrumque Anniversarium recoli valeat assignando ad hoc diem 31 Augusti ?

Sacra vero Rituum Congregatio, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem infrascripti Secretarii hisce postulatis sic rescribere rata est :

Unicum tantum Officium faciendum ; et quoad diem, provisum in Kalendario ab eadem Sacra Congregatione approbato anno 1873. Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 8 Ianuarii 1880.

TARRACONEN.

Rmus D. Benedictus Vilamiltaiana y Viia Archiepiscopus Tarraconen. insequentia Dubia Sacrae Rituum Congregationi declaranda humiliter proposuit, nimirum:

Dubium I. In una Urgellen, diei 22 Aprilis 1871 ad V. Dubium declaratum fuit : *Gloria* et *Credo* non alternatim a celebrante et ministris recitari debere, sed totum ab omnibus esse dicendum non praeveniendi) aut sequendo , ast concomitantes Quaeritur 1. utrum quum circuli apud Episcopum Missae solemni paratum, vel cum cappa interessentem fiunt, *Gloria* et *Credo* recitari debeant ut supra vel alternatim? 2. et rursum si alternatim, an ab Episcopo et Canonicis simul omnibus circulum facientibus ; an vero ab Episcopo, et duobus Canonicis proxime adstantibus, et a ceteris Canonicis binis et binis intra se? 3. utrum tam in circulis, quam in altari *Sanctus* et *Agnus Dei* alternatim dici debeant, an dicenda sint ubique ab omnibus?

Dubium II. In una Erien. diei 20 Augusti 1870 declaratum fuit non posse Episcopum Missam pontificalem cum solis Diacono, et Subdiacono, omissis aliis Ministris celebrare. Quaeritur an celebrare possit Missam solemnem cum Diacono et Subdiacono ritu sacerdotali ? Item an possit peragere more sacerdotali functiones sacerdotales, saltem aliquas v. g. Ecclesiam benedicere, aut consecrare, aut omnino abstinere?

Sacra porro Rituum Congregatio referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, atque exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris , sic declarandum censuit :

Ad I. Quoad primam partem, decretum servandum ut supra in Urgellen. : quoad secundam et tertiam partem, provisum in prima.

Ad IL Negative in omnibus. Atque ita declaravit, ac servari mandavit. Die 7. Ianuarii 1880.

TALVEN. ET SULMONEN.

Rmus D. Tobias Patroni Episcopus Vaivén, et Sulmonen. ad omnem conscientiae suae anxietatem in recitatione Divini Officii removendam a Sacra Rituum Congregatione insequentis Dubii solutionem enixe postulavit, nimirum :

in Cathedrali Ecclesia Sancti Pamphili Sulmonae recitantur Officia omnium Sanctorum Sanctae Romanae Ecclesiae Summorum Pontificum quod non fit in Cathedrali Vaivén., neque in Dioeceseos Ecclesiis. Quum vero Episcopus Orator habitualiter resideat Sulmonae potest ne se conformare Kalendario Cathedralis Sulmonensis? Et Sacra Rituum Congregatio referente infrascripto Secretario rescripsit: Episcopus utatur iure suo. Die 17 Ianuarii 1880.

LITTERAE Sanctissimi D. N. Leonis XIII ad Episcopum Cremonae (i).

LEO PP. XIII

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Libentes intelleximus, id quod te facere aequum erat, nec dubitabamus facturum, summa te voluntate potestatis legitimae decreto paruisse, iudicioque Nostro recentem illam lucubrationem tuam teque ipsum subiaisisse cum obsequii reverentiaeque testificatione debita. Qua in re eminuit profecto virtutis exemplum, nominatim in Episcopo laudandum : idque etiam insignius, quia maxima populi corona libere editum. De illa vulgo cognita modestia Fenelonii nondum fama conticuit : quo ipso confirmatur, non tam esse miserum aliqua in re opinione delinquere, quam deliquisse fateri gloriosum. —Habes igitur, venerabilis frater, in ipsa facti conscientia praecipuum fructum consolationis : quamquam videri tibi iucunda ac perhonorifica debet etiam approbatio hominum sapienter iudicantium. Horum erga te voluntas illam quoque animi molestiam facile absterserit, quam debes ex eorum clamore plausuque cepisse, qui tua illa scriptura in suffragium caussae suae avidius abutuntur. — Ceterum intelligis quanti sit videre diligenter, ne caussa romani pontificatus in angustiorem campum disceptando cogatur. Videlicet oportet in negotio tam gravi non iudicium ex eventis rerum mutabilibus iacere, sed repetere altius rationes, serioque perpendere quid iustitia postulet, quid Sedi Apostolicae ad divinum munus suum desideretur. — Quod enim saepe diximus saepiusque est dicendum , in civili principatu non humana quaedam res, sed libertas vertitur officiorum apostolicorum ac iurium : quae libertas alienae obnoxia esse potestati arbitrioque non debet. Idcirco decessores Nostri omnes incolumitatem tueri principatus sui omni contentione studioque conati sunt, Nosque ipsi conamur vindicare perseverantia pari , quantarum rerum contineat ille praesidium, aestimantes. Hoc iudicio dirigenda opinio est: hoc idem accurate animis inculcandum, praesertim cum

(1) Retulimus hoc Volumine pag. 520 alias litteras SSmi Patris ad Episcopum Brixiensem, quibus dolebat de Opusculo - *Roma e Vitalia, e la realtà delle cose* **-. Nunc libenter in lucem damus praesentes Litteras , missas a SSmo Patre ad Episcopum Cremonae ; qui, illius opusculi auctorem se manifestans, illud retracta vit, atque ex animo, ut credere placet, sese subiecit condemnationi huius libelli a S. C. Indicis peractae.**

apud multos, cetera laudabiles liberiorum sententiarum plus aequo creverit favor. — Te interim paternae caritatis sinu complectimur, constanterque fore ut ipse benevolentiae Nostrae voluntate mutua tuorumque vicissitudine officiorum respondeas, certo scimus. Divinorum vero munerum auspicem, animique in te Nostri testem accipe Apostolicam benedictionem, quam tibi peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 19 Aprilis Anno 1889, Pontificatus Nostri duodecimo.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

LEGIONEN.

DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE

Die lo Decembrn 188.8.

COMPENDIUM FACTI. Aurelius Soto y Rosa, Dioecesis legionensis et eiusdem seminarii alumnus, exponit, se « divina misericordiae gratia vocationem ad sacerdotium sentire, paratumque iam ecclesiasticis studiis esse, ut ad sacros ordines suscipiendos pervenire possit. Huic tamen opponi videtur brachii ac manus dexterae irregularitas quaedam; talis vero, ut non gravis appareat. Potest enim absque visibili irregularitate hostiam et calicem elevare, illam dividere, et alia huiusmodi facere; solum manus motus ad crucis signum faciendum, tum supra se, tum supra calicem, aliquantulum irregularis est, cum ipsa non recta appareat, sed ad sinistrum latus semper sit inclinata, et digiti parum virtutis habeant.

Quibus expositis, ad B. V. pedes accedit , oratque ut, pro gratia, huius defectus dispensationem concedere B. V. dignetur.

Episcopus omnia haec vera esse dicit. Caeremoniarum autem magister qui de mandato S. C. C. examini Aurelium subiecit, hanc dedit iuratam attestationem:

« 1. Aurelium supradictum minime habere posse manum recta positione, quae libere relicta statim decidit, cum brachio fere angulum rectum formans. »

« 2. Observatione praedicta, impossibile esse illi cruces iuxta rubricas agere manu recta, digitorum extremis versus crucis imaginem et palma versus evangelium: enim vero ille digitorum extremis versus evangelium et palma versus pectus cruces facit. »

« 3. Brachiali infirmitate, debilitate aut confractione admissa, vel alia quacumque ex causa, in praesens videtur mihi vim habere in digitis suis, quamvis difficulter ad parvas hostias e patena accipiendas et in ss. comunionis administratione habere. »

« 4. Supradictum Aurelium, quamvis irregulariter calicem accipiat in elevatione, sinistra manu pedem sustentante, illum rectum elevare. »

« 5. Facientem cum calice crucem ante sumptionem, non vidi pro loco et instanti in periculo effusionis specierum stetisse. »

« 6. In elevationibus et manuum extensionibus, dextera semper declinata manet, adeo ut uniformitas a rubricis praecepta impossibilis fiat. •»

« 7. In sacramentorum administratione, relate ad unctionem nullam ad uagendum invenire difficultatem, apprime dextero pollice cruces facientem. »

Disceptatio Synoptica

DISPENSATIO DENEGANDA VIDETUR. EX pluribus iuris locis irregulares declarantur, qui membrum aliquod, praesertim si ad missae sacrificium necessarium, ita debilem habeant ut ad sacras functiones exequendas impar sit, vel nonnisi magna cum indecentia vel adstantium horrore. Ita Reiffenstuel ad *tit. 20 I. 1 Decret, n. 9 :* « Ubi vitium corporis est tale,

ut vel impediat congruum exercitium ordinis ac praesertim celebrationem missae, vel saltem notabilem deformitatem causet; tunc illud inducit irregularitatem et prohibet quempiam ordinari. Et Ligorius ***Op. Mor. I. 7 n. 404*** haec habet : ex duplici capite eruitur irregularitas ex vitio corporis, vel quia impedit congruum exercitium ordinis, vel quia affert notabilem indecenti a m vel horrorem. Ita comuniter DD. cum D. Thoma ***Suppl. 39 n. 6.*** » Idipsum sentit Richter ad ***tit. 20 I. 1 Decr. num. 1,*** aliique passim.

At in casu brachium dexteraque manus imparia sunt ad officium suum exequendum; siquidem impossibile est quod manus recta maneat, sed semper aliquantulum inclinata natura sua decidit; unde orator cruces debito modo efformare non valet, nec calicem, absque difficultate, elevare, neque sacram synaxin sumere et dispensare.

Quae quidem Omnia tum in se parum sunt decora, tum relate ad ecclesiasticas leges, haud certe decent. Indecens enim est leges violari, maxime in casu, cum rubricae praescriptae in missae celebratione sint verae leges praeceptivae; Benedictus XIV ***De sac. miss. s. 11 § 102.***

DISPENSATIO INDULGENDA VIDETUR. Verum ex altera parte notandum est hic agi de levi violatione vel inobservantia; et quae nullam aut vix aliquam producere potest in adstantibus admirationem. Populus enim non videt modum efformandi cruces, accipiendi calicem; et si videt, certe quum agatur de levi defectu, non advertit.

Inclinatio autem manus eiusque debilitas licet pateat et corporis imperfectionem secum ferat; tamen non videtur omnino probrosa, nec talis quae horrorem aut aversionem in fidelium animis iniiciat.

Praetereo post haec S. C. C. praxim, quippe quia iuxta diversa temporum ac locorum circumstantias varia semper fuit: siquidem non semel S. C. O. data nedum aequali, sed etiam maiori manus dexterae imperfectione, dispensationis gratiam promovendis ad sacros ordines concessit, ut in ***Pamjoilonenen. 31 Martii 1860;*** at non raro in casibus vel be-

riignioribus denegavit indultum, ceu contigit in ***Patavina 27 Aprilis 1861;*** in qua clericus Marini aliunde sanus et integer, tantummodo tribus digitis, iisque non necessariis, medio nempe anulari et extremo, carebat et tamen gratiam non obtinuit, itemque in ***Policastren. 21 Martii 1863.***

In his enim gratiis concedendis, praeter intrinsecam defectus naturam, plurimum semper meritoque attendisse S. C. Conc. videtur necessitati loci et Ordinarii commendationi.

Verum si etiam in praesenti casu prae oculis habendum •sit hoc criterium, iam deesse videtur cuiusve iudicii elementum. Episcopus enim de suae ecclesiae necessitate alte silet; imo nec preces commendat, sed eas tantummodo hoc testimonio obsignat : ***Vera sunt expósita.***

Quibus animadversis quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. O. re cognita, sub die 15 Decembris 1888, censuit respondere: ***Non expedire.***

COSENTINA

ABSOLUTIONIS

Die 15 Septembris 1888.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Cusentinus Archiepiscopus ad S. C. C. referebat, parochum ss. Stephani, Laurentii, et Caietani teneri ad annuam matrimonii dotem solvendam favore puellarum loci ***Lanrignano.*** At ab anno 1856, quo beneficium obtinuit, usque in praesens ab hac contributione abstinuisse eo quod non censuerit ad hoc obligari. Verum elapso anno 1886, documenta in archivio parochiali perscrutans cognovit, se ad dotem solvendam prorsus teneri. Sed dum spondet in posterum se obligationem suam esse rite obiturum, exponit, se haud valere de praeteritis satisfacere adeoque de his absolutionem exquirere. Archiepiscopus autem notat, hunc

parochum adeo misere vivere, ut ob hanc causam commendationem a Curia archiepiscopali apud SSmum iam obtinuerit pro reductione missarum suo benefìcio inhaerentium. Qua de causa Archiepiscopus obtestatur ac orat, ut huiusmodi parochi preces benigno favore excipiantur.

Rogatus autem idem Praesul « utrum oppositio oriri possit ex parte puellarum interesse habentium » respondit, nullam exurgere posse oppositionem; primum quia agitur de familiis agrestibus docilissimis; secondo quia, post 24 annos huius facti memoria omnino evanuit ; proinde si ius hoc iterum renasceretur, de statu praesenti gauderent, praeteritum oblitae tempus.

Hisce in facto relatis, in iure vix praestat aliquid adiungere. Absolutiones enim, praesertim in hisce causis pietatem et moralitatem respicientibus, ac iura tertiis quaesita arfîcientibus odiosae sunt, nec sine gravi causa iustitia vindice concedendae : ast utrum hanc gravem causam praestet bona parochi fides, parochialis beneficii paupertas, impossibilitas actu universa omissa solvendi, populi interesse habentis acquiescent seu silentium, remissum fuit iudicio EE. Patrum.

Quibus praenotatis, quaesitum est quomodo preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. S aera Congr. Concilii, re visa, sub die 15 Septembris 1888 censuit respondere:

Pro gratia absolutionis quoad praeteritum.

DIVIONEN.

QUOAD BINATIONEM

Die 18 Ianuarii 1889.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Sacerdos Heron supplicibus litteris haec referebat, nimirum : « quum sit parochus ecclesiae vulgo dictae St. Seine l'Abbaye, alteram adhuc parochiam , cui

nomen Vaux-Saules, sat longo et aspero itinere distan tem, suscepit pascendam. Quod quidem onus libentissime accepit, quia secus, attenta sacerdotum in Dioecesi divionensi penuria, proprio caruissent pastore Vaux-Saulenses. Duabus paroeciis autem praefectus, duplex onus habet pro missis populo applicandis. »

« Vi quidem indulti RR. DD. Episcopo Divionensi die IV Aprilis 1887 concessi, una satisfacit missa obligationi sacrifìci um offerendi pro populo, praeterquam diebus pro quibus existit^ facultas binandi. — Ast saepe saepius accidit ut in parochia St. Seine l'Abbaye alter sacerdos transitorio modo degat ; unde parochus, sive diebus dominicis, sive diebus festis, amissa facultate binandi ob alterius sacerdotis praesentiam, obligationem habet alteram adhuc missam pro paroecia ubi non celebrat applicandi. — Ex altera parte, quum parochia Vaux-Saules tribus constet viculis inter se et ab ecclesia sat longe distantibus, missis quae celebrantur diebus festis ad devotionem, ut dicitur in Gallia, non fit nisi minimus populi concursus. Unde praefatus orator, sive ob nimiam defatigationem, sive ob defectum populi assistentis, abstinet, hisce diebus, iterum celebrare, quod quidem haud absonum videtur iuri aut praxi Ecclesiae Romanae. In hoc tamen casu, quemadmodum et in primo, remanet adhuc obligatio missam applicandi pro altera paroecia. »

« Quapropter, haud immemor encycl, litt. s. m. Pii IX ***Amantissimi,*** ubi - ***Cum nos minime lateat peculiares casus configere posse, in quibus pro re et tempore aliqua huius obligationis remissio parocho sit tribuenda,*** - praedictus sacerdos Divionensis humillime postulat, ut Sanctitas Vestra dignetur ei concedere facultatem duplici oneri per unam tantum missam satisfaciendi, quotiescumque, stante hac vel illa quacumque causa, diebus dominicis et festis, unam tantum missam celebrabit. »

Ordinarius autem Divionensis has preces transmittebat ita subsignando : ***Visum ac commendatum.***

Disceptatio Synoptica.

Parochus itaque, duplici paroeciae praepositus, dispensationem petit ab applicatione unius missae pro populo, in speciali casu, quando secundam missam non celebrat, sive ob casualem praesentiam alterius sacerdotis in alterutra paroecia, sive in festis suppressis in quibus minus est populi concursus et ideo se abstinet ab iterando sacro.

In ***Luem. Applic. missae pro populo*** proposito dubio « an parochi duabus ecclesiis parochialibus praepositis teneantur dominicis aliisque festis diebus missam in unaquaque ecclesia sive per se, sive per alium applicare in casu » S. O. C. die 12 Martii 1774 respondit: « Affirmative, exceptis tantum parochiis unitis unione plenaria et extinctiva. » Quae praescriptio a S. C. C. passim constanterque servata, legem omnibus facit.

Quin noceat Benedictum XIV const. ***Cum semper oblatas*** nullum verbum facere de onere applicationis in diversis paroeciis uni parocho commissis; quandoquidem ipsa recta ratio id dictat, quod S. O. C. retinet, nempe unamquamque paroeciam sicut peculiaria emolumenta tribuit rectori, sic et propria iura habere ; adeoque qui eius curam suscipit et temporalia metit, spiritualia, et inter spiritualia missae quoque applicationem, vicissim rependere debet. Qui autem duabus praeficitur paroeciis, duplex emolumentum lucratur. Adeoque absolute loquendo et iuxta legis rigorem, petita dispensatio ab applicatione missae pro populo concedenda non esset.

Verum ordinarie in Gallus parochus pro labore quem impendit pro secunda paroecia 400 libellas aut parvum simile lucrum obtinet. Insuper licet duae huiusmodi paroeciae extinctae et plenarie non sint, saltem de iure, unitae; tamen de facto earum unio parum dissimilis est.

Quibus animadversis, quaesitum fuit quomodo essent dimittendae oratoris preces.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re cognita, sub die 19 Ianuarii 1889 censuit respondere: ***Quoad dies dominicos aliosque***

Festos de praecepto, in quibus alter sacerdos fortuito degit in Paroecia Seme l'Abbaye, qui nolit aut nequeat ob eleemosynae congruae defectum in altera paroecia celebrare, licere parocho pro hac Paroecia sacrum iterare; quo vero ad dies festos suppressus non licere sacrum iterare ac proinde provisum per rescriptum diei 4 Aprilis 1887.

ORITANA

PROCESSIONIS

Die 19 Ianuarii 1889.

Sess. 21 cap. 3 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Ab antiquis usque temporibus feria VI in ***parasceve*** Manduriae in oritana Dioecesi supplicatio fieri solet in memoriam passionis ac mortis Domini. Vespertinis horis in collegiata, huius loci ecclesia, una cum capitulo congregantur duo sodalitia Mortis et SSmi Sacramenti ac frequens fidelium plebs ; et post auditam sacram concionem huius diei propriam, ordinatur processio per oppidum hoc ordine: primum incedit sodalitium SSmi Sacramenti, sequitur archisodalitas Mortis et dein clerus: ex archisodalitio Mortis nonnulli deferunt statuam Virginis perdolentis: quidam vero sodales a SSmo Sacramento simulacrum defuncti Salvatoris ultimo loco, ***dietro la processione*** - prout legitur in supplici libello huius confraternitatis, deferunt.

Porro duo haec sodalitia se mutuo impetunt, sibique singula vindicant quemdam principatum in hac sacra supplicatione ducenda. At statim dicam pacificum inter partes esse a remota aetate usque ad annum 1769, ipsum Collegiatae capitulum omnia quae ad sacram functionem spectant, per se et absolute ordinasse. Exinde vero in ius capituli, per cessiones conventionesque rite peractas, se successisse contendit archisodalitium Mortis, et in pacifica versari eius iuris possessione sustinet. At in se potius huiusmodi ius esse trans-

fusum suumque etiam de facto esse, mavult confraternitas SSmi Sacramenti.

Haec quaestio paucos ante annos nascebatur, statimque ab archisodalitio Mortis iudicanda deferebatur ad Episcopum auxiliarem, dum Manduriae in s. Visitatione versabatur. Qui tamen, attento statu animorum, censuit rem in sacra Visitatione non esse definiendam, sed pleniori ac maturiori iudicio esse servandam, adeoque utrumque sodalitium monuit, ut in scriptis momenta sua ad oritanam Curiam transmitteret, ut ibi res ageretur.

Sodalitia iussa fecerunt. Et auxiliaris Episcopus, perpensis utriusque partis libellis, antequam ad sententiam deveniret, rogandum quoque censuit Capitulum Manduriense, quippe quod in hac sacra functione pars magna videbatur. In sua ecclesia enim supplicatio fiebat, et olim unicus erat eius celebrationis promotor et director, et hodie, nonnisi coadiutorias seu vicarias eius partes agere, sodalitia dicebant.

Capitulum rite congregatum censuit magis reales et magis esse consentaneas factorum veritati traditionibusque maiorum rationes adductas ab Archisodalitio Mortis ; ideoque recognovit praerogativam, quam Sodalitium mortis exercuit ab immemorabili super ordinationem festi feriae VI in parasceve de sero independenter a Sodalitio SSmi. Sacramenti; sed dependenter a dispositione Capituli quoad idem festum. Idque retinuit Capitulum innixum documentis a Sodalitio Mortis exhibitis, et istius festi saeculari consuetudini. Eadem ductum norma Capitulum admisit etiam favore sodalitii SSmi Sacramenti antiquam concessionem gestandi sacrum cadaver, quatenus Capitulum non praeferat id facere per seipsum.

Habito Capituli voto, Episcopus maturius universum negotium consideravit, ac demum die 5 Martii sequentis anni 1887 sententiam tulit, in qua post plura considerata ita concludebat : his de considerationibus Curia manutenendo sarta tectaque omnia iura Capituli manduriensis quoad dictam processionem, declarat spectare ad Sodalitium Orationis

et Mortis directionem processionis in die VI parasceve , et vetat quamlibet aliam innovationem, salvo onere expetendi a Curia ipsa debitas facultates.

Licet haec sententia parum arrideret sodalitio a SSmo Sacramento, nihilominus eius Rector canonicus Stano acquiescendum ducebat. At sodales in conventu diei 25 Martii 1887 contra votum sui Rectoris provocandum censuerunt ad superius tribunal; qua de causa canonicus Stanò a munere suo abdicavit. Die autem 31 Martii sodalitii Prior appellationem interposuit.

At Episcopus ob lapsum fatalium provocationem reiiciendam censuit decreto diei 5 Aprilis ; unde sodalitium ad S. Sedem recurrit postulans, ut universa acta iudicii oritani propter defectus tum substantiae, tum formae cassentur, aut sin minus laesum sodalitium restituatur et sententia data abrogetur.

Disceptatio Synoptica

IURA SODALITII A SSMO SACRAMENTO. Qui partes agit sodalitii a SSmo Sacramento nuncium in primis mittit quaestioni quae in primo dubio proponitur quoad circumscriptionem actorum. Etenim ait, licet certum sit libellum litis introductivum fuisse praetermissum, et nullum a Confraternitate mandatum ad litem Rectori Stano datum fuisse, ac proin ex dispositione §. ***779, 780 Codicis Gregoriani,*** cum uterque ille defectus substantialis sit, sequatur sententiam Curiae oritanae nullam esse declarandam; nihilominus cum huiusmodi sententiae nullitas nonnisi die 16 Septembris in medium prolata sit, postquam die 31 praecedentis Martii contra ipsam sententiam appellatum erat, et per hoc videretur recognita, attentis pp. ***784*** et ***787*** eiusdem Codicis, iam actorum circumscriptionem non posse urgeri concedit.

Ast ortam haud esse rem iudicatam contendit, eo quod notificatio sententiae fuit facta uni Vincentio Stano, qua Confraternitatis rectori et procuratori, minime vero ipsius Confraternitatis Praesuli, contra ac praecipit p. ***611*** Codicis

Gregoriani: « La copia autentica della sentenza in forma esecutiva sarà notificata per intiero al procuratore dell'altra parte quando lo abbia costituito, abbenchè sia stato presente alla pronuncia della sentenza: ***sarà egualmente notificata alla stessa parte.*** » (1) Ob quem defectum fatalia, ad appellandum numquam cessisse dicenda sunt, ac utilem prorsus fuisse appellationem die 31 Martii interpositam , et consequenter rem iudicatam nullimode oriri potuisse.

Quin urgeatur ab ipso auxiliari Episcopo appellationem fuisse reiectam; nam ita disponit p. ***996*** Codicis Gregoriani: « ***Se nasce disputa sulla inappellabilità della sentenza, sarà decisa preliminarmente dai tribunali di seconda istanza, nella forma prescritta per le dimande incidentali.*** » (2) Quapropter nullo legitimo iure fruebatur oritana Curia ad repellendum appellationis libellum, sed illum ad iudicem secundi gradus remittere debuisset.

Remoto itaque rei iudicatae obstáculo, cum controversia in merito iudicanda veniat, iam patronus plura cumulat ut bonum ius sodalitatis a SSmo Sacramento adstruat. Atque in primis proponit impensas, quas quotannis sodalitas sustinet pro processione, ac stipes quas pro eadem singulis annis coegit. Concipi enim non potest, sodalitium haec fecisse et haec expendisse pro re, ad quam nullum ius habet.

Quin obiiciatur, Confraternitatem SSmi Sacramenti vi propriorum statutorum debere auxilium ferre parocho in omnibus functionibus, et pro his expensas ferre ; nam cum a remotissimis temporibus, ipsa fatente Curiae Oritanae sententia, processio non a Parocho, sed a Capitulo Ecclesiae Collegiatae iugiter facta sit, hinc invocatus. titulus, ex quo explicari liberalitas sodalitii SSmi Sacramenti praesumitur, prorsus deficere videtur.

(1) Latine vero - Authenticum exemplar sententiae in forma executiva notificabitur per integrum procuratori alterius partis, quatenus constitus fuerit, etsi praesens fuerit pronunciatum sententiae; parique molo notificabitur ipsi parti.

(2) Latine vero - Si enascatur quaestio an a Sententia appellari queat, resoivetur prius a Tribunalibus secundae instantiae in forma praescripta quoad petitiones incidentales.

Accedit quod haec Confraternitas ius faciendi processionem centum et ultra annos retinuerit. Porro neminem latet quanta sit centenariae consuetudinis vis, iuxta Rotam in ***Neapolitana seu Beneventana Pecuniaria 15 Martii 1819 coram Martinez dei Campo p. 5,*** itemque in ***Nepesina, Iuris restringendi 29 Ianuarii 1821 coram Serlupip. 10.*** etc.

Imo hoc ius ipsa auctoritas civilis agnovit, ut evincitur testimonio Sacerdotis Xaverii Polverino. Idque demum firmatur ex praesumptione ex hac ipsa circumstantia exsurgente, quod nempe sodalitas a SSmo Sacramento in ipsa Ecclesia Collegiata exstet, dum Confraternitas Orationis est prorsus extranea.

Quod vero asserit altera pars, nempe processionis ius ad se pertinere eo quia processionis sumptus sustinuit, facile diluitur, nam, iuxta adversae partis patronum, Confraternitas Orationis et Mortis hos sumptus tantum ab anno 1860 sustinuit, et quidem solummodo in extraordinariis, nec seorsim, sed una simul cum Confraternitate SS. Sacramenti. Idque probatur testimonio plurium incolarum.

Accedit quod, ipsa fatente Ori tana sententia, ab anno 1827 ad annum 1860, Confraternitas Orationis et Mortis nullas impensas pro supplicatione obivit ; ius ergo ipsum praescriptum fuit, iuxta Rotam in ***decis. 265, n. 5, decis. 315, n. 47, decis. 383, n. 16, part. 4, tom. 2 rec.***

Nec subsumi potest capitulum suum ius circa processionis ordinationem archisodalitio Mortis cessisse, quippe quia ex singulis actis Capitularibus, in medium prolatis, apparet Capitulum huic Sodalitio solummodo concessisse facultatem supplicationi interessendi. Quod iterum fatetur ipsa ori tana sententia. Nullo itaque pacto, iuxta patronum, evincitur quod mortis Archisodalitium cessionarium capituli iuris evaserit.

IURA SODALITII ORATIONIS ET MORTIS. Vicissim vero Archisodalitii Orationis ac Mortis patronus tuetur in primis validitatem actorum. Et ad hunc effectum commemorat, re

ad Ordinarium delata hac vel illa ratione, quod non refert, utrumque sodalitium compulsum fuisse, ut suas rationes proferret et utrumque momenta quae habebat protulisse, Episcopum omnia rite perpendisse, ipsumque capitulum rogavisse, ac demum non festinanter, sed post maturum iudicium sententiam dedisse.

Obiicit sodalitas a SSmo Sacramento, se non fuisse rite citatam. At respondet adversi sodalitii patronus, quod dato et non concesso quod id contigerit, citationis vitium fuisse per aequipollentia acta satis superque purgatum et remissum. Docet namque De Luca *De benef. disc. 50 n. 6* quod « citato comparente, omnis defectus citationis sanatur. » Et clarius *De i ad. disc. 9 n. 46* idem auctor haec habet: « Cum citationis finis sit partis citandae scientia et evocatio, idcirco eiusdem partis comparitio seu alias agnita citationis executio omnem supplet defectum. » Et iterum in *disccp. 32 num. 24 :* « Unde propterea______citationis defectus sive stetit in substantia sive in modo, sanatur per comparitionem partis cum impleatur finis vel effectus ad quem per legem est requisita. » Ita et Ursaya cum aliis DD. passim, quibus tamen brevitatis ergo omissis, sit demum ipsa Gregoriana lex quae in p. ***784*** disponit ita: « E rimesso o sanato il difetto di citazione, I° se la parte non citata comparisce in giudizio e deduce le sue ragioni o difese sul merito senza allegare la nullità ; 2°. se la parte stessa non citata interpone appello senza accusare di nullità la sentenza appellata. > (1) Atqui, prosequitur patronus, utrumque in themate habetur, nam confraternitas a SSmo Sacramento et in iudicio primae istantiae stetit suas rationes et monumenta proferens, et a sententia tunc lata appellavit, quin impeteret acta. Ideoque in hoc puncto a iudicii limine repellenda statim videtur.

(1) Latine vero - Remissus vel sanatus est defectus citationis: I°. Si pars non citata comparet in iudicium, atque deducit proprias rationes aut defensiones in merito, quin alleget nullitatem. 2°. Si pars eadem non citata appellationem interponit, quin de nullitate accuset sententiam appellatam.

Nec excipienda in altero circa appellationis ius. Etenim archisodalitii patronus, commemorata solemni utriusque iuris sanctione quoad decendium utile ad appellandum, in memoriam revocat, sententiam primae instantiae latam fuisse die 9, et nonnisi die 31 eiusdem mensis per appellationem impugnatam, plures dies scilicet post lapsum fatalium.

Nec nocet quod oritana Curia irrite et invalide appellationis libellum ob natam rem iudicatam reiecerit, cum illum remittere potius debuisset ad superius tribunal. Quandoquidem ex invalido hoc facto non ideo aut antea data sententia subvertitur aut iura confraternitatis a SSmo Sacramento restituuntur. Quapropter esto quod nulliter atque incassum egerit oritana Curia; attamen « utile non debet per inutile vitiari » ex ***reg.*** *37* ***iur. in VI.*** Unde hoc non obstante res iudicata subsistere videtur.

Utrum vero restitutio in integrum adversus eam sit concedenda , necne , iuxta communem doctrinam quae exprimitur in p. *1057* et *1058* Gregoriani codicis, id pendet ex evidenti iustitiae laesione. Hoc autem minime contigisse, sed imo prorsus iuxta veritatem et iustitiam iudicatum fuisse, patronus contendit.

Quod ut probet in primis recolit oritanum iudicem hanc sibi quaestionem proposuisse, nimirum utri ex duobus Sodalitiis spectet dirigere et ordinare processionem feriae VI in parasceve de sero. At deinde, considerando quod ius faciendi dictam processionem proprium est Capituli, quodque a Capitulo cuilibet cedi potest; considerando quod Capitulum per suum votum recognovit in Sodalitio mortis tale ius ex argumentis exhibitis; considerando quod Sodalitium mortis, ex antiqua consuetudine, direxit eiusmodi processionem eiusque expensas substinuit; favore Archisodalitii Orationis et mortis conclusisse.

Et merito ; nam extra controversiam est ius de quo agitur ad collegiatae capitulum spectare: eius itaque est illud cui magis libet permittere.

Accedit quod in statutis sodalitatis ab Oratione et Morte

regio decreto anni 1716 probatis, sacra functio, de quo agitur, adscripta invenitur huic sodalitio.

Et infra ubi sermo est de sacris functionibus quae a sodalitio fiunt, inter alia recensetur processio feriae VI in Parasceve, de qua agimus.

Et reapse a superiori saeculo usque modo constat unum Mortis archisodalitium veniam petiisse et obtinuisse a capitulo pro supplicatione ducenda, ac deinde expensas ad id necessarias constanter obiisse, veluti fidem faciunt authentica acta excerpta ex tabulariis, quaeque in summariis relata sunt.

Sed praeter haec habetur pro archisodalitio solemnis et praecisa recognitio iuris ex parte auctoritatis civilis; quae eo maioris est momenti, quo antiquius est facta. Profertur enim epistolium ministri a secretis Status die 2 Martii 1839 signatum, in quo declaratur, permitti ut Manduriae locum habeat processio de sero feria VI in parasceve , peragenda a Sodalitio sub titulo Mortis.

Denique in archisodalitii favorem haec quoque circumstantia concurrit, quod nempe cum in ceteris supplicationibus sodalitas a SSmo Sacramento praecedat, in hac una quae fit feria VI in ***parasceve*** secundum tenet locum ; imo nec vexillum extollit; sed procedit immediate post crucem : dum archisodalitium subsequitur et nobiliorem occupat locum. Quod, iuxta patronum, signum evidens est quod in hac sacra functione archisodalitium primas agit partes, et confraternitas a SSmo Sacramento tantummodo qua accessoria intervenit. (1)

Quibus animdversis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. ***An sit locus circumscriptioni actorum in casu.***

Et quatenus negative.

II. ***An constet de reiudicata, seu potius de causis restitutionis in integrum.***

(1) Recolc Vol. II, 29G, Vol. XIII, 162, Vol. XVII, 114.

Et-quatenus negative ad primam partem, et affirmative ad secundam

III. ***An sententia sit confirmanda vel infirmanda in casu.***

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re discussa sub die 19 Ianuarii 1889, .censuit respondere: ***Ad I, IL et III, directionem et ordinationem supplicationis in casu spectare ad Capitulum, praevia licentia Episcopi.***

Ex QUIBUS COLLIGES. Per hanc resolutionem, rem revocatami fuisse ad suum principium naturale; ita ut, semotis simultatum et dissidiorum causis, amodo Capitulum aut immediate per se diriget dictam processionem aut mediate per Sodalitium quod praeferendum censuerit ex duobus.

AQUEN. SEU MASSILIEN.

MATRIMONII

Die 16 Februarii 1889.

Sess. 24 cap. 3 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Lazarina Massol d' André Massiliae nata, ubi eius parentes a pluribus annis domicilium habebant, adhuc trilustris patre orbata, cum a matre custodiri, et, ceu par erat, institui non posset, collocata est in religiosa domo S. Iosephi ***du Cobol,*** quae in agro Massiliensi nuper erecta erat.

Id contigit die 8 Aprilis 1865, et sexdecim annos nata tunc erat Lazarina. At paulo post, ac praecise die 15 Iunii 1865, e monasterio aut vi rapta, aut ex condicto fugiens, cum viro milite, barone Alphrido d'Outhoorn, ipso quoque cive massiliensi, Tolonam primum venit, unde cito secedens huc illuc una simul cum Alphrido peragravit, et nonnulla Italiae, Germaniae ac Helvetiae loca visitavit ; ac tandem perrexit Veveium ***(Vevey)*** in districtu Valesi Helvetiorum. Cum ibi aliquot dies ambo commorati essent, eoque, rogatus ab Alphrido, advenisset quoque Alphridi Vitri-

cus Petrus Marquet, actum est de religioso matrimonio ineundo. Quod quidem ex delegatione parochi Veveiensis celebratum fuit die 5 Octobris 1865 in proximo s. Mauritii oppido, ab eiusdem loci parocho, adstantibus Petro Marquet et sacramentalibus testibus. Ita sane habent codices ecclesiae s. Mauritii. Notatu autem obiter dignum est in oppido s. Mauritii caput ***Tametsi*** publicatum quidem esse, minime vero Veveii.

Exinde coniuges non in patriam, sed in Italiam venisse videntur, et Genuae commorati esse, usque dum Lazarina vigesimum primum aetatis annum attigit, idest maior aetate facta est. Tum vero in Galliam reversi, et cum duos filios iam suscepissent, consentiente tandem Lazarinae matre, quae usque tum restiterat, civiles nuptias inierunt; sed haud felix evasit vitae consortium. Imo post aliquot annos actum est de separatione, quae tamen tunc primum non contigit, sed serius, die nempe 17 Decembris 1884, lata per civilem iudicem pleni divortii sententia.

Exinde Lazarina Archiepiscopum aquensem Forcade, modo vita functum, adiit ; qui tamen ei significavit causam quam ipsa intentare volebat, Massiliae agi debere.

At Ordinarius massiliensis ab initio id recusavit. Et cum Lazarina ad S. Sedem confugisset deprecans ut introduceretur causa nullitatis sui matrimonii apud S, C. Congreg, ex ***capite raptus,*** et eventualiter iuxta ea quae ex actis colligi possint ex capite ***clandestinitatis impropriam;*** et in hunc finem iubeatur instructio processus , ad normam ss. canonum. S. C. C. ab utroque Praesule massiliensi et aquensi informationem et votum super hoc negotio exquisivit. Uterque respondit, primus Archiepiscopus, dein suffraganeus massiliensis.

Quibus acceptis, cum S. C. C. ex actis censuisset, Massiliensem Curiam haud videri pronam ad hunc istituendum processum eumdem fieri commisit Metropolitanae aquensi Curiae.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO MULIERIS. Porro mulieris patronus in primis ac in specie facti baronis et clientis suae indolem considerandam proponit. Illum enim religione carentem, practice atheum publiceque adulterum renunciat, uno verbo « ***Dei, presbyterorum et catholicae religionis contemptorem*** » ut habet archiepiscopalis Curia; talem imo quem ipsa eius consobrina condennare debuit, de quo ipse eius vitricus pessimum reddit testimonium.

Insuper eum esse amicitia plurima devinctum cum quodam Aloysio Bonifay, qui vicissim intimus est seniori ex Vicariis generalibus massiliensibus. Bonifay vero et familias Luce et Bernis, qui haereditati advocati Massol d'Andre inhiabant, et frustrati sunt a Lazarina, hanc Lazarinam adversari, calumniari, et ex hoc officialium massiliensis Curiae mentem praeoccupat. Et sic explicari infensum horum officialium animum in actricem; veluti cum patrono et metropolitana Curia considerat.

Vicissim vero Lazarina optimis dicitur ornata sinceritatis, honestatis et religionis dotibus, tum a monialibus quae eam aliquando alumnam habuerunt, tum a defuncto Archiepiscopo aquensi Forcade, tum ab actuali illius Metropolis Antistite, et a lausanensi Episcopo, nec non et ab omnibus inductis testibus : solummodo aggreditur a Bonifay et a massiliensi Curia; quod tamen ex causis iam dictis facile explicatur.

His praemissis, patronus in primis ad vitium clandestinitatis evincendum orationis aciem dirigit. In quo duo dicit eminere quae inficiar! non possunt, nempe 1. matrimonium initum esse in oppido et ecclesia ***s. Mauritii Agaunensis*** in Helvetia, delegante parocho alterius Helvetiae oppidi, cui nomen ***Vevey:*** 2. in oppido s. Mauritii Tridentinum decretum ***Tametsi*** de forma in matrimoniis servanda vigere, minime vero in loco ***Vevey.*** Primum constat ex legitimo nu-

ptiarum testimonio ad acta relato, alterum conficit ipse lausanensis Praesul.

Quae cum ita sint, ad matrimonii validitatem aestimandam unum superest inquirendum, num parochus Vibisci qui delegavit, ratione domicilii aut quasi domicilii fuerit, nec ne, proprius contrahentium parochus.

Nihil autem attinet quaerere de parocho s. Mauritii delegato ; quippe quia mariti vitricus et celebrationis mediator Marquet narrat : « Nous arrivâmes à st. Maurice non pas précisément la veille, mais un jour ou deux avant la célébration du mariage, logés tous ensemble dans l'unique auberge convenable du lieu. » Sed et ipsum factum delegationis petitae et susceptae indicat parocho s. Mauritii legitimam ad actum potestatem defuisse.

Quod autem sponsi nec domicilium nec quasi domicilium Vibisci haberent, evincere studet patronus allegando itinera brevesque moras quae raptui successerunt : vir namque , ne a iustitia arriperetur et raptorum poenas lueret, huc illuc tres menses discurrit, et 15 loca in Italia, Helvetia et Germania invisere quasi advena et fugax visus sit.

Porro etiamsi unius mensis moram Vibisci iuvenes fecissent, haud propterea quasi domicilium contraxissent; nam iuxta doctrinam Card. Tarquini in ***Romana Matrimonii*** , ***11 Ianuarii 1868*** - dubitari non potest cd « quasi domicilium adipiscendum praeter actualem habitationem voluntatem simul requiri eamdem continuandi per maiorem anni partem. . . . et habitationem ad mensem productam non esse nisi ***indicium*** ad praesumendum quod vere sincereque eiusmodi voluntas habeatur » (1).

At moram nec unius mensis Vibisci iuvenes fecisse trepida ipsa viri concursatio invicte suadet. Accedit magistratum civilem Vibisci de hoc fidem facere.

Idem erui posset ex facto cauponum. Hi enim in ea regione, sicut et alibi, tenentur hospites, quos nuper habue-

(1) Recole Vol. XI, 567 Appendix II quoad doctrinam de domicilio et quasi domicilio pro matrimonii validitate.

riiit, recensere, eosque per ephemerides palam facere. Vibisci autem haec evulgatio fit singulis hebdomadibus in diario nuncupato ***Journal de Vevey.*** Iamvero advocatus Jaquier testatur nostros sponsos recensitos non inveniri « à l'exception de la liste publiée le 12 Octobre 1865, qui contient la mention suivante: Hotel du lac . . . . ***Marqaet et sa famille.*** » Desunt autem haec nomina in schemate tam die 5 praecedenti quam subsequenti, nempe 19 impresso.

Quin subsumatur ex hac fugaci peregrinatione sponsos inter vagos connumerari debuisse, et ideo quemlibet parochum, adeoque et Vibiscensem, eos valide coniungere debuisse. Respondet enim Ulpianus ***ff. 50 Ad M-unicip. § Eius*** « hoc procedere, .si quis, domicilio relicto, naviget aut iter faciat, quo se conferat aut ubi constituat. » Idem tenent cum Reiffenstuel ***lib. 4 t. 3 n. 85,*** Sánchez et ceteri canonistae. Porro neuter ex nostris sponsis suum reliquerat domicilium, novumque quaerebat, nedum uxor, quae, ut contendit patronus, invita discesserat, sed nec vir, qui peracto quomodocumque et quam citius matrimonio, ut raptus crimen occultaret, deinde in patriam reverti studebat.

Nec mirandum est temere adeo et contra legem catholicum parochum nuptias benedixisse, nam dolendum quidem maxime esse, ait patronus, in Helvetia apud complures parochos hanc contra proprium officium peccandi facilitatem haberi, veluti plura exempla S. O. Congregationi non ignota comprobant.

Curia massiliensis, quae adeo studet, ut hoc matrimonium tueatur, in medium profert litteras sacerdotis Gignoux, qui affirmat tunc temporis peregrinantem in Helvetia fuisse Vicarium generalem massiliensem Guiol, eumque, a Marquet accersitum ac rogatum, licentiam dedisse ipsi sacerdoti Gignoux, ut nuptias baroni s d'Outhoorn cum Lazarina benediceret. Se autem, concludit idem sacerdos Gignoux, praesentem fuisse cum in oppido s. Mauritii matrimonium celebrabatur. Post hanc declarationem, prosequitur, vir et puella Vibiscum iterum petierunt; ubi Parochus Mantel ad abundan-

fiam iuris, fecit ut iidem domicilium aut quasi domicilium acquirerent.

Sed respondet patronus haec omnia repellenda statim esse ab ipso iudicii limine, nedum quia formidulose et oscitanter scripta comperiuntur a sacerdote Gignoux, nedum quia relata sunt a massiliensi Curia Lazarinae omnino aversa, ubi imo Vicarius generalis est amicitia plurima coniunctus cum eo Bonifay qui Lazarinam acriter odit, nedum demum quia extraiudicialia sunt ; sed etiam quia plena errorum et inverosimilitudinum. Auctor delegationis is eligitur qui iamdiu mortuus est: qui delegatus dicitur, hac utitur facultate quin quemlibet moneat, non parochos Vibisci et s. Mauritii, non partes, non Episcopum; imo permittit ut aliena delegatione matrimonium celebretur. Incontro versum est enim nuptias ex delegatione parochi Vibisci celebratas esse. Nec satis ; nam si Vicarius generalis massiliensis delegaverat ad matrimonium benedicendum sacerdotem Gignoux, inutile prorsus erat hunc vel alium parochum adire, domicilium Vibisci constabilire, delegationem a parocho vibiscensi reportare. At insuper falsum est, ut apparet ex fide magistratus civilis, declarationem domicilii sponsos Vibisci quaesivisse et obtinuisse : falsum quod Vicarius generalis Guiol iurisdictionem suam contulerit sacerdoti Gignoux « en présence de Mr. Marquet » ; nam hic vehementer id negat: et minoribus missis, erronee demum in obiectis litteris Marquet patruus Lazarinae dicitur, dum vitricus est baronis d' Outhoorn. Quibus stantibus putat orator nihil faciendam esse harum litterarum auctoritatem ; et consequenter matrimonium clandestine prorsus celebratum videri, adeoque et esse nullum.

Quod magis magisque confirmatur ex capite raptus. Contendit baro d'Outhoorn, quod semper usque ab initio professus est, et sua interest praedicare, ne se sponte noxae tradat, nempe puellam consentientem abductam a se fuisse. Porro hoc parumper admisso, vult patronus nihilominus matrimonium nullum evasisse.

Siquidem tali odio raptores prosequutum est ius antiquum, ut Iustinianus *I. an. c. De raptu vir g.,* decreverit, raptores esse nedum capitis poena plectendos, sed insuper voluerit deesse facultatem « raptae virgini, vel viduae vel cuilibet mulieri raptorem suum sibi maritum exposcere. » Et infra § 3 addiderit: « Huic poenae omnes subiaceant, sive volentibus sive nolentibus virginibus vel aliis mulieribus, tale facinus sit perpetratum. »

Utique sequentibus mediae aetatis saeculis hic rigor relaxari coepit ; at vetus disciplina per Tridentinum restituta est quia ***cap. O*** *sess.* ***24*** *De reform, matrim,* sanxit « inter raptorem et raptam quamdiu haec, in potestate raptoris manserit nullum posse consistere matrimonium. »

Porro in Tridentino canone sub nomine *raptus* venire nedum raptum violentiae, sed etiam seductionis, quando saltem mulier minor adhuc sit, et contra parentum voluntatem in fugam consentiat, pluribus potest evinci; et 1. quia Tridentinum ius civile restitui volebat, et ius civile seductionem minoris ad fugam consentientis contra voluntatem parentum, iuxta allegatam Iustiniani legem , raptum proclamat; 2. quia S. C. C. anno 1608 taxative definiit: « Concilium procedere etiam muliere volente, dum tamen sit raptus iuxta terminos iuris civilis ; 3. quia Navarrus Tridentini Concilii patribus coaevus, eisjue forte familiaris, edocet quod « consensus puellae ut raperetur non sufficit ut non dicatur rapta ; quia ut dicatur talis, sufficit ut contra voluntatem patris de domo eius sit abstracta, sive id fiat de voluntate puellae , sive contra voluntatem eius. « Cardinalis autem De Luca maxime Navarri auctoritati deferendum putat ob eius cum Tridentini Concilii patribus ac praesentibus relationem.

Contrarius est quidem Sánchez, qui raptum puellae minoris consentientis, invitis parentibus aggreditur; at si DD. auctoritatibus dimicandum sit, iam contra Sánchez prodeunt nedum Navarrus et De Luca citati, sed insuper Cosci, Barbosa, Riganti, Berardi, Corradus, Ricci, Mascard, et potis-

siiiiuni auctor voti ex officio dati antequam S. C. C. generalem resolutionem anni 1608 superius relatam iniret, ac demum lex disciplinaris pro imperio Austriaco a S. Sede probata.

Et suffragantur rationes. Nam ut notat Riganti « aliud est raptui consentire et aliud consentire matrimonio, et propterea ex consensu ad raptum non infertur consensus ad matrimonium. » Ita et Ballerinus in notis ad Gury, ita et votum ex officio supra citatum. Quin obiiciatur eo ipso quod honesta puella abduci patitur, hoc ad matrimonium postea ineundum factum praesumi. Nam insilit in oculos quam saepe fieri possit, ut inexperiens puella fraudibus et illecebris seducta, tantummodo ex intervallo insidias sentiat, vel familiae detrimentum, vel dotalis substantiae aucupium, vel alia animadvertat quae ante cognita ab incepto deiecissent.

Insuper falsum est in raptu puellae consentientis violentiam deficere. Nam in tenerae aetatis puella pares sunt vis ac insidiae, minae ac seductiones. « Nisi enim raptor eam sollicitaverit, nisi odiosis artibus circumvenerit , non facit eam velle in tantum dedecus se prodere » ait Iustinianus ***loc. cit.*** et Rota in ***Leodien, dec. 498 p. 14 Bec.*** « Cum puella semper praesumatur captiosis illecebris decepta; numquam fuga potest dici provenire a libero consensu. » Quapropter contraria theoria fautrix videtur non libertatis ad matrimonium, sed licentiae ad raptum.

Adde quod in puella, quae sui iuris non est, vis etiam in parentes illata attendi debet. « Ex communi humano sensu et usu, si dormiente, vel in studiis, aut etiam extra domum existente patrefamilias, ex eius domo suasionibus ac blanditiis vel cum aliis suggestionibus abducatur puella, adeo ut nulla concurrat vis vera ac positiva in patre et in ipsa abducta ; adhuc tamen, si universus populus interrogato omnes etiam rustici pro communi humano sensu et usu dicent, quod puella de domo paterna vel alterius aeducatoris criminose atque illicite rapta fuerit. »

Demum si contraria sententia admittatur , iam frustra-

retar lex, nam raptus armata manu ac absoluta violentia, raro olim, rarissime hodie continget. Quapropter idem De Luca observabat : « Istud conciliare decretum, adeo accurate editum, remaneret ***de vento,*** atque numquam vel nimium raro esset verificabile, si intelligendum esset de illo raptu, qui fieret cum violentia positiva. »

Verum nedum DD. auctoritas, et rationum momenta, sed et plurium rerum iudicatarum pondus enunciatae sententiae suffragatur. Atque in primis in eius favorem militat generalis resolutio anni 1608 superius relata. Succedit Rota in citata ***Leodien.,*** in qua censuit « firmum remanere quod, invitis parentibus, licet puella consentiat, raptus committitur, tam respectu poenae, quam annullationis matrimonii... Et sustulit omne dubium S. O. Concilii statuens, dispositionem conciliarem locum sibi vindicare tum in ordine ad nullitatem matrimonii, tum ad poenas contra eum qui consentientem puellam abduxit, inscio illo, sub cuius tutela existebat. »

Stat itaque vetus disciplina, et retinendum, quod abductio puellae minoris consentientis, sed contra voluntatem parentum, verum raptum constituit : unico forte excepto casu, si nempe sponsalia rite facta praecesserint ; Ballerini in notis ad Grury ***vol. 2 De matrim, cap. 6 num. 857.***

At in themate haec sponsalia raptum minime praecesserunt. Quandoquidem unus vir affirmat; at id vehementer negat uxor.

Sed detur parumper, aliquando interloquendum faciliorem se ostendisse Lazarinani erga baronem ; attamen non inde potest concludi sponsalia rite esse facta. Ad id enim iuxta (jury ***Com. theol. mor. n. 625*** cum aliis passim DD. non sufficit communis quaelibet promissio, quae magis propositum redolet, quam effectivam voluntatem ; sed requiritur mutua ac seria sponsio. Quod magis retinendum est in re nostra , quando praesertim agitur de raptu puellae consentientis. Nam ut bene considerat De Luca ***disc. 28 ad S. Conc. Trid. n. 16,*** « in hoc consistere videtur aliquorum aequivocum,

quod scilicet illae genericae sollicitationes quae simplicibus puellis per viros, etiam ex causa libidinis fieri solent de ipsas ducendo in uxores, ad id sufficiat.: quoniam ita esset reddere numquam verificabile raptum, atque de facili eludere inanemque reddere istam adeo prudentem et commendabilem provisionem. »

Quibus accedit, sponsalia quippe vinculum inferentia libertati numquam admitti, nisi probentur concludenter; « et necesse est quod probationes sint luce meridiana clariores » ut ait Riganti ***com. ad reg. 49 Cancel, num. 88*** cum Cosci ***De sep. th. I. 1 c. 15 num. 26;*** et Ursaya ***t. 1 Discep. p. 1 dis. 28 num. 29.*** Porro sponsalia in themate nedum non probantur concludenter, sed unico eoque vago testimonio viri nituntur, absolute vero negantur tum a matre tum a filia, nec ab ipso filiae adversario Bonifay asseri praesumuntur.

Nec satis; nam praeterea haec sponsalia « nullius roboris sunt si fiant invitis iuste parentibus » ut habet Cosci ***De spons. vol. 3 num. 35*** et iterum ***De sep. th. I. 1 cap. 11 num. 54,*** ubi ita disserit: « Quoties sponsalia filiorum familias citra scientiam vel cum iusto dissensu parentum contracta sint, et maxime cum persona indigna . . . , ex iustissimis causis nedum ab Ecclesia, sed a iure naturali et divino sunt prohibita, ideoque illicita. » Cui concinit Rota in ***Viennen. Sponsalium cor. Kaunitz 13 Ian (tura 1705,*** ubi docet : « Quinimo tantae est efficaciae praedictus dissensus, parentum, ut etiamsi sponsalia libere ac pure contracta fuissent, nihilominus superveniente indignatione et dissensu patris... potest esse sufficiens causa pro illorum dissolutione ac recessu. » Ita S. C. C. ***in Herbipolen. Matrimonii 24 Aprilis 1858.***

Quapropter non probatis, non legitimis, non existentibus sponsalibus, licet consentiens Lazarina extitisset in raptu, tamen incapax ad matrimonium evasisset.

At nec consentiens dici potest Lazarina , sed reluctans prorsus et violenter abducta demonstratur. Sane, ait pa-

tronus, ut explicetur quomodonam iuvenis puella sui et pudoris et officii oblita, tam probrosam fugam arripere Iubens potuerit, fìngi necessario debet nedum nullus timor, nedum aversio, sed vehemens in raptorem amor. Atqui Lazarinae mater deponit, filiam suam constanter aversatam esse baronem, sibique hasce nuptias ab initio proponenti ipsam prorsus resti tisse : idque confirmat testis Giraud, tabellio Maurel, Aemilia Gauthier et Christina Marcoste.

At constat, Lazarinam praeoccupatam iam a teneris annis fuisse amore Antonii Ducroz, cui etiam fidem desponderat. Hoc vehementer affirmant Christina Marcoste, Aemilia Gauthier, et Ferdinandus Maurel. Hoc scivisse fatetur altera ex monialibus ***da Be f age de Tours.*** Hoc invicte comprobat factum omnino exploratum, fuga scilicet et receptio Lazarinae apud parentes Antonii Ducroz. Quod factum contingit postquam Lazarinae mater baronem, cui ab initio favebat, ab se reiecit, et paulo ante quam filiam in asceterium custodiae causa mitteret.

Porro haec omnia suadent Lazarinam usque ad ultimum alienam esse debuisse a barone.

Verum qui contendit puellae consensu raptum patratum esse, iam necesse habet supponere, aut colloquio aut per epistolam rem antea dispositam fuisse. Bonifay, et ex monialibus quaedam, nocte et per colloquium id contigisse supponunt ; at rem improbabilem reddit vigilis monialium custodia, aliarumque contubernalium praesentia, ac potissimum molossus canis, qui, ut in agro locisque desertis usuvenit, ad domus et horti custodiam excubare solebat, et latratibus nocturna silentia complere debuisset, si quemquam propius accedere sensisset.

Restat itaque ut per epistolas fuga fuerit parata. Sed Maria a s. Dominico fatetur : id accidere nequivisse eo quod omnis communicatio inter personas in monasterio degentes, et exteras impossibilis erat, et quia puella vigilantiae concredita erat Sororis solertissimae. Unde difficile et improbabile apparet obiectum Lazarinae cum barone commercium per epistolas.

At baro hoc non obstante affirmat, se et misisse et recepisse a puella litteras ; et Aloysium Bonifay emissarium fuisse qui puellae litteras sibi retulit. Aloysius vero Bonifay e contra refert, Lazarinam litteras dedisse non sibi, sed cuidam puellae Aemiliae Gautier ; easque fuisse directas non baroni, sed eius vitrico. Itaque baro eiusque fautor, qui in adversanda Lazarina concordi studio concurrunt, inter se non conveniunt ; et hoc grave indicium mendacii ac falsitatis videtur.

Nec satis ; nam nonnulli sunt qui raptui partes habuerunt, aut praesentes casu extiterunt ; et hi nedum consentie ntem et lubentem produnt Lazarinam, sed imo pro viribus reluctantem, elata ulnis, vi asportatam et in rhedam pene emortuam inclusam.

Imo talis fuit lucta puellam inter et raptores, ut , Lazarina eiusque matre testibus , actrix adhuc in brachio signum violentiae servet.

Haec peremptoria putat patronus ad excludendum consensum in raptu. Quin noceat quae ex adverso proponuntur, quae singillatim examinanda orator suscipit.

Atque in primis, ex monialibus Maria a s. Dominico enarrat, se, eo sero quo Lazarina evasit, vidisse hanc extemplo e coenaculo egredientem, ac rapide ad extrema horti properantem.

Quae quidem omnia licet suadere videantur Lazarinae fugam ex condicto evenisse; attamen recolit patronus, non ita posse accipi. Etenim in primis tum haec monialis quae ita loquitur, tum aliae affirmare absolute non audent raptum consentiente puella contigisse: dicunt quidem rumore percrebuisse de concordi puellae animo ad fugam; sed simul fatentur se nescire, num rumoris huiusmodi legitima causa esset, nec ne. Imo dicit orator, persuasum monialibus esse, violentum pue'lae raptum dedecori asceterio esse, ideoque moniales tradi ac retineri prorsus malle, triste facinus ex condicto contigisse ; et notat, hoc studium monialium ex eorum depositionibus satis superque scatere.

Nec melius valet testimonium sacerdotis Baudouin, coadiutoris parochi de Mazargues; nam et ipse in puncto raptus fatetur: nescio an Lazarina sese opposuerit raptori. Insuper puer erat undecim annorum , alibi, in oppido scilicet Alcaucil, commorans, cum haec facta evenerunt : se autem ex publico loci rumore recentius rem apprehendisse affirmat: et recinit historiam de litteris a Lazarina datis ad Aemiliam Gautier pro barone; quam historiam ipsa Aemilia funditus subvertit. Unde nec huiusmodi testimonium quidquam concludit, eo vel magis quod et ipsum suspectum haberi potest ob suam erga Massiliensem curiam observantiam.

Superest itaque testimonium Aloysii Bonifay ; sed in primis hoc inter omnes est maxime suspectum. At imo ipse Bonifay testimonium de se et de suis assertis abunde tribuit; nam postquam coram iudice pro testimonio dixit , et iusiurandum praestitit, illico « supplex postulavit, quod illi concedere impossibile erat, scilicet ne domina Lazarina unquam sciret quae ipse Bonifay in audientia deposuerat. Sed ulterius deposita a Bonifay falsitatibus et contradictionibus sunt plena.

Quin demum dicatur, ipsas facti circumstantias, egressum puellae e coenaculo, deambulationem in horto, paratam viri praesentiam, rhedam omniaque alia disposita, condictum baroni s e puellae aperte prodere. Nam ab aliquot diebus facinus patraturus asceterium circuibat baro, teste auriga Laval qui cum a barone conductus prope monasterium in die raptus adstaret, fatetur se ab initio vidisse Alphridum d'Outhoorn spectare intra septa, circumire, et redire blasphemando : et ir^i plenus dicens, octo iam decurrerunt dies ex quo studeo ut puellam rapiam, sed illa non comparet.

Quum itaque testimonia, quae de raptu violento sunt, nullo sufficienti contrario argumento moveantur , cum pro violento raptu ipsa Lazarinae aversio a barone, eiusque studium in Antonium Ducroz dimicent, et cum demum consensus in raptum nunquam praesumatur, sed « *lex praesumat non potuisse velle* » ut ait Mascard *De proh. conci.*

1259 cum Gury ***vol. 2 n. 857 De matr.*** et alii passim : iam retinendum patronus concludit Lazarinae neutiquam volèntem, sed vi ac dolo asportatam fuisse.

Porro posita abductione « decernit s. Synodus inter raptorem et raptam nullum posse consistere matrimonium. » Atque addit: « Quod si rapta a raptore separata et in loco tuto et libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat. » Itaque iuxta hoc decretum, ut notat Van-Espen ***p. 2 f. 13 c. 10 n. 7,*** « subsistit impedimentum dirimens inter raptorem et raptam quamdiu haec manet in potestate raptoris, ut quamvis eo tempore puella revera consentiret in matrimonium cum raptore, nihilominus matrimonium sic contractum esset nullum, licet iure decretalium fuisset validum : atque ex hoc capite dicitur a synodo Tridentina novum impedimentum dirimens hic inductum. » Unde hodie post Tridentinam legem validitas ratihabitionis non ex libertate consensus, sed ex qualitate loci in quo mulier assentitur desumenda est.

Atqui Lazarina post raptum usque ad matrimonii celebrationem et diu deinceps, numquam ***a raptore separata et in loco tuto et libera constituta est.*** Excipit tamen Bonifay aiens: puellam ante matrimonii celebrationem separatam fuisse a Barone per tres menses iuxta loci consuetudinem. Baro elegerat domicilium et discesserat venationis causa ; puella ergo plene libera erat.

Verum haec mendacissime dicta patronus vult. In primis enim cum raptus contigerit die 15 Iunii, matrimonium vero die 5 Octobris, inter utrumque factum decendium lapsum est praeter tres menses. Iuxta Bonifay itaque decem dies tantum cum rapta puella baro versatus fuisset. At e contra constat quod post raptum e Gallia in Helvetiam, Germaniam et Italiam successive puellam baro traduxerit, et quod baronis vitricus, Marquet, re cognita, ut criminosum factum aliqua ratione componeret, privignum et Lazarinam in Helvetia, exeunte mense Iulio convenerit. Nec satis : nam locum tutum, quo se recepisse dicitur Lazarina,

et ubi mansisse t aut tres menses, ut vult Bonifay, aut ad spirituales exercitationes, ceu contendit baro , qui conventum monialium fuisse affirmat, nullum ibi tunc fuisse, testis est, praeter alios, idem parochus s. Mauritii.

Sed praeter intrinsecam repugnantiam contra baronis et Bonifay depositiones militant validissima quoque testimonia, ac in primis ipsius Marquet, baronis vitrici, qui quidem cum ad negotium conciliandum tunc accurrisset, rerum omnium conscius apprime esse debuit, et auctoritate sua valde praestat. Porro hic ita fassus est: neque per unam diem puellam reclusam fuisse in monasterio, quod non existebat apud sanctum Mauritium.

Succedit Ferdinandus Maurel, qui una cum eodem Marquet atque aliis vivide pingit in quam aerumnosam servitutem eo tempore Lazarina ceciderit. Quod apprime contradicit magnificatae in contrarium libertatis concessioni, et firmat impedimentum tempore nuptiarum prorsus extitisse.

Nec purgatum est in posterum. Nam, ad temporis diuturnitatem, quod attinet, nulla unquam temporis accessio certam atque exploratam matrimonii nullitatem obliteravit iuxta constantem S. O. C. iurisprudentiam, quam laudat Cosci ***De sep. th. I. 1 c. 8 n. 64.***

Quin osbtet filios esse susceptos, nam Alexander III cavit ***cap. 2 Qui filii sint legit.*** « ut filii qui concepti fuerint ante latam sententiam non minus habeantur legitimi, et quod in bona paterna haereditario iure succedant, et de parentum facultatibus nutriantur; » et ex altera constat matrimonium publice nullum ex temporis decursu non sanari, nec eius nullitatem abstergí, ceu passim retinuit S. C. C, et probat resolutio data in ***Romana Matrimonii, ex capite vis et metus impugnati, 15 Sejit. 1629, Gnesnen. 19 Ianuarii et 9 Februarii 1754, Merbipolen. Matrimonii, ex capite raptus. Iunio mense anni 1859,*** ac demum aliis missis, nuperrima ***Comen, die 11 Iulii 1885*** acia, in qua matrimonium nullum declaratum est, quippe celebratum coram

non proprio parocho, licet contubernium 14 annos protractum fuisset et duo filii suscepti. (1)

In themate autem duo filii quidem nati sunt et separatio ^ auctore magistratu, non contigit nisi anno 1878, sed notandum est 1. iam antea sponsos separatam vitam duxisse, et quatriennio post matrimonium, actum de separatione primum fuisse: 2. Lazarinam, quae 16 annorum erat cum rapta est, ignoravisse raptum constituere impedimentum dirimens matrimonium, ut tabellio Maurel, et argentarius Giraud, praeter alios ipsamque Lazarinam fidem faciunt, et supponendum ex ipsa mulieris conditione est: 3. violentum semper fuisse contubernium et baronem durum atque asperum maxime fuisse erga mulierem, ceu omnes testes fatentur: unde nec supponi potest per consensionem animorum aliquid ex matrimonii defectibus esse sanatum.

Sed haec ad abundantiam notata vult patronus ; quia cum matrimonium ob dirimens ac publicum impedimentum raptus, nec non et propter defectum iurisdictionis in parocho nulliter celebratum sit, cohabitatio et consensio sponsorum, quaelibet tandem fuisset, nil efficere poterat; sed praevia separatione sponsorum iuxta Tridentinum decretum, renovandus erat consensus coram legitimo parocho et testibus, ut punctim evincit Barbosa ***De off. Episcopi alleg. 32 n. 149,*** Reifienstuel ***appena. De disp. sup. imp.*** cum communi. Quod cum factum haud fuerit, concludit patronus, matrimonium in themate nullum esse necessario declarandum.

ANIMADVERSIONES VINDICIS s. VINCULI. EX altera vero parte defensor vinculi in ***primo*** suae orationis capite, abnormia quae habentur in processualibus tabulis singillatim expendit.

Ac primum observat interrogatoria partibus ac testibus facienda, et singulorum depositiones usque ad publicationem processus ad evitandam subornationem secreta manere debere, ita iubente *Inst. S. C. C.* cum communi DD. At in themate

(1) Recole Vol. XVIII, 483.

omnia videntur actrici usque ab initio patefacta, et Lazarina bis, ter, quater ideo excussa fuisse.

Ulterius, ne subornentur testes, post causae conclusionem vetitum est ne priores iterum, aut novi testes producantur. At in themate e contra factum est; nam post conclusionem processus, quae contigit die 2 Septembris et 6 Octobris 1887, testes viginti et unum iterum audiri poposcit actrix atque a benevola curia obtinuit. Quod eo vel gravius videtur, quia plures iam ab initio fuerant inducti, et hos inter quinque moniales; et quia insuper in nova testium productione neminem favore matrimonii, contra eos, quos pro re sua elegerat Lazarina, defensor vinculi induci sategit.

Qui defensor, nedum ex hoc capite, sed etiam ex alio, muneri suo defecit, quando scilicet testes Ferdinandus Maurel et Aemilia Gauthier, se absente, a iudice examinati fuerunt, et nihilominus eorum depositiones admittendas esse censuit, licet id in Const. *Dei Miseratione* graviter offendat. Imo nedum admittendas censuit, sed ut veritati apprime conformes laudavit ; quod in vinculi defensore singulare prorsus et abnorme est.

Sed vel abnormius videtur quod egit contra testes qui matrimonio suffragantur, e. g. eum Aloysio Bonifay, quem comiter rogavit « an quae dixerat cum iuramento vellet in praesentiam Lazarinae iterum probare. » Dum licet quidem parti contrariorum testium iuramento adsistere, minime vero depositioni, ex Leurenio ***lib. 2 q. 677*** cum communi.

Accedit quod circumstantia huiusmodi, seu interrogatio facta Aloysio Bonifay de sua depositione firmanda coram Lazarina, extraiudicialiter acta videtur; nam in folio separato exarata est a solo defensore vinculi subscripta, et post plures dies ab interrogatione eiusdem Bonifay signata; et tamen in processualibus tabulis fuit recensita.

Sed vel gravius contigit cum barone, quem de facto compulsioni coram Lazarina subiicere petiit ac obtinuit vinculi defensor, licet id damnetur ab Inst. S. C. C. quae iubet « coniuges semper et seorsum audiri ».

Nec praetermittendum est eumdem defensorem .testimonia baronis spernere, notando eum « plus consultari suae famae in discrimen venienti, quam veritati patefaciendae. » Insuper cum plures interrogationes proposuisset baroni faciendas in actu pratico « ab interrogatorio sexto ad decimum defensor vinculi inutile duxit interrogare » itemque « ab interrogatorio undecimo ad duodecimum, et ab interrogatorio decimo quinto ad decimum sextum. »

Nec satis ; nam contra Aloysium Bonifay, quia plura pro matrimonii valore deposuerat, quique bono testimonio sui Ordinarii honestatur, inducitur testis Petrus Marquet privignus baronis, qui interrogatus respondet : censeo, et scio dominum Bonifay aptum esse actionibus periurio deterioribus. Dum e contra idem Petrus Marquet, qui nuptias ecclesiastice fieri vitricum inter et Lazarinam in Helvetia curaverat, quique insuper eiusdem Lazarinae avunculum esse tunc temporis mendaciter asseruerat, mendax et fide indignus videtur.

Nec Lazarinae, quae ab adversa parte adeo extollitur, ea esse videtur, cui possit absque errandi formidine tuto confidi; nam, indole praedita alacri dicitur a moniali Maria a s. Dominico; eamque simulatam personam vocat Aloysius Bonifay. Accedit quod dives cum esset, media ipsi non deerant ad testium benevolentiam sibi acquirendam, ceu, teste Episcopo massiliensi, fecit cum monialibus s. Iosephi du Cabot, quibus 300 libellas dono misit scribens : auxilium ferre Monasterio vestro constitui ; respicite hoc donum ceu initium.

In secundo orationis capite vinculi defensor ostendere nititur, Lazarinam non raptam, sed volentem atque ex condicto e monasterio fugisse.

Quod ut adstruat, in primis notat ea quae ipsamet actrix de suo cum Alphrido occursu in viridario ante fugam enarrat. Ait namque: Baronem reperii apud monasterium, suaviterque allocutus, me exoravit ut illum brevi tempore sequerer, et auscultarem eius verba.

Et Lazarina, quin aliquid timeret de tam insolita re,

quin clamaret, virum obsequuta est. Quae cum ita sint, quanti facienda sint ea quae alibi Lazarinae mater enarrat de huius erga Alphridum aversione, magnoque timore, quisque facile intelligit.

At vero heic obvia venit interrogatio, ad quid Lazarina eo die, ea hora ab asceterio egrederetur, ac pergeret ad viridarium. Etenim monasterii leges id vetabant , et in coenaculo illam detinebant. Lazarina respondet : quum prandium paratum non esset iterum deambulavi. At falsum hoc est. Nam monialis Rigaud Maria a s. Ioanne Baptista, quae Lazarinae inserviebat, a iudice massiliensi rogata, respondit: iam erat hora sexta de sero ; et ego, quia hora comestionis, erat, prandium detuli ; sed Lazarina deerat.

Rursus monialis Rigot Maria a s. Dominico ait: die 15 Iunii 1865 de sero Lazarina Massol de ambulatione cum sua custode rediens intravit coenaculum, sed pene eodem instanti egressa cum festinatione contra morem suum, hortum petivit. Eram ea in parte domi, quae ducebat ad viretum in momento quo puella evadebat ; et memini eam vidisse magna cum festinatione domo egredi. Tunc factum eiusmodi a me perpensum non fuit; quod tunc feci quando innotuit, puellam disparuisse.

Verum , quod magis est, ipsamet actrix in hoc puncto se corrigit; nam quamvis die *2* Septembris 1887 solemniter affirmavisset, ideo a coenaculo fuisse egressam, quia prandium paratum non erat; tamen die 7 Aprilis 1888, cum tertius et ultimus processus clausus foret, et acta omnia parti actrici patefacta, Lazarina, suadente patrono Alberto Berand, quarto examini se subiecit et sine ambagibus ita loquuta est : prandium paratum erat ; quoniam vero dolore capitis affîciebar, censui medelam reperire aliquid comedendo; sed perperam; ideo coacta fui iterum hortum petere ad purum aerem captandum. Ast nova contradictio. Nam monialis Rigaud Maria a s. Ioanne Baptista, quae Lazarinae famulabatur, sub iuramento refert: deposui victum super tabulam, et egressa ut aliud aliquid afFerrem, iterum redii,

sed Lazarina non aderat, et nihil comederat de allato victu pro ea.

Praeterea Lazarina fatetur , se , vix e domo egressam, in Alphridum incidisse. Age vero si baro praescivit eo die, ea hora, eo loco Lazarinam obviam habituram, omnia plana et aperta sunt, et mutua intelligentia ac coniuratio patet.

Quod si dicatur casu id contigisse, iam absurda prorsus sequerentur. Etenim inexplicabile esset Alphridum, eo quidem momento, quo cuncta suadebant se amisisse praedam, cum vidisset moniales ac puellas ad coenam convocari, finem deambulationi imponere, ac coenobium ingredi, tunc quidem versa vice ipsum credidisse praedam sibi occursurum ; ideoque inexplicabili laetitia extemplo viridarii murum transiliisse, et ad asceterii portam accessisse.

Circa vero possibilitatem communicationis alumnarum cum extraneis, quam deesse adversus patronus contendebat, allegato textu depositionis monialis Mariae Bigot ; notat defensor errore scribariorum male relata fuisse monialis verba. Textus enim ita iacet : eo tempore materialiter possibile erat, causa incompletae ordinationis nostri Caenobii, ut relationes institui possent inter puellas educandas et personas extraneas. Idque firmatur a quatuor monialibus , quae a iudice massiliensi fuerunt interrogatae.

At imo nedum possibilia fuisse, sed vere ac realiter ante fugam contigisse Lazarinae cum barone conventum conventionesque, pluribus adstruit defensor. Atque in primis notat Aemiliam Gauthier licet Lazarinae intimam , inter testes Aquenses connumeratam non fuisse, nisi postquam testes massilienses eamdem designarunt tanquam condictae fugae mediatricem ; sed neque tunc, licet citatam, ad examen accessisse, nisi Lazarina comite : tum vero coram iudice, assente tamen sacramenti vindice, haec quidem dixisse : quadam die reperii Lazarinam descendentem Coenobii scalas; quae mihi dixit, attende paulisper; et, parvo exacto tempore, remisit involucrum cum aliqua obsoleta veste pro mea

sorore, erga quam saepe charitatem exercuit. Quibus verbis se subtrahere videtur a quolibet mediationis respectu.

Attamen, tempore non suspecto, aliter fassa est. Ad rem Philemon Baudouin, vicarius paroeciae ***Mazargues,*** rogatus, « An noverit extitisse, post hunc ingressum Lazarinae in conventu, commercium epistolarum sermonum vel signorum quorumlibet inter ipsam et Alphridum, > ascita iuramenti fide respondit: certior factus sum ab Aemilia Grauthier, quod ipsa receperat a Lazarina epistolam, Baroni d'Outhoorn directam, dum die dominico Coenobium petiit pro Missa audienda.

Vicario concinit monialis Mistral Maria a sanctissimo Corde, quae iurata testatur : audivisse quod Aemilia Gauthier tulerit epistolam matris Baronis ad Lazarinam, dum die dominico Conventum peteret ad audiendam Missam. Eadem monialis clarius etiam testata est coram iudice massiliensi.

Astipulatur vicarius parochiae Mazargues qui refert: famam publicam pagi de Mazargues eam esse quod evasio Lazarinae voluntaria fuerit ex condicto cum Barone.

Idipsum , quod in regione ***Marzagues,*** fama cecinit in monasterio ***du Cobol***, iuxta ea quae monialis Rigaud Maria a sancto Ioanne Baptista renuntiat. Idem refert monialis Chapuis Maria de la sainte Famille, coram vicario capitulari Lugdunensi, praestito iuramento. Imo monialis Bigot Maria a sancto Dominico de scientia propria affirmat : audivisse , ex monte qui Coenobium supereminet , duplicatum sibilum, praeferentem certo conventionis signum.

Neque dici valet, ut adversa pars vult, formidolosum illum Bonifay Aemiliae ministerium confinxisse, atque in hunc errorem perduxisse presbyterum Baudouin , et unam et alteram ex asceterii monialibus. Quandoquidem patet tum moniales, tum Baudouin non ex auditu et ex auctoritate Aloysii Bonifay loqui, sed ex fama publica et ex relatis ab ipsamet Aemilia Gauthier.

Nec pariter subsistit id quod adversa pars obiicit con-

tra monialem Bigot Mariam, quam sibimet repugnare exprobat, eo quod cum ab initio suae depositionis fassa sit se haud amplius tunc fuisse in monasterio s. Iosephi ***du C oíbol*** dein subiungit « ***fai vu et entendu*** ». Respondet enim defensor, monialem Bigot quando ait, se tunc temporis haud amplius fuisse in monasterio s. Iosephi ***du C ab oh*** intelligere se haud amplius ibi fuisse ***stabiliter*** et qua moderatricem. Quod quidem punctim explicasset, si a vinculi defensore vel ab Aquensi iudice excussa fuisset.

Nec refert aliquam adesse differentiam in relatis circa transmissiones litterarum Alphridum inter et Lazarinam. Quandoquidem in re tam secreta et antiqua, quae ex plurium auditu refertur, mirum esse non debet aliqua enarrari quae amussim inter se non conveniunt. Sed praeterea, ut contendit defensor et ostendere nititur, haec quae referunt non ita inter se pugnant, ut non possint, aut diversitate temporis supposita, aut alia circumstantia admissa, inter se mire componi. Eo vel magis quod et alia sint vehementia indicia, quae mutuum Lazarinae et baronis consensum ad fugam evincunt.

Autumat contradictor patronus molossum canem, qui ad asceterii custodiam excubabat, nocturnum baronis accessum prohibere prorsus debuisse. Sed excipit defensor dicendo, quod ferox ac vigil hic custos, si aderat, et diurnum ingressum, et accessum, et violentiam baronis latratibus detegere a fortiori debuisset.

De cetero ipsamet Lazarina testis est de suis cum Alphrido relationibus ante fugam, ceu colligitur ex depositionibus monialis Mariae a s. Dominico.

Nec refert, Lazarinam ab initio prorsus firmiterque negasse se numquam consensisse in fugam ; siquidem in posterioribus interrogationibus eam se corrigere comperimus , cum, super hoc puncto rogata, ita loquitur : dominus Bonifay dicit, me fecisse historiam evasionis e monasterio. Certum est me amplius etiam fecisse; quoniam post fugam ad exteras nationes Baro me cogebat litteras scribere, quas ille

dictabat. Porro haec serotina correctio a suspicionibus immunis non est. Eo vel magis quod inveniatur actrix post aliquod tempus, scilicet in interrogatione diei 17 Aprilis 1888, ad novas argutias confugere, cum addidit, se ad honorem suum et filiorum servandum permisisse et maluisse credi esse legitime nuptam et Alphridum iustum sibi maritum.

Porro concludit defensor , nulla melior probatio , quam ipsius rei obnitentis confessio iuxta De Luca ***De iud. disc. 23 n. 1 et 26.*** Atque eapropter omittenda esse censet ulteriora, ut puta, baronis et Aloysii Bonifay asserta, et tantummodo recolit, quod si Alphrido d'Outhoorn ex vitrici testimonio credendum non sit, ipsi quoque vitrico adimenda sit fides, eo quod pravus et ipse mendax inveniatur in hoc negotio, quando scilicet in Helvetia agit, ut matrimonium conciliaretur et avunculus Lazarinae se renunciavit.

Negata itaque violentia abductionis, et cum imo constet Lazarinam ex condicto prorsusque volentem fugisse, ***in tertio orationis capite*** sacramenti vindex iura producit, quibus matrimonium Lazarinam inter et baronem initum, immune ab impedimento raptus demonstret valideque contractum. Atque heic postquam Tridentini decretum necnon et aliorum nonnullorum DD. in hac re sententias expenderit, demum se subscribere dicit conclusionibus, quae fiunt in opere ***Acta S. Sedis vol. 1 pag. 62,*** quas maxime extollit Ballerini in notis ad Griiry ***De matr. n. 858,*** quaeque demum cum sint innixae S. C. C. decretis et extra omnem passionum aestum exaratae, magnam sibi vindicant, ceu par est, auctoritatem. Dicitur itaque:

« L Raptum, qui sub decretum Concilii cadat, non haberi, quando praecedunt raptum concludentes tractatus de matrimonio ineundo. Hoc enim casu vir ius habet ad mulierem sibi desponsandam et mulier tenetur matrimonio consentire; II. neque hunc raptum verificari, si vir sine dolo mulierem ex condicto abducat, eo quod tractatus de matrimonio ob parentum oppositionem non potuerit concludi; III. neque verificari raptum, si non vir, sed mulier virum sol-

3.[citaverit, ut ab eo abduceretur. In his duobus casibus dicenda est potius fuga mulieris cum viro, ut liberius matrimonium contrahant, quam raptus; IV. e contra raptum verificari si mulier, insidiis et dolosis solicitationibus meditantis raptum, abducatur, ut deinde sub raptoris influxu in matrimonium consentire cogatur. » Et Ballerini ***loc. cit.*** **«** Si enim mulier ideo in abductionem consentiat, ut liberius matrimonium contrahat, et hoc abductionis medio utatur ad obstacula removenda, non videtur raptus , sed mera fuga, quamvis aliqua iniuria parentibus dissentientibus irrogetur. »

Porro ex iis quae superius relata sunt satis superque demonstrari putat defensor, Lazarinam nedum violentia, sed nec ea seductione quae impedimentum parit, abductam ab asceterio fuisse.

Sed, ulterius procedens, contendit idem sacramenti vindex, Lazarinam animum iamdiu adiecisse ad baronem, eique despondisse fidem, et ideo effugisse, ut quod promiserat, quod optabat, quod volebat contra matris imperium compleret.

Se deperisse quendam iuvenem Ducroz , et aliquando cum adhuc esset Massiliae in eius parentum domum clam confug'sse Lazarina enarrat, materque eius confirmat. At paullo aliter forte negotium processit. Etenim quamvis sero illius diei Lazarinae mater sciret ubinam filia consisteret, nihilominus habemus non contra familiam et iuvenem Ducroz, sed contra baronem d'Outboorn censoriam auctoritatem processisse, Alphridum quinque diebus in vinculis detentum, dein vero e Gallia expulsum, et Lazarinam ab ipsamet tribunalis praesidis uxore in locum refugii ***du Cabot*** ductam.

Nec satis; nam monialis Maria Mistral adiicit se audivisse, quod Lazarina in asceterium missa erat, ut impediantur eius relationes cum Barone. Quod et confirmat Aloysius Bonifay.

De cetero hoc punctum ex Acta s. Sedis et Ballerini conclusionibus in vado positum omnino retinet defensor.

At imo ipsemet adversus patronus concedit, raptum non haberi licet puella abducatur contra parentum voluntatem, quoties ***vera sponsalia praecesserint.***

Age vero observari in iure posset, Ballerini ***cit. loc.*** cum aliis non requirere ad excludendum raptum ***vera sponsalia*** praecessisse, sed tantummodo ***matrimoniales tractatus;*** in facto insuper constat et matrimoniales tractatus et sponsalia Lazarinam inter et baronem ante raptum prorsus intercessisse. Id fatetur Lazarinae mater, id Lazarina, id demum expresse et Alphridus, id demum etiam Bonifay. Notum est autem, actricis patri usque ad mortem, et aliquando etiam matri has nuptias omnino placuisse.

Sed in hunc sensum suffragatur quoque scriptum testimonium sacerdotis Gignoux, quem fide dignum renunciat honor vicarii generalis a Lausanensi Episcopo ipsi collatus; quemque non fuisse iudicialiter excussum dolet defensor, eo vel magis quod a Lausanensi Praesule potissime de hoc negotio instructus iudicetur.

Accedit quod raptus impedimentum tamd'u perseveret, quamdiu rapta in potestate raptoris manserit. Porro quatuor menses, quot a fuga ad matrimonium intercesserunt, Lazarinam semper et ubique a quocumque fugae aut resistentiae actu praepeditam fuisse, in his praesertim temporibus, inverosimile est.

At imo constat ex eiusdem actricis confessione , pridie nuptiarum ab Alphrido ad confessarium duct-am fuisse; quod non videtur componi cum asserta viri violentia.

Vacavisse quoque aliquot dies spiritualibus exercitiis insuper dicitur. Et quamvis patronus opponat ex fide canonici parochi Richori, tunc temporis in s. Mauritii oppido asceterium pro mulieru n recollectionibus defuisse ; nihilo tamen secius exercitiorum probabilitas non tollitur.

Postremo tandem loco constat post nuptias sponsos Genuam venisse, ibique habitasse ti es annos usque ad mulieris maiorem aetatem, ut affirmat sacerdos Gignoux; et tunc tandem in patriam reversos fuisse, civile, ut aiunt, matrimo-

nium initurus etiam absque matris consensu, qui tunc amplius necessarius Lazarinae non erat.

Sed mater, quae usque tum obstiterat,. consensit, et civilis ritus magna cum laetitia et festivitate celebratus fuit, ut affirmat paroeciae vicarius Baudoin, et Aloysius Bonifay. Porro haec nedum subvertere vim passam et raptae ad raptorem aversionem, sed insuper firmare contrarium videntur, scilicet firmam et constantem consensionem animorum ad mutuum vitae consortium.

Quo stante raptus impedimentum in tenues aures abire putat sacramenti vindex, quin possit ad optatam matrimonii nullitatem adstruendam subsidium sumi a clandestinitate. Etenim codices matrimoniales parochiae s. Mauritii edicunt nuptias rite celebratas fuisse. Porro libri parochiales iuxta Leurenium *p. 1 q. De for. benef,* cum communi plenam fidem faciunt. Quapropter usque dum contrarium plene non probetur, in themate libris parochialibus hoc testantibus retinendum erit, omnia completa esse adeoque nuptias rite valideque esse celebratas.

Nec refert matrimonium ex delegatione parochi Vibisci, qui tamen proprius sponsorum non videtur in oppido s. Mauritii esse nihilominus benedictum. Etenim tunc temporis in Helvetia aderat vicarius generalis massiliens's Guiol ; et nil vetat supponere, hunc attentis peculiaribus circumstantiis, parochum Vibisci delegavisse cum potestate etiam subdelegandi ad matrimonium illud celebrandum. Imo hoc reapse contigisse affirmat sacerdos Gignoux. Quapropter difficultas peremptoria non videtur, nec talis quae acta subvertat.

De cetero quoad hoc clandestinitatis punctum deest processus ; unde vanum disputare putat defensor.

Quibus praenotatis propositum fuit diluendum

Dubium

An constet de matrimonii nullitate in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. G. re discussa sub die 18 Februarii 1889 censuit respondere: « *Quoad raptam non con-*

stare; quoad clandestinitatem fiat processus per Episcopum Xjdusanen. et Geneven. cum facultate subdelegandi, ad tramites instructionis dandae a defensore vinculi matrimonii. »

Ex QUIBUS COLLIGES : I. Interrogatoria partibus ac testibus facienda, et singulorum depositiones secreta manere debere ante publicationem processus ad evitandam subornationem; ***Instr.*** S. C. Concilii.

II. Testes priores, aut novos, post causae conclusionem, audiri non posse; neque unquam examini iudiciali supponi testes posse, absente s. Vinculi defensore : ***Const. Dei miseratione...*** Coniugesque autem semper et seorsum audiri debere.

III. Mulierem vi ac dolo asportatam duci in matrimonia nequire a raptore, quia Tridentina Synodus decernit inter raptorem et raptam nullum posse consistere matrimonium, donec mulier in loco tuto ac libero constituta, illum in virum habere consenserit.

IV. Ex iure novo Tridentini validitatem ratihabitionis non ex libertate consensus, sed ex qualitate loci in quo mulier assentitur, desumendam esse ; ex quo sequitur, Tridentinum induxisse novum impedimentum, quia iure Decretalium fiebat matrimonium, si puella verum dedisset consensum, etsi posita in potestate raptoris.

V. Raptum, impedimentum gignentem, verificari si mulier insidiis aut dolosis sollicitationibus abducatur, ab eo qui raptum agit , ut deinde in matrimonium consentire coacta sit sub raptoris influxu.

VI. Raptum non haberi quoties praecesserint matrimoniales tractatus aut vera sponsalia ; et vir sine dolo mulierem ex condicto abducat ; hoc enim in casu melius appellaretur fuga mulieris cum viro.

VII. In themate impedimentum dirimens, ortum ex raptu, probatum dilucide non fuisse, quum tractatus matrimoniales et sponsalia praecesserint ; et ideo, ex hoc capite matrimonium in sua validitate permanet, donec probetur nullum clandestinitatis vitio.

ARIMINEN.

ABSOLUTIONIS, REDUCTIONIS ONERIS ET TRANSACTIONIS

Die 19 Ianuarii 1889.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Petrus Cherubini ariminensis sub finem elapsi saeculi summam legabat sex millium scutorum, ad hoc, ut quinque ecclesiastica beneficia cum oneribus spiritualibus unicuique propriis fundarentur.

In praesenti vero causa agitur tantummodo de tertio et quinto ex his beneficiis. Tertium dotem obtinuit 1,200 scutorum cum onere missae quotidianae ex stipendio decem solidorum. Hodie tamen ex hac dote deperditus dicitur census scutorum 200. - Quintum beneficium aequalem dotem et aequalia onera habuit ; sed ex obtento apostolico indulto eius missae ad 50 quotannis dicuntur reductae. - Utrumque autem sub patronatus pervenerat cuiusdam Caietani Urbani, quando pseudolex suppressionis beneficiorum a Gubernio civili evulgabatur.

Age vero, hac iniqua facultate innixus patronus, absque Ecclesiae venia, utrumque redemit beneficium, persolutis 1,056 libellis pro tertio, et 1,521: 53 pro quinto. Exinde autem oneribus non satisfecit, exceptis 25 Missis in annum pro utraque capellanía, quas ad arbitrium litare curabat.

Modo vero Caietanus Urbani vita functus est, duos filios unamque filiam, matrimonio iam collocatam, relinquens, ac viduam uxorem ; quae oratrix modo adstat, et exposcit ab Apostolica Sede ut sanentur omnes irregularitates quoad tertiam et quintam cappellaniam, exhibendo libellas 2,500 ex proprio peculio. Ita tamen ut bona duarum cappellaniarum, quae supersunt, libera evadant ab omni vinculo et onere et inserantur patrimoniis filiorum suorum. Episcopus rogatus pro informatione et voto, censuit expetitam gratiam concedendam esse ; adiecitque quod si oratrix e vivis excederet, filii eius probabiliter nihil amplius agerent pro suae conscientiae quiete, et favore causae piae.

Disceptatio Synoptica

Animadversum fuit, casum propositum magis prudentiae quam iuris et iustitiae rem esse. Secundum iustitiam enim omne lucrum remittere deberent haeredes Urbani, et insuper veniam petere de participatione, si quam habuerunt, ad iniquum usurpationis consilium et ad intermissionem missarum. Quo facto tantummodo absolvi de iure deberent.

At vicissim satagendum est, ne propter desiderium optimi, bonum ipsum amittatur. Aliunde licet lucrum aliquod supersit haeredibus Urbani, et ecclesia illud amittere debeat; nihilominus cum hi parati sint ad renunciandum iuripatronatui, sicut futurum spondet oratrix, et ideo ecclesia summam recipiat absque hoc servitutis vinculo ; iam imminutio redituum aliquam compensationem ex concessa libertate recipere videtur.

Quibus animadversis quaesitum fuit quomodo preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. Sacra O. C. re visa, sub die 19 Ianuarii 1889 , censuit respondere : ***Firma remanente amissione iurispatronatus, salutisque, brevi manu, libellis 2,500, ab Episcopo caute et utiliter investiendis pro respectivis causis piis; pro gratia retinendi enunciata bona ac de eisdem libere disponendi, facta Episcopo facultate reducendi Missas ad ratam redituum, facto verbo cum SSmo.***

APPENDIX V.

In qua plura referuntur Decreta S. Rituum Congregationis.

MUT1NEN.

Vertente anno 1873 Rmus Dnus Ioseph Maria Guidetti e Comitibus Guidi hodiernus Archiepiscopus Mutinen. tanquam Sedis Apostolicae delegatus secundam in Metropolitano Capitulo erexit Dignitatem, titulo Praepositurae, assignans quidem huic novae Dignitati secundum Chori stallum, et tertium Canonico Theologo, qui antea secundo vel quarto potiebatur pro maiori vel minori cum Canonico Poenitentiario prioritate, tunc vacante uti etiam nunc, sed canonice non suppresso Archidiaconatu, qui tertia sede fruebatur in Choro. Nulla quidem in Metropolitano Capitulo Mutinensi presbyteralis vel diaconalis aut subdiaconalis ordinis unquam extitit distinctio: attamen vigore antiquae consuetudinis neque Canonicus Theologus, neque Poenitentiarius, cum unus vel alter secundo potiebatur stallo, adsistentiam Cathedrae Archiepiscopali praestabat.

Verum immutatio per novae Dignitatis erectionem in Capitulo indicta, occasionem praebuit controversiae, utrum scilicet praefata adsistentia pertineret ad novum Praepositum vel potius ad Canonicum Theologum : quae quidem controversia ab initio suspensa mansit, qui novus Praepositus vix accepta suae dignitatis possessione aegrotavit, et infirmus fuit usque ad mensem Decembris 1878 quo obiit.

ïmmisso tamen in Dignitatis possessione hodierno Praeposito , quaestio inter Canonicum Theologum et Capitulum iterum exarsit. Rev. enim Dnus Augustinus Pini, hodiernus Canonicus Theologus Orator innixus dispositioni Caeremonialis Episcoporum C. L. I. contendebat adsistentiam Cathedrae Episcopali non ad se qui tertio potitur in Choro stallo, sed ad novum Praepositum spectare , utpote qui iuxta enunciatum Caeremoniale Episcoporum immediate sedet post primam Dignitatem.

Capitulum e contra totis viribus affirmare nitebatur hanc adsistentiam ad Canonicum Theologum pertinere, quia tertium obtinet stallum, asserens consuetudinem de qua supra, vi cuius antea ab adsistentia ipsa dispensabatur, quia secundam sedem in Choro tenebat adhuc vigere eo vel magis quod ipse Rmus Archiepiscopus in suo erectionis decreto illam confirmasse videtur quando huius Dignitatis

naturam et proprietates edisserens asserit conditiones dignitatis eiusdem ab actuali Capituli statu esse deducendas sive ipsae lege invectae sint, sive consuetudine.

Ne vero controversia ipsa ulterius progrederetur , idem Canonicus Theologus de consilio etiam Rmi Archiepiscopi Mutinen. Sacrae Rituum Congregationi sequens proposuit Dubium, opportunam ab ea expetens solutionem, nimirum: An enunciata innovatione in Capitulo Mutinen. facta, servari in posterum debeat Caeremoniale Episcoporum, vel antiqua consuetudo de qua supra pro adsistentia Cathedrae Episcopali praestanda.

Et Sacra eadem Congregatio, re maturo examine perpensa, auditoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem subscripti Secretarii proposito Dubio rescribere rata est: Ratione factae innovationis, servetur omnino Caeremoniale Episcoporum. Atque ita rescripsit, et servari mandavit. Die 16 Ianuarii 1880.

AURELIANEN.

Rmus D. Petrus Coulliè Episcopus Aurelianen, a S. Rituum Congregatione sequens Dubium declarari humillime petiit, nimirum :

An servari possit consuetudo ut in Exequiis parvulorum Missa de die, vel votiva de Angelis legatur, vel cantetur?

Et Sacra eadem Congregatio referente Sacrorum Rituum Congregationis Secretario , auditaque sententia unius ex Consultoribus eiusdem Sacrae Congregationis, omnibus perpensis sic declarare censuit : servetur consuetudo; sed Missa votiva de Angelis legatur, vel cantetur tantum diebus a Rubrica permissis. Atque ita declaravit ac rescripsit. Die 30- Ianuarii 1880.

MINDONIEN.

Quum Rmus D. Episcopus Mindonien. efflagitasset an uti potuisset pyxide vitrea ad servandam et et administrandam sacram Synaxim locis sylvestribus, ac imperviis, ubi latrones metalli amore capti pyxidis furantur horrendum sacrilegium perpetrantes; Sacra Congregatio respondit : Negative , Die 30 Ianuarii 1880.

YIVARIEN.

Hodiernus Episcopus Vivarien. in Sacra visitatione suae Dioeceseos plurima invenit altaria quorum sepulchrum accurate coemento clauditur, nullo tamen remanente vestigio sigilli episcopalis. Ex iis autem altaribus quaedam sunt non ita pridem consecrata de quibus certo constet quod sepulchrum non fuerit reseratum; quaedam vero a multis iam annis con-

secrata, super quibus non adest eadem certitudo , sed tantum magna probabilitas. De hac irregularitate sollicitus Rmus Orator volensque ut omnia recto ordine fiant, Sacrae Rituum Congregationi sequentia Dubia humillime enodanda proposuit, nimirum:

Dubium i. Utrum Altaria portatilia interdicenda sint ob amissionem sigilli episcopalis, intactis remanentibus sepulchro et reliquiis ?

Dubium .11. Et quatenus negative, utrum sepulchro apponi possit et debeat sigillum episcopale?

Dubium III. Utrum eadem Altaria portatilia interdicenda sint , quando non adest plena certitudo, sed tantum magna probabilitas, quod sepulchrum non fuit reseratum et denuo consecranda sint?

Sacra vero Rituum Congregatio, audita sententia Rmi Assessoris ipsius ad relationem subscripti Secretarii, propositis Dubiis rite perpensis, sic rescribendum censuit.

Ad I. Affirmative, nisi constet rite fuisse consecrata.

Ad II. Apponi posse.

Ad III. Provisum in primo. Atque ita rescripsit et declaravit. Die 28 Februarii 1880.

MARIANEN.

Rmus Episcopus Marianen, exposuit Sacrae Rituum Congregationi Seminarium suum Dioecesanum commissum esse curae, et administrationi Clericorum Congregationis Missionis s. Vincentii de Paulo quod Seminarium in duas partes divisum est, Maius nempe et Minus. In Seminario Maiori soli docent et moderantur Sacerdotes praedictae Congregationis, in Minori autem eisdem quidem est regimen commissum, ast plures adlaborant Sacerdotes Dioecesani institutioni iuventutis. Quum Clerici eiusdem Congregationis Missionis suum habeant Officium a Dioecesano diversum, sequens exortum est Dubium: An in Oratorio, vel Ecclesia supradicti Seminarii Dioecesani servari debeat Kalendarium Ecclesiae Cathedralis ,* vel potius Kalendarium Congregationis Missionis? Hoc ipse Rmus Episcopus Sacrae Rituum Congregationi declarandum humillime proposuit.

Sacra eadem Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, enuntiato dubio rite perpenso rescribendum censuit : Affirmative ad primam partem ; Negative ad secundam. Atque ita rescripsit, et declaravit. Die 20 Martii 1880.

ORDINIS S. IOANNIS DE DEO

Rmus P. Ioannes Maria Alfieri Generalis Ordinis S. Ioannis de Deo a Sacra Rituum Congregatione insequentis Dubii solutionem humillime efflagitavit, nimirum :

Utrum Regulares habentes Festa propria, sed ad normam Ru-

bricarum Breviarii Romani se conformantes Kalendariis Dioecesium Hispaniarum, teneantur se conformare etiam ad Octavas Festorum Dioecesium, quando non adest Decretum pro Regularibus?

Et Sacra eadem Congregatio, referente infrascripto Secretario, eiusmodi Dubio rite perpenso rescribendum censuit: Negative, et dentur Decreta in una Panormitana diei 10 Septembris 1741 et Florentina diei 14 Iunii 1843 ad primum.

Atque ita rescripsit, et declaravit. Die 20 Martii 1880.

SANCTI DEODATI

Quum Rmus D. Maria Camillus Albertus de Briey Episcopus S. Deodati Sacrae Rituum Congregationi sequens Dubium declarandum proposuerit, nimirum :

An Missam exequialem praesente corpore celebrare liceat in Festis de praecepto primae classis, quorum, ex Apostolico Indulto diei 9 Aprilis 1802 pro reductione Festorum in Gallia, solemnitas ad Dominicam proximam insequentem translata, istius Missae celebrationem, ea dominica impedit?

Sacra eadem Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ac referente infrascripto Secretario, sic declarare censuit : Negative, et detur Decretum in una Namurcen, diei 23 Martii 1835 ad 14 quaesitum (1). Atque ita declaravit et rescripsit. Die 20 Martii 1880.

(1) NAMURCEN. Dubium 14. In Belgio, sicuti in Gallia vi reductionis Festorum factae autoritate sa. me. Pii Papae VII. plura sunt Festa, quorum solemnitas transfertur in Dominicam proxime occurrentem. Exinde plurimae exortae sunt difficultates ad praxim, pro quarum solutione, quaeritur 1. An Missa canenda sit more votivo cum unica Oratione in Dominica, quando Festum, cuius solemnitas transferenda praescribitur, incidit in ipsam Dominicam v. g. anno praeterito Sanctorum Petri et Pauli? 2. An commemoratio omnium Sanctorum Apostolorum, facienda in solemnitate Sanctorum Petri et Pauli, habeat locum in die festivitatis vel in Dominica in quam solemnitas transfertur, vel in utraque? 3. Idem quaeritur quoad Parochias, quarum Sanctus Stephanus est Patronus, de commemoratione omnium Sanctorum Martyrnm iii ipsius Festivitate praescripta? 4. Ex instructione data Parisiis die 11. Decembris 1806. a Cardinale Legato a Latere, sola solemnitas praefatorum Festorum differtur in Dominicam subsequentem, in qua Officium quidem a Clero tam publice, quam privatim, et Missa recitabatur iuxta Rubricas occurrentes seu iuxta consuetum ordinem, canitur tamen una Missa Solemnis de Festis illis more votivo cum unica Oratione: an autem Officium etiam vespertinum Dominicae occurrentis, si fiat de ea, cantandum est solemniter, sen cum pompa, servato tamen ritu semiduplici ratione solemnitatis translatae? 5. In reductione Festorum Pius Papa VII. eam legem adiunctam esse voluit, ut « in festis diebus, » vigiliisque eas praecedentibus, quae suppressae decernuntur, in omnibus Ecclesiis » de consueto Divinorum Officiorum, sacrarumque caeremoniarum ordine ac ritu » nihil innovetur, sed omnia ea prorsus ratione peragantur, qua hactenus consue_

DELEGATIONIS APOSTOLÍGAE PERUVIANAE.

Rmus Dnus Marius Mocenni Archiepiscopus Heliopolitanus, ac Delegatus Apostolicus Peruvianus de Sacrae Liturgiae observantia summopere sollicitus a Sacra Rituum Congregatione humiliter expetivit: An antequam SSmum. Eucharistiae Sacramentum, quod occasione Orationis Quadraginta Horarum, vel alia quacumque ex causa, publicae adorationi expositum fuit, in Tabernaculo reponatur, debeat Sacerdos canere hymnum ***Tantum ergo*** usque ad finem cum versiculis et Oratione ***Deus qui nobis*** ac deinde, servatis iuxta Rituale Romanum servandis, cum Ostensorio

» verunt. Die 9 Aprilis 1802. » An igitur in Festis, quorum solemnitas differtur in occurrentem proximam Dominicam Officium publicum tam matutinum, quam vespertinum peragendum est sicut ante reductionem? 6. An licet cantale Missam *de Bequie,* **praesente corpore, in Dominicis in quas transfertur solemnitas illorum Festorum primae Classis ? An illud licet in ipso die festivitatis ? 7. An indulgentiae concessae festis primae classis, quorum solemnitas transfertur ut supra, cadunt in ipsam solemnitatem, vel in festivitatem? 8. Nonnullis festis quorum solemnitas differtur in Dominicam sequentem interdicuntur Sacra in Sacellis domesticis, quaeritur an illud interdictum intelligendum sit de die festivitatis, vel de Dominica, in qua fit solemnitas? 9. Si in unam eamdemque Dominicam incidat solemnitas translata v.g. Sanctorum Petri, et Pauli, et Patroni Dioecesis, vel Parochiae, equidem celebranda erit dignior, an altera transferenda sit in ipsam Dominicam, quae si fuerit impedita, an adhuc in aliam ? Si Dominica ad quam iuxta Indultum praefatum transferenda esset solemnitas, sit dies propria Sancti Ioannis Baptistae, an solemnitas Patroni, transferenda erit ad Dominicam impeditam, quum festum S. Ioannis sit eiusdem ritus, nec transferri possit, ne duplex solemnitas primae Classis eadem die in una Ecclesia peragatur. Dicitur sequens responsum ab Eminentissimo Cardinale Caprara pro tempore Legato a Latere datum fuisse Dubiis propositis a Cambiarensi Episcopo. 1. « Si in unam, eamdemque Dominicam incidat solemni-**
» tas translata tum Anniversarii dedicationis, tum Patroni, ea solemnitas celebranda
» erit de digniori, scilicet de dedicatione, translato minus digno, id est Festo Pa-
» troni ad primam Dominicam non impeditam iuxta Rubricas. >; 2. « Si Dominica
» ad quam iuxta Indultum reductionis Festorum diei 9 Aprilis 1802 transferenda
» esset solemnitas Patroni sit dies propria Sancti Ioannis Baptistae ; tunc solemni-
» tas Patroni transferenda erit ad primam Dominicam non impeditam iuxta Rubri-
» eas, ne scilicet (quum Festum Sancti Ioannis Baptistae sit eiusdem ritus, nec
» transferri possit) duplex solemnitas primae Classis eadem die in una Ecclesia
» peragatur. » An praefatum responsum sit authenticum, et applicandum similibus casibus ?

Ad 14. «Quaest. 1. Negative: quaest. 2. In die Festi: quaest. 3. Ut ad proximum: quaest. 4. Posse: quaest. 5. Affirmative: quaest. 6. Servetur Rubrica sicut ante reductionem Festorum, et extendatur etiam ad Dominicam : quaest. 7. Recurrat ad Sacram Congregationem Indulgentiarum: quaest. 8. In die festi: quaest. 9. Affirmative: quaest. 10. Iuxta Instructionem a Cardinale Legato a latere Episcopo Cambiarensi datam. »

signum Crucis super populum facere ?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, auditoque Rmo Assessore ipsius Sacrae Congregationis, sic respondendum censuit: Affirmative, et dentur Decreta in Ultraiecten., diei 11 Iulii 1857, in una Ordinis Capuccinorum Provinciae Helvetiae die 23 Maii 1835 , et in Camerinen. diei 26 Martii 1859. Atque ita respondit et rescripsit. Die 15 Aprilis 1880.

AQUEN.

Vicarius Generalis Dioeceseos Aquen. a Sacra Rituum Congregatione insequentis Dubii authenticum responsum humillime exquisivit nimirum :

Num Ecclesiae, quae Indultum obtinuerunt ab Apostolica Sede bis vel ter in hebdomada Missam de Requie cantandi in duplicibus, tali Indulto frui adhuc possint si in eadem hebdomada totidem Officia semiduplicia occurrant?

Et Sacra eadem Congregatio respondit: Affirmative. Die 15 Aprilis 1880.

VIGLEVANEN.

Rmus Dnus Petrus loseph de Gaudenzi Episcopus "Vigievanen. summopere exoptans, ut Clerus sibi creditae Dioeceseos tam in Divinis Laudibus persolvendis, quam in singulis ecclesiasticis functionibus peragendis omnia ad Rubricarum praescriptum ac Decretorum placitum rite componat, Sacrorum Rituum Congregationi insequentia Dubia pro opportuna resolutione humillime proposuit, nimirum :

Dubium I. iuxta Decreta ac Rituale Romanum, in administranda Christifidelibus Communione extra Missam semper adhibenda est stola coloris respondentis Officio diei : Quaeritur an etiam bursa a Sacerdote deferenda ante pectus, debeat semper esse eiusdem coloris stolae, prout magis congruere videtur, vel possit in quocumque casu adhibere bursa coloris albi iuxta morem plurium Ecclesiarum , etiamsi stola alium praeseferat colorem ?

Dubium H. Quaeritur an Oratio ***Deus qui nobis sub Sacramento*** recitanda a Sacerdote in Ecclesia sive in distribuenda Christifidelibus Communione extra Missam , sive postquam delatum ab ipso fuerit Viaticum ad infirmos, terminari debeat cum conclusione brevi ***Qui vivis et regnas in Saecula Saeculorum,*** vel cum altera longa ***Qui vivis et regnas cum Deo Patre*** etc.?

Dubium III. Quaeritur an in festo S. Petri Martyris die 29 Aprilis, quando idem Festum transfertur post tempus Paschale recitari debeat in Officio Homilia 1 loco super Evangelium ***Si quis venit*** iuxta Decretum o Martii 1736 in Ein-

silden., cum Missa ***In virtute,*** vel an iuxta supradictum Missale Romae editum 1862, typis de Propaganda, recitanda sit Missa ***Laetabitur*** cum Evangelio ***Si quis vult*** tam in Officio quam in Missa?

Dubium IV. In Missa Feria V in Coena Domini post intonationem ***Gloria in excelsis*** pulsantur Organa et Campanae, quae deinceps silent iuxta Rubricas usque ad Sabbathum Sanctum. Quaeritur an sonitus Organi protrahi possit iuxta Cavalerium usque in finem Hymni Angelici, adeo ut Chorus hunc hymnum prosequatur organi pulsatone cantum intercalante usque ad finem more solito, vel an hymnus Angelicus totus sit decantandus a Choro, quin intermisceatur sonitus Organi quod iuxta Meratum pulsari tantummodo debet aliquantulum post intonationem hymni praedicti, ac postea silere omnino usque ad Sabbathum Sanctum?

Dubium V. In Civitate Viglevanensi duae olim extabant Ecclesiae Parochiales ; quarum una sub titulo S. Christophori Martyris, et altera sub titulo Sancti Dionysii Martyris. Diruta ac solo aequata prima ex iisdem Ecclesiis, Beneficium pro cura Animarum exercenda translatum fuit ad Ecclesiam sub titulo S. Petri Martyris, adeo ut in praesentiarum titulus Beneficii designetur sub nomine S. Christophori, titulus autem Ecclesiae Parochialis sub nomine S. Petri Martyris. Altera vero Ecclesia sub titulo S. Dionysii adhuc quidem subsistit, sed propter eius actitudinem Beneficium curatum translatum fuit paucis abhinc annis ad aliam Ecclesiam in districtu Paroeciae existentem sub titulo S. Francisci Confessoris amplitudine et commoditate illi praeferendam. Iuxta Decretum 21 Iulii 1855 in Capuana nullum videtur extare Dubium, Parochum S. Petri Martyris non amplius teneri ad celebrandum sub situ Duplicis primae classis cum octava Festum rituale Ecclesiae dirutae et destructae. Dubium vero exurgit quoad Parochum S. Francisci quum antiqua Ecclesia Parochialis sub titulo S. Dionysii adhuc subsistat, tamquam suceursalis praesentis Ecclesia Parochialis S. Francisci. Hinc quaeritur I° an Parochus S. Petri Martyris teneatur ad celebrandum sub ritu Titularibus competenti festum tantummodo propriae Ecclesiae Parochialis sub titulo S. Petri Martyris, vel utrumque scilicet Festum S. Christophori, ac Festum S. Petri Martyris ? 2. An Parochus S. Francisci teneantur ad celebrandum supradicto ritu utrumque Festum , scilicet Festum S. Dionysii Titularis antiquae, ac Festum S. Francisci Titularis novae Ecclesiae Parochialis, vel adigatur tantummodo ad celebrandum sub ritu Duplicis primae Classis cum Octava Festum S. Francisci, celebrando alterum S. Dionysii eodem ritu, quo descriptum manet in Kalendario Dioecesano?

Dubium VI. Iuxta Decretum 6 Februarii 1857 in Nortantonien. ad 1 in Suffragiis Sanctorum praeter alias Commemorationes praescriptas est quoque instituenda commemoratio Titularis Ecclesiae ab iis qui sunt de eiusdem gremio , dummodo Ecclesia sit consecrata. Hinc quaeritur I° an haec resolutio censeatur quoque extensa ad alias Ecclesias, adeo ut quando Ecclesiae Parochiales non sunt consecratae sed tantummodo benedictae, nulla institui queat in suffragiis Sanctorum commemoratio de respectivo Titulari a Parochis, aliisque stricte addictis servitio earumdem Ecclesiarum : Et 2° quatenus affirmative, an in suo valore maneat altera obligatio, quae sub poena non satisfaciendi Officio incumbit Parochis aliisque de gremio Ecclesiae, celebrandi sub ritu Duplicis primae classis cum Octava tam Festum Titularis propriae Ecclesiae Parochialis, etsi tantummodo benedictae, quam Anniversarium eiusdem Dedicationis si est consecrata ?

Dubium VII. In Ditione Pedemontana colitur tamquam Patronus principalis totius Regni S. Mauritius Martyr Legionis Thebeae, cuius Festum iuxta Litteras Apostolicas Pii Papae VI datas sub die 27 Maii 1876 loco 22 Septembris uti antea celebratur die 15 Ianuarii sub ritu Duplicis primae classis cum Octava. Porro iuxta Decreta non semel edita hac super re, in suffragiis Sanctorum praeter Commemorationem Patroni principalis Dioeceseos institui quoque debet commemoratio Patroni principalis Loci. Hinc quaeritur an in locis dictae Ditionis specialem seu particularem Patronum non habentibus in Commemorationibus communibus pro Suffragiis Sanctorum fieri quoque debeat Commemoratio de S. Mauritio Martyre, tamquam Patrono principali totius regni?

Dubium VIII. Iuxta Decreta pluries emanata, ius deferendi SS. Sacramentum in Processionibus fieri solitis post Missam solemnem sive in Festo et Octava SS. Corporis Christi, sive in qualibet tertia Dominica cuiuslibet mensis spectat solummodo ad Celebrantem, quocunque alio excluso. Plures autumant hoc servandum quidem esse quotiescumque Missae solemni succedit immediate Processio cum SS. Sacramento, sed aiunt Decreta non extendi ad casum in quo aliqua sequatur interpolatio inter Missam solemnem, et Processionem, vel inter hanc postremam et Vesperas, ratione concionis, vel recitationis Horarum Canonicarum. Hinc quaeritur an quando inter Missam, et Processionem recitetur aliqua ex Horis Canonicis ex. gr. Sexta, et Nona, vel Concio habeatur, aut quando inter Vesperas, et Processionem recitetur Completorium, alius Canonicus seu Sacerdos diversus a celebrante possit induere in sacristia paramenta alba

pro peragenda Processione SSmi Sacramenti ?

Dubium IX. In Civitate Viglevanensi duae extant Paroeciae praeter Cathedralem. In prima ex ipsis S. Petro Martyri dicata, tum cum horis vespertinis peraguntur exequiae super cadavera defunctorum adest perantiqua consuetudo recitandi seu cantandi a Clero cunctas preces a Rituali praescriptas usque ad ultimam orationem ***Fac quaesumus Domine*** inclusive etiam quando Cadavera Defunctorum ad sepulturam non deferuntur, sed servantur in aliquo loco decenti prope Ecclesiam ut mane subsequentis diei celebrari possit in eorumdem suffragium Officium cum Missa cantata de Requie praesente Cadavere, quod absoluta vix Missa defertur ad Coemeterium absque repetitis precibus exequialibus. In altera vero Paroecia S. Francisci tum cum persolvitur Officium Defunctorum cum Missa cantata de Requie praesente Cadavere pridie vespere ad Ecclesiam delato, sero antecedenti cantantur exequiae usque ad Orationem ***Non intres,*** ac reliquae preces complentur mane subsequentis diei post absolutam Missam de Requie. Quaeritur , an in unaquaque Paroecia sustineri possit invecta consuetudo , vel an consuetudo existens in Paroecia **S.** Petri Martyris sit tamquam abusus reprobanda, atque eliminanda?

Dubium X. Saepe saepius accidit in enuntiatis regionibus, ut occasione funerum cadaver horis vespertinis sepulturae tradatur, ac postea mane subsequenti diei celebretur Missa cantata de Requie, ut in die obitus, in suffragium defuncti pridie vespere sepulti. Olim interrogata Sacra Rituum Congregatio num in hoc casu celebrari possit Missa cantata pro anima illius defuncti iisdem diebus, in quibus, locum habet corpore praesente, sub die 7 Septembris 1816 in Tuden. ad 43 respondit « Affirmative dummodo non sit Duplex 1 , vel 2 Classis, aut festivum de praecepto. » Rursus interrogata a Clero Civitatis Taurinen, sub die 11 Aprilis 1840 respondit « Missam ut in casu cantari posse , exceptis tamen diebus, in quibus Missae canta ta e de Requie prohibentur, absente cadavere. » Quamvis huiusmodi responsiones satis explicitae videantur, attamen cum ex hisce resolutionibus non omnes dirimi valeant dubitationes , praesertim si ratio habeatur Decreti 23 Septembris 1837 in Sutrina quo declaratum fuit posse cantari hanc Missam de Requie in Feria secunda maioris Hebdomadae; hinc ad eliminandas quaestiones, et opinionum varietates, quae adeo optatam uniformitatem assequi non sinunt; Quaeritur **I**° An pro Defuncto pridie vespere defuncto ob aliquam rationabilem causam cantari possit mane subsequentis diei Missa de Requie ut in die obitus in omnibus duplicibus sive minoribus si-

ve maioribus, in Vigiliis Epiphaniae, Pentecostes, et Nativitatis Domini, in Feria IV. Cinerum, in primo Triduo Maioris Hebdomadae, ac infra Octavas privilegiatas , exceptis propterea tantummodo omnibus diebus Dominicis, ac festivis de praecepto, Duplicibus 1, et 2 Classis, secundo triduo Maioris Hebdomadae, die Octava Epiphaniae, ac SS. Corporis Christi, ac diebus in quibus expositum est pro Oratione Quadraginta Horarum? 2. et quatenus negative, num inter dies exceptos comprehendi quoque debeant Feria IV Cinerum, Vigilia Pentecostes, et Nativitatis Domini, atque Octavae privilegiatae ?

Dubium XI. Iuxta Decretum 7 Augusti 1694 a Spiridione Fabii relatum, Tertiarii S. Francisci degentes in saeculo possunt uti Breviario Ordinis Minorum, et illius Kalendario sese conformare. Verumtamen cum ex hac resolutione nonnulla exorta essent dubia, hinc quaeritur I° An Sacerdos Saecularis adscriptus Tertio Ordini sancti Francisci etiam curam animarum habens, sed Choro nullimode obligatus, possit in quacumque die ac pro lubito suo se conformare Kalendario edito in usum Fratrum Minorum Ordinis Observantiae S. Francisci sive quoad Officium et Missam, sive quoad alterutrum tantum ex ipsis, semper vero exceptis obligationibus particularibus quae incumbere possunt ratione occurrentiae Patroni Principalis Dioecesis, vel Titularis, aut Dedicationis propriae Ecclesiae? 2° Et quatenus affirmative, an occurrente ex. gr. in Kalendario Ordinis S. Francisci aliquo Officio iam recitato, iuxta Kalendarium Dioecesanum possit in hoc casu se uniformare Kalendario Minoritico , ac denuo recitare Officium translatum ibidem occurrens?

Dubium XII. An Presbyter assistens primae Missae neo-Sacerdotis, uti debeat stola a principio Missae usque ád finem, uti assolent nonnulli, vel an eam assumere debeat a principio Canonis usque ad Consummationem tantum ?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, auditoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris , propositis Dubiis accurato examine perpensis rescribendum censuit :

Ad I. Convenit ut Bursa sit eiusdem coloris, ac stola a Sacerdote deferenda.

Ad II. Oratio ***Deus qui nobis*** concludi debet ut in ultima editione Ritualis Romani anni 1874.

Ad III. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.

Ad IV. Servetur consuetudo.

Ad V. Quoad primam quaestionem , negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Quoad alteram, celebret Festum s. Francisci in Ecclesia s. Francisci; Festum s. Dionysii in Ecclesia succursali sancti Dionysii.

Ad VI. Ad 1 Sufficit ut sint benedictae ; ad 2 Affirmative quoad Festum Titularis, Negative quoad Anniversarium Dedicationis Ecclesiae quae non sit consecrata.

Ad VII. Affirmative in casu.

Ad VIII. Negative, nisi sit Episcopus vel alia Dignitas.

Ad IX. Servetur praescriptum Ritualis Romani.

Ad X. Ad primum Affirmative, ad secundum Provisum in primo.

Ad Xl. Ad I. Affirmative, sed quoad Officium et Missam ; ad II. Affirmative.

Ad XII. Servetur consuetudo.

Atque ita rescripsit, et servari mandavit. Die Id Iunii 1880.

BARCINONEN.

Sanctimoniales Monasterii S. Petri vulgo nuncupati ***de las Puellas*** in Civitate Barcinonensi obtenta apostolica venia Monasterium, ubi antea degebant, vendiderunt, ut novum in alio loco extruerent, in quo nunc commorantur. At vero in Ecclesiam antiqui Monasterii ius proprietatis sibi reservantes, eiusdem usum Parocho cesserunt. His expositis Superiorissa earumdem Sanctimonialium a Sacra Rituum Congregatione insequentis Dubii resolutionem humillime postulavit, nimirum: Utrum praefata Religiosa Communitas, ob ius proprietatis, quod habet in Ecclesiam ipsam, teneatur, ad officium Dedicationis eiusdem?

Sacra eadem Congregatio referente infrascripto Secretario, re mature perpensa respondendum censuit: Non teneri. Atque ita respondit, ac decrevit. Die 7 Augusti 1880.

LUCEN.

Magister Sacrarum Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Lucen, de consensu sui Rmi Episcopi a Sacra Rituum Congregatione insequentis Dubii declarationem humillime exquisivit, nimirum :

An diebus, quibus excluduntur Commemorationes ratione Vigiliae privilegiatae vel solemnium Festorum nempe Titularis, et Patroni, nec non Circumcisionis, Epiphaniae Paschae, Ascensionis, Pentecostes, SSmi Cordis Iesu, aliarumque Festivitati! m Domini facienda sit Commemoratio SSmi Sacramenti ratione Expositionis ?

Et Sacra eadem Congregatio, referente infrascripto Secretario, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris rescripsit : In Missis solemnibus Affirmative, in privatis Negative.

Atque ita declaravit, ac rescripsit. Die 7 Augusti 1880.

HISPALEN.

Perillustris et Rme Dne uti Frater , Exposuit Rmus Vicarius Generalis istius Archidioeceseos

huic Sacrae Rituum Congregationi, perantiquam consuetudinem in Metropolitana Ecclesia Hispalen. hactenus servatam invaluisse tradendi Clavem Monumenti, seu Capsulae, ubi Feria V, in Coena Domini SSmum Eucharistiae Sacramentum reponitur, Praefecto seu Gubernatori provinciae civilis, ut eam e collo pendentem usque ad Feriam VI. in Parasceve palam deferat; et singularem hunc honorem, quem magni facere solent eiusmodi Dynastae, pro fundamento habere universalem Patronatum Regis Catholici cuius personam et auctoritatem ipsi gerunt in omnes Regni Hispaniarum Ecclesias.

Iamvero quum ipsimet Vicarius Generalis advenerit huiuscemodi consuetudinem Sacrae huius Congregationis generalibus decretis omnino adversari, ad removendam quamlibet collisionem inter potestatem civilem et ecclesiasticam, humillimas porrexit preces pro obtinenda speciali dispensatione in casu, saltem usque dum Regius Patronatus, ab Apostolica Sede concessus, et recognitus fuerit.

Sacra vero Congregatio, referente subscripto Secretario, omnibus accurate perpensis sic in casu decernendum censuit: Tolerari posse, ut praeter Clavem realem Monumenti seu Capsulae, quae prorsus servanda erit penes Sacerdotem, alia symbolica Clavis tradatur praefato Gubernatori Provinciae civilis. Die 7 Augusti 1880.

Perillustri et Rmo Dno uti Fratri Archiepiscopo Hispalensi.

AUXIMANA.

Sacerdos Pius Quatrini Canonicus Coadiutor Insignis Collegiatae Ecclesiae S. Donati oppidi Montis Fani Dioeceseos Auximanae, Sacrae Rituum Congregationi humillime exposuit se olim, quum tres tantummodo Canonici, praeter Beneficiatus ad Vesperas solemniter celebrandas convenissent, a quodam Canonico prohibitum fuisse ne quartam antiphonam praecineret, quae sibi a Cantore iam praeintonata fuerat. Ipse vero ne contentiones exorirentur ab antiphona intonanda abstinuit, et passus est Canonicos digniores vices supplere; attamen quum sibi persuadere non possit, quod idem Canonicus acriter propugnat, scilicet id muneris, etsi Canonici quatuor adsint, ad Coadiutorem non spectare, si Coadiutus Vesperis intersit, et antiphonam intonaverit, eamdem Sacram Congregationem sui Rmi Episcopi consensu supplex rogavit ut sequens Dubium dirimere dignaretur, nimirum:

An deficientibus quatuor Canonicis, qui Vesperarum antiphonas incipiant, Canonicus Coadiutor ius habeat antiphonam praecinendi, etiamsi Coadiutus Choro intersit et antiphonam iuxta ordinem intonaverit?

Sacra Rituum Congregatio, ex-

quisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris auditaque sententia Rmi Assessoris ipsius Sacrae Congregationis, ad relationem subscripti Secretarii rescribere rata est : Affirmative. Atque ita rescripsit. Die 7 Augusti 1880.

AUXITANA.

Quum Rev. D. Salomon Canonicus honorarius Metropolitanae Ecclesiae Auxitanae, de consensu sui Rmi Archiepiscopi a Sacra Rituum Congregatione insequentis Dubii declarationem humillime postulaverit nimirum : Utrum Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti argento, auro, vel alia pretiosa materia confectum, eo ipso, a generali obligatione illud tegendi Gonopoeo sit immune?

Sacra eadem Congregatio, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem infrascripti Secretarii sic rescribendum censuit : Servetur praescriptum Ritualis Romani. Atque ita rescripsit. Die 7 Augusti 1880.

SANCTI IACOBI DE CHILE.

In Metropolitana Ecclesia Sancti Iacobi de Chile mos viget ab immemorabili tempore inductus recitandi Horas Canonicas minores ante Missam Solemnem seu Conventualem iis diebus, in quibus locum habeat Concio vel Processio. Hodiernus porro praefatae Ecclesiae Archidiaconus dubitans an licite eiusmodi mos continuari valeat, a Sacra Rituum Congregatione opportunam imploravit declarationem.

Sacra vero eadem Congregatio, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris ad relationem, infrascripti Secretarii declarare censuit : Negative quoties fieri debeat Concio; Affirmative si agenda sit Processio cum Sanctissimae Eucharistiae Sacramento. Atque ita declaravit, ac rescripsit. Die 7 Augusti 1880.

AMALPHITANA.

Quum ex Decreto Sacrae Rituum Congregationis diei 26 Iunii 1821 Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum, Cathedrali excepta, in Archidioecesi Amalphitana, quotannis recolitur Dominica quae postrema occurrit in mense Octobri, Rmus Dnus hodiernus Archiepiscopus ab eadem Sacra Congregatione exquisivit: Num huiusmodi Festum in omnibus suae Archidioeceseos Ecclesiis vel in solis consecratis peragendum sit, excepta licet Cathedrali cuius Anniversarium Dedicationis Dominica prima Septembris celebratur? Sacra vero eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, auditoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris in casu declaravit: Affirmative ad primam partem ;

Negative ad secundam. Atque ita declaravit et rescripsit. Die 20 Augusti 1880.

BRIXIEN.

Rme Due uti Frater, Exposuit A. T. huic Sacrae Rituum Congregationi consuevisse in quibusdam istius Brixien. Dioeceseos Ecclesiis statutis diebus coram SSmo Sacramento Eucharistiae decantari quasdam invocationes ad instar Litaniarum Sacratissimi Cordis Iesu. Dubitans vero ipsa A. T. an eiusmodi mos tolerari possit et debeat, ab eadem Sacra Congregatione authenticam in re exquisivit declarationem..

Sacra itaque Congregatio A. T. per praesentes litteras declaravit, praefatas invocationes ad instar Litaniarum haud licite posse in Ecclesiis recitari, praesertim coram Sanctissimo Sacramento quippe quae Sanctae Sedis approbatione prorsus careant Die 24 Augusti 1880.

BRIOCEN,

Vicarius Generalis Rmi Episcopi Briocen. insequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi humillime enodanda proposuit nimirum :

Dubium. I. Rubrica Ritualis Romani in Ordine Exequiarum quoad benedictionem tumuli sic se habet: *cum autem pervenerit ad sepulchrum si non est benedictum Sacerdos illud benedicat dicens hanc orationem....* Quaeritur 1. An Sacerdos debeat facere hanc benedictionem etiamsi Sepulchrum adsit in Coemeterio iam antea benedicto, adeo ut in omnibus Exequiis fidelium, saltem eorum qui ad usum rationis pervenerint, benedictio Sepulchri sit requisita, excepto solummodo casu Sepulchri iam antea, ut talis benedicti? 2° Cum formula benedictionis tumuli a Rituali Romano tradita loquatur tantum de defunctis, qui ante decessum ex hac vita peccare potuerunt, cumque aliunde idem Rituale benedictionem tumuli parvulorum non praescribat, nec formulam specialem pro benedictione talis tumuli tradat, quaeritur : Quid de benedictione sepulchri, parvulorum? An in omni casu omittenda sit, sive parvuli sepeliantur in Coemeterio iam antea benedicto, sive sepeliantur in Coemeterio non prius benedicto ; et si omitti non debet quomodo talis benedictio facienda erit ?

Dubium II. Tum in Rituali, tum in Missali reperitur tantum Benedictio Sacerdotalium indumentorum in genere, non autem in specie. Quare quaeritur: Quando Sacerdos facultatem habens benedicere vult unum tantum indumentum ex. gr. cingulum, an dictus Sacerdos uti debeat eadem supradicta formula generali, mutando numerum pluralem in numerum singularem, et

si Sacerdoti facultatem habenti uti non licet formula benedictionis indumentorum in specie quae requiritur in Pontificali, quid sentiendum de benedictione* unius yel plurium Indumentorum Sacerdotalium ab ipso facta, si usus sit formula benedictionis in specie excerpta e Pontificali Romano? Benedictio in casu habenda est ut valida?

Dubium III. Docent auctores quod Palla sit benedicenda simul cum Corporali, et non aliter. Quare quaeritur i, an Palla possit benedici separatim a Corporali, ex. gr. quando Corporale est iam benedictum, et adest nova Palla, seu adsunt novae Pallae absque Corporali benedicendae? 2. Quando autem benedicitur una Palla simul cum unico Corporali, quaeritur an Orationes praescriptae recitari debeant numero singulari, veluti si unum tantum adesset Corporale benedicendum? 3. Tandem si plures adessent pallae benedicendae simul cum uno tantum Corporali, vel plura Corporalia absque vel simul cum una, vel pluribus pallis, quaeritur an Minister benedictionis uti debeat numero plurali ?

Dubium IY. Tradendo formulam benedictionis novae Crucis Rituale Romanum post primam Orationem adiungit alteram sub Rubrica *alia Oratio ad idem,* quaeritur: 1. an haec secunda Oratio possit omitti a Sacerdote benedicente sine solemnitate unam vel plures parvas Cruces, adeo ut dicta prima Oratione praedictam Crucem seu praedictas Cruces, aspergat aqua benedicta, omissa secunda Oratione, et adoratione de qua in Rubrica sequenti ? 2. Quando Crux praesertim parva cum imagine SSmi Crucifixi est benedicenda, quaeritur an sumenda sit formula benedictionis novae Crucis, vel potius formula benedictionis Imaginum D. N. Iesu Christi ?

Dubium Y. Sabbatho Sancto, nec non Sabbatho in Vigilia Pentecostes in benedictione Fontis plerumque, si non semper, Fons Baptismatis non potest capere aquam sat copiosam ut Christifideles recipere queant in vasis (ante Olei infusionem) de hac aqua benedicta, ad eam habendam in suis domibus, cubiculis etc. Igitur quaeritur an liceret dolium, vel aliud vas sat amplum aqua refertum iuxta fontem ponere, et aquam in ea contentam benedicere secundum ritum praescriptum Sabbatho Sancto usque ad effusionem Sancti Olei exclusive, et peracta hac prima parte benedictionis, de dicta aqua benedicta in fontem baptismatis fundere, et tum supra ipsum fontem prosequi benedictionem, uti in Missali legitur, relicta aqua, quae remanet in dolio usui fidelium?

Dubium VI. Hodie saltem in Gallia lunula, seu parva capsula, in qua includitur Hostia reponenda in Ostensorium, expositionis SSmi

Sacramenti causa, efformatur duobus parvis circulis deauratis duplici etiam crystallo munitis, adeo ut Hostia locata in dicta parva capsula clare per vitrum appareat ex utraque parte eiusdem capsulae. Quando autem Hostia est consacranda ad exponendum SSmum Sacramentum, praefata lunula seu capsula ex Ostensorio extracta apprime clausa, et Hostiam consecrandam continens reponitur initio Missae super corporale, et quaeritur : An ante oblationem et praesertim ante consecrationem aperienda sit dicta lunula seu capsula quamvis Hostia per vitrum seu crystallum plane appareat Sacerdoti, sicut discooperiendum est iuxta Rubricam Missalis vas hostiarum consecrandarum adeo ut non sit licitum consecrare Hostiam crystallo seu vitro coopertam sive remanentem inclusam inter duo crystalla lunulae?

Sacra itaque Rituum Congregatio, exquisito voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, auditaque sententia R. P. D. Laurentii Salvati S. Fidei Promotoris, ad relationem infrascripti Secretarii, omnibus accurato examine perpensis, sic rescribere rata est :

Ad I. Quoad primam quaestionem, Affirmative quoties agitur de Sepulchro ex nova materia confecto ; quoad secundam quaestionem, satis esse servare quae a Rituali Romano praescribitur.

Ad U. Affirmative, servandam tamen esse formulam in Missali Romano praescriptam.

Ad III. Ad primam quaestionem, Affirmative; ad secundam et tertiam, Formula recitanda prout iacet.

Ad IV. Quoad primam quaestionem, Negative ; quoad secundam, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.

Ad V. Affirmative, idest licet perficere in uno tantum vase extra fontem posito benedictionem aquae deinde fundendae in fontem ipsum ante immixtionem Sancti Olei.

Ad VI. Affirmative, et detur Decretum in una Vicariatus Apostolici de Dania diei 4 Februarii 1871 ad 4. (1).

Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit. Die 4 Septembris 1880.

PAPIEN.

Rmus D. Augustinus Riboldi Episcopus Papien. Sacrae Rituum

(1) VICARIATUS APOSTOLICI DE DANIA. Dubium 4. Numquid ad sacram Hostiam in Ostensorio exponendam uti liceat Lunula, quae consistit ex duobus orbiculis vitreis tenui limbo vel circulo argenteo deaurato circumiunctis et claudendis ita ut sacra Hostia subter inhaereat ipsi circulo argenteo, ast ante et retro vitreos orbiculos ipsos immediate tangat, et per eos erecta teneatur?

Resp. Ad 4. Prout in casu exponitur non decere sacras species inter vitreas laminas includere, quarum superficies illas immediate tangant.

Congregationi sequentia Dubia enodanda humillime subiecit, nimirum :

I. Utrum Episcopus permittere possit Clericum tonsuratum vel saltem Minoristam Subdiaconi in Missa munere fungi, quamvis Sacerdotes adsint; qui tamen vel cantui, vel Confessionibus excipiendis, vel aliis sacri ministerii operibus incumbunt? Et in casu absoluti defectus Sacerdotum, an idipsum fas sit Episcopo in ruralibus Parochiis permittere, vel potius Missa canenda ibidem sit absque adsistentia sacrorum Ministrorum?

II. An tolerari possit et debeat consuetudo qua in Missis de Requie organa pulsantur ut suppleantur defectui cantorum; ac praesertim si eiusmodi perantiquae consuetudinis abrogationem, et scandalum in populo pareret ?

III- An permitti queat ut in Domibus instituti Filiarum Charitatis vulgo nuncupatarum ***Canossiauae*** SS. Eucharistiae Sacramentum servetur in Sacellis quae Dormitorio puellarum educandarum subsunt? Et quatenus negative, petitur ad hoc opportunum Indultum, siquidem haud possit sine gravi incommodo, ac damno loca pro Dormitoriis ipsis distincta a praesenti usu libera reddere?

IV. An in Nosocomio Papien. permitti valeat, quatenus in uno ex duobus Sacellis ibi existentibus SSmum Eucharistiae Sacramentum servetur, etsi in eo nec omnibus diebus festivis sacrum peragatur; vel prohiberi id omnino debeat non obstante periculo cui subessent infirmae moriendi absque Sanctissimo Viatico ob incommodum satis grave pro Sacerdote adeundi alterum Sacellum ut Sacra Synaxis iisdem procuretur?

V. Quum Sacra Rituum Congregatio cuidam postulato ab eodem Rmo Episcopo Oratore exhibito respondisset : Decreta vetant in Altari, in quo SSmum Sacramentum publicae venerationi expositum manet pro Oratione ***quadraginta Horarum,*** Eucharisticam Communionem huiusce Expositionis tempore Fidelibus distribuere, quae in alio prorsus Altari servanda est ; quaeritur utrum huiusmodi responsum servandum etiam sit pro ruralibus Parochialibus Ecclesiis, in quibus licet secundarium adest Altare, nimis incommodum et indecens esset ob Ecclesiarum ipsarum angustiam inibi Sacram Synaxim administrare ?

Sacra vero Rituum Congregatio singulis hisce dubiis accurate perpensis, auditaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, nec non Rmi Assessoris Sacrae ipsius Congregationis, ad relationem infrascripti Secretarii ila respondendum censuit:

Ad I. Detur Decretum in una Florentina diei 22 Iulii 1848. (1)

Ad il. Servetur consuetudo.

(1) FLORENTIN. SEU ORDINIS MINORUM DE OBSERVANTIA. Quum ho-

Ad III. Pro gratia, et ad mentem: Mens est ut Altari imponatur ampla Umbella vulgo ***Baldacchino.***

Ad IV. Negative, et ad mentem. Mens est ut Sacerdos ex proximo Sacello sumat SSmam Eucharistiam eamque deferat infra pectus capsula inclusam.

Ad V. Non expedire, et ad mentem : Mens est ut in hisce Ecclesiis Altari laterali apponatur parvum Ciborium amovibile, et, si opus sit, loco transennae vulgo ***Balaustra,*** scamna circumponantur.

Atque ita respondit, declaravit, et servari mandavit. Die 23 Novembris 1880.

DUBIUM.

Quum Sacrae Congregationi de Propaganda Fide sequens Dubium propositum fuerit, nimirum, an Episcopus in propria Dioecesi, vel Vicarius Apostolicus in loco suae iurisdictionis thronum Pontificale teneatur cedere Delegato Apostolico praesenti ? ad Sacram Rituum Congregationem illud fuit transmissum.

diernus Guardianns Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia , Coenobii omnium Sanctorum in Civitate Florentina, Sacrorum Rituum Congregationem enixe rogarit, ut declarare dignaretur sequentia Dubia, nimirum:

1. An adsit Generale Decretum permittens unicam Missam solemnem *de Bequie* **in qualibet Ecclesia, Octiduo Defunctorum perdurante ?**

2. An liceat in Dominicis Sacri Adventus, et Quadragesimae pulsare Organa in Missis solemnibus, praeter Dominicas a Rubrica exceptas ? et quatenus hic usus in aliqua Ecclesia vigeat, an sit eliminandus?

3. Quum ex Rubricis Sabbato *Sitientes* **velentur Sacrae Imagines Altarium, quaeritur an liceat eas detegere Feria sexta in Parasceve, et non ad Hymnum Angelicum in Sabbato Sancto, uti Rubricae ipsae praescribunt ?**

4. An tolerandus sit usus ut in Sabbato Sancto Praeconium decantetur ab alio Diacono diverso ab illo, qui Missae inservit, adeo ut duo sint Diaconi, alter Missae, alter vero Praeconii?

o. An pariter permitti possit ut Clericus Regularis interdum nec Tonsura initiatus, Subdiaconi officio fungatur in Missa solemni; dum alter vel Sacerdos, vel in maioribus constitutus Ordinibus adest, qui ut Subdiaconus inservire potest eidem Missae solemni?

Sacra eadem Congregatio in ho lierais Ordinariis Comitiis ad Quirinale coadunata, referente me subscripto Secretario, respondendum censuit:

Ad 1. Non adesse Generale Decretum.

Ad 2. Abusum esse eliminandum.

Ad 3. Velatas manere debere usque ad Hymnum Angelicum Sabbati Sancti iuxta alias Decreta.

Ad 4. Usum esse contrarium Decretis.

Ad 5. In casu necessitatis, dummodo non sit alter; sed debere esse Clericum.

Atjue ita rescripsit, ac servari mandavit.

Die 22. Iulii 1848.

Et Sacra eadem Rituum Congregatio re accurate perpensa sic decernere rata est : Episcopus vel Vicarius Apostolicus in casu posse, sed non teneri.

Atque ita decrevit, ac rescripsit. Die 7 Decembris 1880.

PLAGENTINA.

Quum Rmus Dnus Ioannes Baptista Scalabrini Episcopus Placentinus Sacrae Rituum Congregationi duo insequentia Dubia solvenda proposuerit, nimirum:

I. Utrum Canonici munus Diaconi et Subdiaconi obeuntes Episcopo solemniter impanienti benedictionem cum SSmo Eucharistiae Sacramento in Cathedrali sive in alia Civitatis Ecclesia, teneantur induere tunicellam prouti in Pontificali Romano in die Festo Corporis Christi praescribitur ?

II. Utrum tolerari possit antiqua consuetudo, qua Canonici Diaconi Episcopo sacris paramentis induto adsistunt Cappa magna quin ab iisdem Stola deferatur?

Sacra eadem Congregatio, hisce Dubiis rite perpensis sic respondendum censuit.

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative, et inductam consuetudinem omnino eliminandam esse tamquam abusum. Atque ita respondit, et rescripsit. Die 15 januarii 1881.

ALTONEN.

Rme Dne uti Frater, A Sacra Congregatione de Propaganda Fide ad hanc Sacram Rituum Congregationem transmissum fuit quaesitum nuper ab A. T. propositum, utrum scilicet deficientibus aliis mediis ad impediendum quominus vasa sacra ex metallo confecta in quibus asservatur SSmum Eucharistiae Sacramentum Tabernaculo a furibus diripiantur Sacras species nefando scelere profanantibus Episcopo liceat praecipere, ut Sanctissima Eucharistia in Corporali tantum involuta custodiatur, quoties timeatur periculum expositi facinoris.

Sacra vero eadem Congregatio, referente infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario , omnibus in casu accurate perpensis sic decernere censuit : Non expedire, et curet Episcopus ut Sacra Eucharistia cautius custodiatur.

Dum itaque huiusmodi Rescriptum Amplitudini Tuae pro mei muneris ratione communico, Ipsam monere debeo, ut provideat quatenus in quavis Ecclesia ubi SSmum Sacramentum retinetur, nunquam desit Custos; qui prope eam commoretur, prouti ab ecclesiasticis praescriptionibus sancitum est.

Romae 17 Februarii 1881.

Rmo Dno uti Fratri Episcopo Altonen.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

Die 24 Maii 1889.

ALLOCUTIO

Amplissimum Collegium vestrum itemque ordinem Episcoporum hodierna die suppletur!, valde velimus pacatiore vos laetioreque animo affari, nihilque in hunc locum, nisi quod audire liberet, afferre.— At vero qui possumus in tam aspero laboriosoque statu? Circumstant, ut videtis, mala atque incommoda eadem quae undeviginti ante annis, capta Urbe, consecuta sunt: imo evasere diuturnitate graviora, nec apparet quem sint habitura modum , si voluntas inimicorum spectetur, quibus longo successu crevisse animos, nimis acerbe experimur. — Testes estis, Venerabiles Fratres, quali res ferantur cursu, quanta sit in Pontifice violando ex una parte audacia, ex altera impunitas. Neque dubium est quae consilia agitentur: erumpunt enim undique, et multiplici factorum testimonio convincuntur. Scilicet adversus instituta christiana acerbiores quotidie exercentur inimicitiae, constricta romani Pontificis oppressâque libertate. Idcirco contra sacram Sedis Apostolicae potestatem incitari opinionem popularem, invidiamque multitudinis quotidiana dictorum petulantia impune inflammari videmus. — Iamque huc ventum est, ut in hac ipsa urbe, in conspectu prope Nostro, impietati liceat religionem Iesu Christi insigni eademque perenni iniuria lacessere, honoribus virtuti debitis desertori catholici nominis non sine insolenti ostentatione decretis.

His de causis catholicos ex omnibus terris assidua quaedam tenet, velut fixa in pectore, sollicitudo. Neque enim possunt aut ferre leviter parentis publici indignam conditionem, aut libertatem augustissimi ministerii non curare in Episcopo animarum suarum. — Consolari Nos pietate mirabili maximoque studio numquam intermittunt : novissimo autem tempore, cum ex variis Europae partibus in civitates principes summa voluntate convenissent, utilia rebus communibibus consilia inter se collaturi, nostis quantam partem cogitationum et curarum suarum Sedi Apostolicae tribuerint. Iamvero quod censuerunt, ad custodiendam apostolici muneris in Pontifice libertatem civili principatu esse opus, sententias suas ad

exemplum doctrinasque Sedis Apostolicae, ut aequum, erat, confirmarunt. Quod autem enitendum sibi omni ratione legitima decreverunt, ut re ipsa Pontifex in libertatem debitam restituatur, iure suo usi sunt, caussae iustissimae, quae catholicorum omnium communis putanda est, tutela suscepta.—Pro qua caussa Nos quidem maxime et ante alios, ut debemus, diu propugnamus, ab eaque vindicanda, ita adsit propitius Deus, nec longinquitas temporis Nos, neque ulla difficultatum magnitudo deterrebit.

Iam, ut propositum exsequantur, adlegere in Collegium vestrum decrevimus Episcopos aliquot ex Gallia, Belgio, Bohemia, pietate doctrinaque commendatos, qui in sua quisque Dioecesi administranda luculentum virtutum episcopalium dedere specimen: item duos Antistites urbanos, qui per varios munerum gradus laudabilem operam Sedi Apostolicae diu navarunt. Ii autem sunt:

FRANCISCUS MARIA RICHARD, Archiepiscopus Parisiensis:
IOSEPHVS ALFREDVS FOVLON, Archiepiscopus Lugdunensis:
AMATVS VICTOR GVILBERT, Archiepiscopus Burdigalensis:
PETRVS LAMBERTVS GOOSSENS, Archiepiscopus Mechliniensis:
FRANCISCVS PAVLLANVS SCHÖNBORN, Archiepiscopus Pragensis:
ACHILLES APOLLONI, Sanctae Romanae Ecclesiae Vicecamerarius.
CAIETANvs DE RVG-GERO, Praefectus Operum Vaticanorum.

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et Nostra, creamus et publicamus S. R. E. Cardinales.

Ex Ordine Presbyterorum

FRANCISCVM MARIAM RICHARD
IOSEPHVM ALFREDVM FoVLON
AMATVM VICTOREM: GVILBERT
PETRVM LAMBERTVM GOOSSENS
FRANCISCVM PAVLLANVM SCHÖNBORN.

Ex Ordine Diaconorum

ACHILLEM APOLLONI
CAIETANVM DE RVGGIERO

Cum dispensationibus, derogationibus, et clausulis necessariis et opportunis. In Nomine Patris ✠, et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen;

Habita relata Allocutione, SSmus D. N. Leo XIII sequentes proposuit Ecclesias:

CATHEDRALEM ECCLESIAM OSTIEN. ET VELITERNEN. **invicem perpetuo canonice unitas, vacan, per obitum clar. me. Caroli dum viveret S. R. E. Cardinalis Sacconi, postremi illarum Episcopi apud romanam curiam defuncti ; ad quas optare intendit Emus ac Rmus Dominus Raphael ipsius S. R. E. Cardinalis Monaco La Valletta, Sacri Collegii Decanus, albanensis Episcopus, albanensi tamen dimissa Ecclesia.**

CATHEDRALES ECCLESIAS PORTUEN. ET S. RUFINAE **invicem perpetuo canonice unitas vacan, per obitum clar. me. Ioannis Baptistae dum viveret S.R.E. Cardinalis Pitra, postremi illarum Episcopi apud romanam curiam defuncti, quas optare intendit Emus ac Rmus Dominus Aloisius praefatae S. R. E. Cardinalis Oreglia a Sancto Stephano, Episcopus praenestinus, praenestina tamen Ecclesia dimissa.**

CATHEDRALEM ECCLESIAM PRAENESTIN. **vacan, per translationem vigore optionis Emi ac Rmi Domini Aloisii S. R. E. Cardinalis Oreglia a Sancto Stephano ad sibi invicem perpetuo canonice unitas Sedes Cathedrales Portuensem ac S. Rufinae, quas optare intendit Emus ac Rmus Dominus Angelus tituli S. Praxedis eiusdem S. R. E. Presbyter Cardinalis Bianchi, praedicto titulo Presbyterali in commendam retento.**

CATHEDRALEM ECCLESIAM ALBANEN, **vacan, per translationem, vigore optionis Emi ac Rmi Domini Raphaelis S. R. E. Cardinalis Monaco La Valletta, sacri Collegii Decani, ad sibi invicem perpetuo canonice unitas Sedes Cathedrales Ostiensem ac Veliternensem; quam optare intendit Emus ac Rmus Dominus Lucidus Maria tituli S. Crucis in Hierusalem eiusdem S. R. E. Presbyter Cardinalis Parocchi, praedicto titulo Presbyterali dimisso.**

ECCLESIAM TITULAREM ARCHIEPISCOPALEM MYREN. **vacan, per obitum bo. me. Stephani Marilley, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Iosephi Mariae Guideiii, Archipraesulis Mutinensis, ac Abbatis Commendatam s. Silvestri Terrae de Nonantula.**

METROPOLITANAM ECCLESIAM MUTINEN. **cum ei in Commendam adnexo in perpetuum Abbatiali templo S. Terrae de Nonantula Ordinis olim S. Benedicti Nullius dioecesis, vacan, per dimissionem a R. P. D. Iosepho Maria Guideiii e comitibus Guidi, ultro liben-**

terque in manibus Sanctitatis Suae peractam et ab Eadem admissam, ac per subsequentem ipsius Antistitis promotionem ad titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Myrensem; favore E,. P. D. Caroli Borgognoni Archipraesulis urbinensis.

METROPOLITANAM ECCLESIAM VERCELLEN, vacan, per obitum bo. me. Coelestia! Matthaei Fissore, ultimi illius Archipraesulis extra romanam curiam defuncti; favore R. P. D. Laurentii Caroli Pampirio, ex Ordine Praedicatorum S. Dominici, Episcopi Albensis, seu Albae Pompeiensis.

ECCLESIAM TITULAREM ARCHIEPISCOPALEM HERACLEEN. vacan, per obitum bo. me. Erancisci Converti, ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti; favore R. P. D. Iosephi Erancica Nava e Dynastis a *Bontifè,* Episcopi titularis Alabandensis.

METROPOLITANAM ECCLESIAM ROSSANEN, vacan, per obitum bo. me. Petri Cilento, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Salvatoris Palmieri, Congregationis Missionis a Pretioso Sanguine D. N. I. C., Presbyteri Beneventani. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Beneventi progenitus et sexagesimum secundum aetatis suae annum supergressus, suae Congregationis definitoris generalis et archidioecesis Barensis examinatoris pro-synodalis munere perfunctus, domus eiusdem suae Congregationis Barensi in urbe constitutae superior hucusque renunciatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM CASTELLAN., HORTAN., ET GALLESIN. invicem perpetuo canonice unitas, vacan, per obitum bo. me. Dominici Mignanti, ultimi illarum Episcopi, extra romanam curiam defuncti; favore R. D. Ioannis Baptistae Carnevalini Presbyteri Romani. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Romae progenitus et quadragesimum sextum aetatis suae annum supergressus, tum in philosophia doctorali, tum in sacra theologia dudum licentiae gradu donatus, hucusque autem Canonicus et Curio Urbanus ad S. Mariae in Via Lata renuntiatus est.

ECCLESIAM TITULAREM HETALONIEN. sub Archiepiscopo Bostrensi,. vacan, per obitum bo. me. Henrici Scaap, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Iosephi Izzo, Presbyteri neapolitanae Archidioeceseos, qui in coadiutorem cum futura successione etiam deputatus fuit R. P. D. Iosephi Carranp Antistitis Cavensis ac Sarnensis. R. D. Iosephus Izzo ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in Casali Bosci Trium domorum, Archidioeceseos neapolitanae progenitus, et quadragesimum primum

aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, ad S. Annae in Casali Bosci Trium domorum, Archidioeceseos neapolitanae, Parochus ad praesens usque renunciatus est.

ECCLESIAM TITULAREM EPISCOPALEM HERMOPOLITAN. sub Archiepiscopo Damiaten. vacan, per translationem R. P. D. Caroli Francisci Bonaventurae Theuret ad Cathedralem Sedem monoecensem , favore R. D. Raphaelis Valenza, presbyteri Theatini, qui etiam deputatus fuit auxiliaris R. P. D. Rocchi Cocchia Archipraesulis Theatini. R. D. Raphael Valenza ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Theate progenitus et in septuagesimo primo aetatis suae anno constitutus, ad praesens usque Canonici in patria metropolitana, atque Con visitatoris, visitatoris , et examinatoris prosynodalis muneribus perfunctus, eiusdem urbis et archidioeceseos Pro-Vicarius in spiritualibus generalis renunciatus est.

ECCLESIAM TITULAREM EPISCOPALEM HELENOPOLITAN. sub Archiepiscopo Nicomediensi in Bithynia vacan, per obitum bo. me. Flaviani Simoneschi, ultimi illius Episcopi apud romanam curiam defuncti, favore R. *D.* Augusti Berlucca, presbyteri Romani. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Romae progenitus et in octavo supra quadragesimum aetatis suae anno constitutus, in philosophia, sacra theologia, atque utroque iure dudum doctorali laurea donatus; pluribus abhinc annis Canonicus et Parochus ad S. Mariae Transtiberim hucusque renunciatus, Hospitii a centum Presbyteris nuncupati, praesidis, atque pro missionibus ruralibus directoris munere perfunctus est.

METROPOLITANAM ECCLESIAM TARRACONEN. vacan, per obitum bo. me. Benedicti Vilamitjana et Viia, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. *D,* Thomae Costa et Fornaguera Antistitis Illerdensis, ad praesentationem Serenissimae Reginae Catholicae Regentis.

METROPOLITANAM ECCLESIAM LIMAN, in ditione Peruviana Americae Meridionalis, vacan, per obitum bo. me. Francisci Orueta et Castrillon, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti ; favore R. P. D. Emmanuelis Antonii Bandini, Episcopi titularis Antipatridis, ad praesentationem perillustris Viri Andreae Avellini Caceres, Peruanae Reipublicae Praesidis, vigore indulti Apostolici.

METROPOLITANAM ECCLESIAM SANCTAE FIDEI DE BOGOTA in Confoederatione Statuum Reipublicae Columbianae, Americae Meridiona-

lis, vacan, per obitum bo. me. Iosephi Telespbori Paul, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P» D. Ignatii Velasco e Societate Iesu, Episcopi Pastopolitani.

CATHEDRALEM ECCLESIAM DE ZACATHECAS **in ditione Mexicana Americae Septemtrionalis vacan, per obitum bo. me. Iosephi Mariae a Refugio Guerra, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; favore R. P. D. Bonaventurae Portillo, ex Ordine Minorum Observantium S. Erancisci, Episcopi de Chilapa.**

CATHEDRALEM ECCLESIAM NEMAUSEN. **vacan, per obitum bo. me. Nicolai Francisci Aloisii Besson, ultimi illius Episcopi, extra romanam Curiam defuncti, favore R. D. Ioannis Alfridi Gilly, Presbyteri nemausensis Dioeceseos, ad nominationem perillustris Viri Francisci Mariae Sadi-Carnot Gallicae Reipublicae Praesidis. R. D* Ioannes Alfridus Gilly ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, quem vulgo dicunt** *Anduze* **nemausensis Dioeeeseos- progenitus et in sexto supra quinquagesimum aetatis suae anno constitutus , Romae apud Gregorianam universitatem in facultate theologica et in iure canonico doctorali laurea dudum insignitus, Vicarius in spiritualibus generalis nemausensis adlectus, illius Cathedralis hucusque Canonicus, eademque sede vacante Vicarius Capitularis renunciatus est.**

CATHEDRALEM ECCLESIAM DINIEN. **vacan, per obitum bo. me. Henrici Abelis Mortier, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. P. Servonnet, Presbyteri gratianopolitanae Dioeceseos, ad nominationem perillustris Viri Francisci Mariae Sadi-Carnot Gallicae Reipublicae Praesidis. R. D. Petrus Paulus Servonnet ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen** *Pierre de Bressieux,* **Dioeceseos gratianopolitanae progenitus et quinquagesimum nonum aetatis suae annum supergressus, a secretis adlectus Antistitum Vel. Gratianopolis, vel Lugdunensis, penes metropolitanam lugdunensem Canonicus hucusque renunciatus est.**

CATHEDRALEM ECCLESIAM MIMATEN. **vacant, per dimissionem a R. P. D. Iuliano Costes ultro libenterque in Manibus Sanctitatis Suae peractam et ab Eadem admissam, favore R. D. Francisci Narcisi Baptifolier, presbyteri parisiensis, ad nominationem perillustris Viri Francisci Mariae Sadi-Carnot Gallicae Reipublicae Praesidis. R. D. Franciscus Narcisus Baptifolier ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Lutetiae Parisiorum progenitus, et octavum supra sexagesimum aetatis suae annum supergressus, Vicarii**

parochialis munere perfunctus, Parisiis ad S. Bernardi, vulgo *de la Chapelle,* Parochus ad praesens usque renunciatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM VAPINCEN. vacan, per obitum bo. me. Ioannis Alphonsi Blanchet, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Amabilis Prosperi Berthet, presbyteri Dioeceseos vapincensis ad nominationem perillustris Yiri Francisci Mariae Sadi-Carnot G-allicae Reipublicae Praesidis. R. D. Amabilis Prosper Berthet ex legitimis , catholicis honestisque parentibus in oppido nuncupato de *Xieres* vapincensis Dioeceseos progenitus et quinquagesimum primum aetatis suae supergressus, in parvo dioecesano Ebrodunensii seminario philosophiae Antecessorem agens atque Moderatorem, in magno vero seminario Directoris munere perfunctus ; Parochus primum in loco *Plane-deVitrolles* adlectus, ac dein Curatus-Archipresbyter urbis *Serres* in natali dioecesi hucusque renunciatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM PASSAVIEN. vacan, per obitum bo. me. Iosephi Francisci de Wechert, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Antonii Thoma, Presbyteri Archidioeceseos Monaco-Frisingensis, ad nominationem, vigore Indulti Apostolici, Serenissimi Principis Luitpoldi Bavariae Regni Regentis, R. D. Antonius Thoma ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen *Nymphenbwrg* Archidioecesis Monaco-Frisingensis progenitus et sexagesimum aetatis suae annum supergressus, Parochus ad S. Zenonem ac ad Spiritum Monachii constitutus, ad Canonicatum in Capitulo metropolitano Monacensi assumptus, illiusque paroeciae ad praesens usque Vicarius renunciatus est.

METROPOLITANAM ECCLESIAM DE MANILA in Insulis Philippinis vacan, per obitum bo. me. Petri Payo, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti; favore R. P. Fr. Bernardini Nozaleda de Villa, Presbyteri dioeceseos Ovetensis, ac Ordinis Praedicatorum S. Dominici expresse professi, ad praesentationem Serenissimae Reginae Catholicae Regentis. R. P. Fr. Bernardinus Nozaleda da Villa ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in loco nuncupato *Cuenya* in *Pola de Nava ,* dioeceseos Ovetensis progenitus et quadragesimum quintum aetatis suae annum supergressus, in iure canonico dudum doctorali laurea donatus, atque in ordine Praedicatorum S. Dominici solemnia vota nuncupatus, nuper defuncti illius Ecclesiae Archiepiscopi Consultorem, et trans mare Missionarium agens, Conventus S. Dominici Prioris munere perfunctus huc-

usque Collegii S. Ioannis *de Letran* Manilae Rector Praeses renunciatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM NOVAE SEGOBIAE in Insulis Philippinis, vacan, per obitum bo. me. Mariani Cuartero, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti; favore R. P. Fr. Iosephi Hevia Campomanes Presbyteri ovetensis Dioeceseos, ac Ordinis Praedicatorum S. Dominici expresse professi, ad praesentationem Serenissimae Reginae Catholicae Regentis. R. P. Fr. Iosephus Hevia Campomanes ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen *Pola de Lena,* ovetensis Dioeceseos progenitus et quadragesimum octavum aetatis suae annum supergressus, penes Ordinem Praedicatorum S. Dominici solemnia vota professus. Transmarinis missionibus addictus, ad Sanctae Rosae penes provinciam de Laguna et ad praesens usque loci nuncupati *Binondo* provinciae de Manila Parochus renuntiatus fuit.

CATHEDRALEM ECCLESIAM COLIMEN, in Mexicana ditione Americae Septentrionalis vacan, per translationem R. P. D. Francisci Melithonis Vargas ad Sedem Tlascalen. seu Angelopolitanam ; favore R. D. Francisci Diaz Presbyteri archidioeceseos de Guadalaxara. Qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in paroecia *Catorce* nuncupata, archidioeceseos olim de Guadalaxara, nunc autem dioecesis de Potosi progenitus et in quinquagesimo sexto aetatis suae anno constitutus, Guadalaxarae Capellanum agens monialium de monte Carmelo, et in seminario linguae latinae ac philosophiae praecepta tradens, pluribus annis in paroeciis vulgo dictis *Aimalulco, Tizapan ei Alto, Mascota* et *San Gabriel* suae archidioecesis animarum gerens curam, hucusque praebendatus penes Guadalaxarensem metropolitanam renuntiatus est.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

LIMBURGEN.

DUBIA CIRCA MATRIMONIA CLANDESTINA

Die 19 Ianuarii 1889.

Sess. 24, Cap. 1 de ref.

COMPENDIUM FACTI. Limburgensis Episcopus supplici ad SSmum dato libello sequentia referebat:

u Die 24 Aprilis .1885 coram sacerdote curato loci Bornheim cum urbe Francofurtensi ex decem circiter annis civiliter coniuncti, comparuerunt Ioannes Schuh et Christina Wirtz, sponsi catholici, rogantes, ut bannis rite proclamantur matrimonium, quod inire cuperent, utque deinceps ad formam catholicam foedere nuptiali iungerentur. Sponsus solutus existebat, sponsa vero die 1 Martii 1880 alii cuidam viro Henrico Müller coram magistratu civili nupserat, quod matrimonium tamen sententia iudicis regii d. d. 12 Iunii 1884 ob adulterium viri quoad vinculum solutum fuit. - Henricus quippe die 18, Octobris 1882 Christinam deseruerat et una cum alia muliere soluta, cui nomen Lina Iacobi, eadem nempe quacum carnale commercium habuisse creditur, in Americam septentrionalem se contulerat. — Quibus cognitis curatus Bornheimensis casum ad Curiam hanc Episcopalem detulit, ut resciret, utrum petitioni sponsorum Ioannis Schuh et Christinae Wirtz acquiescere, illosque bannis peractis matrimonio iungere licite posset, necne. Responsum porro habuit, id ante sententiam Ordinarii de statu soluto Christinae latam non licere. Dum vero de huius matrimonii validitate sive invaliditate curatum inter et Curiam hanc Episcopalem ageretur, Christina, sententia ecclesiastica haud expectata, cum Ioanne Schuh coram magistratu civili matrimonio sese coniunxit. Deinde curatum rursus adiit, petiitque, ut sibi permitteretur matrimonium cum Ioanne in facie quoque Ecclesiae contrahere, et ad Sacramenta poenitentiae et eucharistiae accedere. Rebus ita comparatis dubius haereo, quidnam hac in causa agendum. Disputatur enim iam longo ex tempore inter eruditos, an decretum Concilii Tridentini, matrimonia clandestina irritans in paroecia Francofurtensi et speciatim in pago Bornheim publicatum fuerit, neque huc usque quaestio haec summi momenti, peremptorio modo solvi potuit. Cum vero maxime nunc temporis, quo in Germania matrimonium civile, quod vocant, introductum est, casus similes illi Christinae Wirtz non raro contingant, summopere desiderandum est, ut suprema Ecclesiae auctoritate principia stabiliantur iuxta quae ab Ordinario procedi in causis huiusmodi matrimonialibus possit ac debeat.

Imprimis itaque animadvertendum est, prosequitur Antistes , paroeciam Francofurtensem una cum loco Bornheim usque ad erectionem huius Dioecesis limburgensis ad archidioecesim moguntinam pertinuisse, urbem vero Frankfurt tamquam liberam civitatem imperii Germanici in politicis usque ad annum 1866 sui iuris fuisse. Exorta

haeresi Lutherana, mox Magistratus liberae civitatis sectàriis favere catholicosque vexare coepit ita, ut eosdem ecclesiis quoque suis usque ad annum 1549 privaret cultusque catholicus publicus per viginti tres annos cessaret. Verum anno 1549 catholici ecclesiam principalem collegiatam ad S. Bartholomaeum necnon ecclesias succursales B. M. Virginis et ad S. Leonardum recuperarunt et exinde, duobus tantum annis 1633 et 1634 exceptis, quibus Sue vi milites ecclesiam ad Sanctum Bartholomaeum occuparunt, exercitio religionis plus minus libero semper gavisi sunt : auctoritas vero Archiepiscopi Moguntini ecclesiastica super paroeciam firma semper mansit et inconcussa, licet exercitium religionis intra muros ecclesiarum coarctatum fuerit.

Quatuor lustris post confirmationem decretorum Concilii Tridentini nondum elapsis, Daniel, tunc temporis Archiepiscopus et elector Moguntinus, die 22 Ian. 1582 pro sola archidioecesi sibi concredita decretum tulit, quo materialietr omnia et singula, quae s. Synodus capite *Tametsi* **relate ad celebrationem matrimonii statuerat, praesertim quoque legem matrimonia clandestina pro futuro irritantem fidelibus suis stricte observanda praescripsit ; addendo illud quoque, hoc decretum suum archiepiscopale nonnisi triginta post dies a prima eiusdem publicatione in unaquaque paroecia effectum suum habiturum, parochosque vel paroeciam administratores propria manu in pagina decreti publicationem effectam fuisse debere adnotare.**

At in toto decreti huius archiepiscopalis decursu nulla prorsus mentio occurrit synodi Tridentinae, nisi forte subobscure illo in loco, quo Archiepiscopus de gradibus propinquitatis prohibitis disserens ait: *u* Serio itaque hisce iubemus, ut in gradus hosce prohibitos, *utpote qui nunc in iure ecclesiastico statuti ac declarati sunt,* **pro futuro tempore melius intendatur utque omnino serventur. De ceteris decretum hoc Archiepiscopus constanter** *decretum suum* **vocat.**

***u* Danieli immediate in regimine archidioecesis successit "Wolfgartgus de Dalberg, 1582-1601, qui pro universa ditione sua anno 1599 Agendam denuo edendam curavit, in cuius praefatione d. d. 23 Augusti 1598 Concilium Tridentinum expressis verbis respicit. In instructione vero Agendae de matrimonii sacramento p. 52 haec habet: *u* Ex decreto Concilii Tridentini debet necessario adesse parochus proprius vel alius sacerdos de parochi vel Ordinarii licentia, adhibitis duobus vel tribus testibus. » De publicatione de-**

creti ipsius vero iu unaquaque paroecia facta vel facienda nihil dicit.

« Archiepiscopus Ioannes Shweihardt de Cronenberg die IO Iulii 1615 decretum de servitio divino edidit, in quo relate ad matrimonia contrahenda nonnisi decretum antecessoris sui Danielis de anno 1582 in memoriam revocat, *n*

a **Archiepiscopus Ioannes Philippus de Schoenborn quum anno 1648 ordinationem antecessoris sui Shweihardt denuo excudendam curasset, anno 1664 decretum Tridentinum de matrimoniis clandestinis pro universa Archidioecesi sua publicari iussit, de qua publicatione** *Agenda* **Archidioecesium moguntinae et trevirensis in compendium redacta, anno 1703 Moguntiae typis edita testatur : »** *In moguntina Dioecesi Anno 1664 in omnibus parochiis receptio,* **i. e. Concilii Tridentini,** *publicata, valvis ecclesiarum affixa et protocollis iudicialibus inserta est.* **» De qua publicatione plura alia adduxit documenta Antistes.**

a **Anno 1670 idem Archiepiscopus Ioannes Philippus - Renovatum ordinem ecclesiasticum - edidit, quo inter alia legem Tridentinam de tribus bannis benedictioni matrimoniali praemittendis inculcavit. Sequenti vero anno 1671** *Rituale* **pro Archidioecesi moguntina Dioecesibusque herbipolitana et wormatiensi publicavit, in quo quoad causas matrimoniales inter alia haec praescribit (p. 202):** *u* **- Habeat (Parochus) imprimis ipse bene cognita illa omnia, quae in matrimoniis rite conficiendis servari oportere sacri canones et praecipue sancta** *Synodus Tridentina* **iussit ; dabitque operam, ut illa in parochia sua accurate exacteque serventur. Praesertim vero meminerit, matrimonia clandestina et quaelibet matrimonia, quae aliter quam praesente parocho. . . . .et duobus vel tribus testibus contrahuntur, ex ipsius Concilii decretis irrita omnino et nulla esse. - Successores quoque Ioannis Philippi Archiepiscopi ordinationes antecessorum suorum quoad observationem decretorum Concilii Tridentini in causis matrimonialibus confirmant atque inculcant.**

Quod ad paroeciam Francofurtensem pertinet observandum in primis est, publicationem decreti Tridentini vi edictorum Ioannis Philippi et successorum eius, ibi, sicut in aliis Archidioecesis moguntinae paroeciis rite factam donec contrarium manifeste probetur, praesumi debere. Sicut enim dictum est, auctoritas Archiepiscopi moguntini in paroecia Francofurtensi ex temporibus Ioannis Philippi praesertim, indubitata fuit atque inconcussa. Quod etiam

variis ex adnotationibus in catalogo copulatorum huius paroeciae de dispensationibus matrimonialibus ab illa curia eiusque vicariatu Aschaffenburgensi impertitis necnon traditione historica constat. Praeterea ponderandum occurrit, varia Ritualia ab istis Archiepiscopis edita et pro universa archidioecesi praescripta certo certius etiam Francofurti fuisse in usu ; quumque in Ritualibus istis forma Tridentina tamquam omnino et quidem sub poena nullitatis necessaria ad validum matrimonium contrahendum praescriberetur, dubitari iam a priori nequit, decretum Tridentinum, de quo sermo, parochianis Francofurtensibus tam ex praedicatione , quam ex catechesi et instructione christiana innotuisse et in usum vim legis habentem exinde transiisse. Qui usus ex cathalogis copulatorum paroeciae inde ab anno 1640 adhuc exstantibus luculentissime apparet. Insuper vero, data occasione, explicite quoque testantur, Francofurti formam Tridentinam im matrimoniis contrahendis catholicorum consideratam fuisse tamquam omnino essentialem. Et hic referuntur varia matrimonia, per quae assertum confirmatur ; inter quae matrimonia sequens nota dignum est.

u Die 17 Martii 1806, quoad alios sponsos Himmelsverth, et Höffner observatur : *u* Praenominati sponsi H. et H. iam die 6 Ianuarii *coram seniore et doctore Hufnagel* (n. b. ministro protestantica) *contraxerunt matrimonium,* ast erat nullum, quia ambo catholici ».

Hoc ultimum praesertim testimonium aperte demonstrat, initio huius saeculi matrimonia catholicorum Francofurti, spreta forma Tridentina, inita pro nullis habita fuisse.

His tamen omnibus minime obstantibus, dubia de publicatione et valore decreti Tridentini in paroecia Francofurtensi moventur.

In primis enim opponitur nullum documentum historicum publicationem decreti Tridentini Francofurti factam comprobans hucusque potuisse inveniri. Neque in archivio ecclesiae Collegiatae simulque parochialis ad sanctum Bartholomaeum, neque in protocollis capitularibus huius collegii, cuius Decanus erat parochus primarius ex annis 1563-1624 adhuc exstantibus, neque in aliis huius collegii documentis ullum publicationis huiusmodi indicium reperitur; neque superest amplius decretum consistoriali Moguntinum d. d. 10 Iulii 1664.

Excipitur etiam non esse demonstratum , Agendam archiepiscopi Wolfgangi de anno 1599 in paroecia Francofurtensi fuisse

receptam: quod si vero recepta fuisset, probari non posse, ea quae de necessitate assistentiae parochi cum duobus testibus in matrimoniis contrahendis habet, sufficientem extimari posse publicationem decreti huius.

Et adiicitur incredibile esse, Magistratum civitatis, primis post absolutam Tridentinam synodum annis, publicationem decreti cuiusvis eiusdem concilii permisisse, cum, una cum reliquis imperii protestantibus principibus et urbibus foedere sibi iunctis, renuisset Concilio interesse.

Accedit autem permissionem publicationis decreti Concilii Tridentini *De reform, matrimonii,* studio magistratus Francofurtensis minuendae iurisdictionis ecclesiasticae catholicae plane contrariam fuisse, cum istud decretum iura ecclesiae in matrimonium convalidet atque corroboret.

Excipitur anno 1664 publicatum non fuisse decretum *Tridentinum* de nullitate matrimoniorum clandestinorum, sed [unice decretum consistoriale Archiepiscopale d. d. 10 Iulii eiusdem anni, cuius decreti tamen publicationem non aequivalere publicationi decreti Tridentini, cum ad hoc requiratur, ut tenor huius decreti saltem quoad substantialia in idiomate fidelibus intelligibili publicetur: in decreto illo consistoriali vero huiusmodi tenorem minime contineri.

Tandem opponitur neque ea, quae in Rituali Ioannis Philippi archiepiscopi de anno 1671 habentur, publicationi decreti Tridentini aequiparari posse, cum ea verba matrimonia clandestina illicita quidem, minime vero invalida effecerint, cum nullitas eorumdem nonnisi publicatione tenoris decreti Tridentini quoad substantialia saltem induci possit.

Yerum animadversum fuit, prima quatuor dubia non esse nisi negativa ; obstare vero eorum validitati mandatum archiepiscopale positivum anni 1664 de publicatione decreti Tridentini in tota Archidioecesi moguntina, ad quam paroecia quoque Francofurtensis pertinebat, efficienda.

Obstat factum a *R.* D. canonico Moguntino doctore Moufang in hac materia eruditissimo die 3 Iulii 1885 testatum, neque in paroeciis plerisque Dioecesis hodiernae moguntinae documentum probans publicationem decreti Tridentini exstare, quin tamen hucusque dubitatio ulla de iacta publicatione decreti Tridentini iisdem exinde orta sit.

Animadverti potest, huiusmodi documentum de publicatione

Francofurti facta potuisse deperire, si adfuit, et si reapse confectum non fuit, id ex ipsa hostili aversione senatus civitatis contra decreta Concilii ortum potuisse habere. Quum enim certa publicationis forma a Concilio Tridentino praescripta non esset, rectores paroeciae ad sanctum Bartholomaeum mandato archiepiscopali de publicando decreto Tridentino accepto, modo minus solemni decretorum ad notitiam fidelium deferre poterant, ne vexationes-catholicorum ex parte senatus acatholici publicatione solemni et nimis obvia provocarent.

Praeterea anno 1664 vi pacis Westfalicae anni 1648 catholicis Francofurtensibus exercitium plenum religionis restitutum fuisse, Archiepiscopum vero Ioannem Philippum non fuisse ita animo comparatum, ut huic iuri metu Senatus Francofurtensis cederet.

Constat quoque ex catalogis paroeciae ad sanctum Bartholomaeum, de facto formam Tridentinam inde ab anno 1664 in matrimoniis contrahendis observatam esse ; quod omnino haberi debet uti effectus decreti publicationis eiusdem anni 1664, ab Archiepiscopo Ioanne Philippo pro tota Dioecesi legitime praescriptae.

In hoc decreto consistoriali d. d. 10 Iulii 1664 duo expressis statuuntur verbis matrimonia clandestina esse omnino invalida; in causis matrimonialibus observanda esse decreta Concilii Tridentini. Quaenam vero hac in re Concilium Tridentinum statuerat, ex Rituali Wolfgangi Archiepiscopi clarissime apparebat, ita ut Ioanni Philippo necessarium prorsus non esset, rursus in decreto illo eadem fusius explicare. Iubendo igitur, ut parochi singulis fidelibus suis solemniter denuntiarent, eos in causis matrimonialibus deinceps iuxta Concilium Tridentinum vivere debere, cum ad homines ratione praeditos loqueretur, potuit optimo iure supponere, parochos publicando hoc decretum consistoriale, certissime fidelibus -suis etiam explicaturos esse, quaenam Concilium Tridentinum hac in re statuisset.

Animadversum quoque est quod locum Bornheim ante sic dictam saeculi XVI reformationem documentis historicis *vicus* **vocatur, et usque ad annum 1481 comitibus de Hanau suberat. Cum extra muros urbis Francofurtensis situs fuerit, sunt qui contendant, vicum hunc, sicut et alia loca ante muros Francofurtenses sita v. g. Oberdan, Niederrad, Haussen, Bonames et Bockenheim, qui locus et ipse sub iurisdictione comitum de Hanau erat, propriam communitatem paroecialem ecclesia paroeciali gaudentem efformasse. In documentis porro antiquis ecclesia Bornheimensis ea-**

pella vocatur, constatque, illam iam saeculo IX una cum proventibus suis ecclesiae S. Salvatoris, sicuti tum temporis ecclesia collegiata ad sanctum Bartholomaeum vocatur, incorporatane , nec^ non a clero paroeciae unicae Francofurtensis quoad curam animarum provisam fuisse.

Anno 1481. vicus Bornheim cum territorio liberae civitatis Francofurtensis coniunctus est; anno 1524, cum apostasis Lutherana etiam in Bornheim sicut in urbe Frankfurt multos obtinuisset asseclas, incolae Bornheimenses exemplo aliarum finitimarum communitatum a senatu Francofurtensi proprium parochum sectarium expetierunt. Anno 1526 vero Subpriorem Carmelitarum Francofurtensium, qui officia divina excurrendo ibi peragebat, male tractarunt, qua de causa senatus capitulum ad sanctum Bartholomaeum adhortatus est, ut proprium sacellanum in Bornheim pro cura animarum exercenda collocaret. Progressu temporis secta Lutherana ita in Bornheim invaluit, ut saeculo XVI ad finem vergente capella catholica ab ipsis occupata fuerit vixque adhuc catholici ibi invenirentur ; quique forte in loco habitarent, tamquam ad parochiam sancti Bartolomaei Francofurtensem pertinentes considerarentur, illamque ecclesiam frequentarent ; quo in statu res usque ad tempora nostra permanserunt. Iuxta testimonium parochi Francofurtensis R. D. Muenzenberger anno 1776 prima catholica sponsa ex Bornheim in catalogo copulatorum Francofurtensi recensetur, alia anno 1779 sequitur.

In registro mortuorum vero anno demum .1819 filia quaedam artificis Bornheimensis catholica describitur. Exinde vero in dies catholici in Bornheim numero crescebant, ita ut anno .1869 mille circiter fideles ibi habitarent, qua de causa praedecessor meus b. m. Petrus Iosephus die 1 Octobris illius anni proprium sacerdotem ibi residere iussit, eique curam animarum exercendam contulit. Hodie quatuor circiter millia catholicorum in Bornheim degunt.

Quae cum ita se habeant dubium imprimis esse nequit, in loco Bornheim, utpote qui tempore absoluti Concilii Tridentini iam totus sectae Lutheranae addictus erat, decretum Tridentinum de reformatione matrimonii nunquam fuisse publicatum.

Dubium vero erit, an nihilominus catholici Bornheimenses illo in casu decreto hoc obligentur, quo ipsum in paroecia ad sanctum Bartholomaeum Francofurtensi publicatum fuerit. Si catholici Bornheimenses ante sic dictam saeculi XVI reformationem ad paroe-

ciam Francofurtensem pertinebant,. proprioque systemate parochiali non gaudebant, tum dicendum erit, ipsos decreto Tridentino obligari, dummodo illud Francofurti in ecclesia parochiali ad sanctum Bartholomaeum publicatum fuerit. Sacra Synodus enim publicationem decreti ad hoc, ut effectum suum obtineret, in ecclesiis tantum parochialibus praescripsit, non vero etiam in ecclesiis vel capellis filialibus.

Si vero in vico Bornheim proprii iuris paroecia olim exstitit, tum publicatio decreti Tridentini in ecclesia parochiali Francofurtensi catholicos Bornheimenses minime afficeret, licet tempore publicationis huius ecclesiam illam frequentarent, et ab eius clero quoad spiritualia providerentur. Hoc in casu nempe paroecia Bornheimensis occupatione sectaria interiisse putanda est, neque incolae vici ex hoc solum , quod necessitate coacti ecclesiam ad sanctum Bartholomaeum frequentarent tamquam parochiani Francofurtenses haberi possunt. Documentum vero historicum, comprobans illos legitima auctoritate ecclesiastica post dissolutionem paroeciae propriae ad sanctum Bartholomaeum Francofurtensem adscriptos fuisse, non existit.

Posset etiam dubitari , num incolae Bornheimenses decreto Tridentino obligentur, licet Bornheim olim ad paroeciam sancti Bartholomaei pertinuerit et in hac decretum publicatum fuerit, cum certo certius illud decretum in loco Bornheim sectae addicto neque receptum, neque -a saeculo XVI usque ad saeculum XIX observatum, neque ex quo tempore catholica communitas denuo coaluit, publicatum fuerit. Quum enim in vico Bornheim deinceps a saeculo XVI paroecia protestantium tantum extiterit, contendere quis posset ex tempore, quo exercitium cultus catholici publicum in vico omnino cessavit, vicum ipsum e paroeciali nexu cum paroecia ad sanctum Bartholomaeum prorsus defecisse catholicosque proinde, qui postea in Bornheim sedem fixerint, tamquam nulli paroeciae catholicae adscriptos et intra fines paroeciae haereticae degentes a decreto Tridentino quoad matrimonia contrahenda exemptos fuisse.

Huc accedit Vicarium Apostolicum pro ducatu Nassovico et territorio Francofurtensi initio huius saeculi nostri, extinctis Vicariatibus archiepiscopalibus Trevirensi et Moguntino in hac urbe Limburgensi constitutum in causa matrimoniali Caroli Christiani Gaubatz contra uxorem propriam Gruilielminam natam Maii die 13 Iulii 1824 in prima, dieque 5 Iulii 1825 in secunda instantia

declarasse, in loco ßornheim Concilii Tridentini... quoad matrimonia clandestina decretum minime esse receptum. »

Antistes limburgensis quum retulisset quae huc usque exscripta sunt proposuit dubia relata in calce huius quaestionis.

VOTUM CONSULTORIS.

RESPONSIO AD DUBIUM I.

a Decretum Concilii Tridentini *Sess. XXIV, cap. Î, De reform, matrim,* quo clandestina matrimonia irritantur, cum in parochia Francofurtensi sine dubio legitime sit promulgatum, ita fideles ligat, ut ibidem saltem matrimonia, in quibus utraque pars est catholica, si non servata forma Tridentina celebrentur, certo nulla et irrita dicenda sint. »

Cum dubium existere non possit, quin fideles laudato decreto Concilii Tridentini ligentur, quamprimum legitima illius facta fuerit promulgatio, universa quaestio in primo dubio ad hoc reducitur, utrum certo constet de legitima promulgatione cap. *Tametsi* etiam nunc vigente in parochia Francofurtensi necne. Praeterea iuvat animadvertere de iis solis nupturientibus dubium moveri, quorum uterque est catholicae fidei addictus, non de matrimoniis mixtis vel de matrimoniis a Protestantibus inter se celebratis. Etenim Protestantes Francofurtenses cum eo tempore quo conditum promulgatumque esset caput *Tametsi,* statum iam haberent plane distinctum a catholicis, ut constat ex factis allegatis, a lege Tridentina in celebrandis matrimoniis immunes dicendi sunt, atque civitati Francofurtensi merito applicatur illud principium, quod suo tempore adoptavit Pius VII pro civitate Baltimorensi atque Benedictus XIV pro statibus foederatis Hollandiae *(Cfr. Van de Burgt, De matrimonio, p. 266 et seqq.)* et optimo iure defenderunt viri docti, cum ultimis annis caput *Tametsi* in civitate Berolinensi promulgaretur. Nam lex Tridentina privata auctoritate aut ab inferiore quodam praelato ultra mentem supremi legislatoris extendi non potest. Iam vero, ut verbis utar Benedicti XIV in const. « *Singulari nobis,* » merito defenditur u Concilium decretum suum ad ea matrimonia non extendisse, quae disceptationi, a nobis anno 1741 solutae, occasionem dederunt. » Quare etiam matrimonia mixta, iuxta principia ab eodem Benedicto XIV stabilita *(Cf Bened. XIV, De synod, dioec. I. VI, cap. 6, n. 12)*

propter individuitatem contractus in parochia Francofurtensi ab eadem lege Tridentina exempta sunt, atque non ob strictam necessitatem, sed maioris securitatis causa pro parochia Francofurtensi specialis quaedam declaratio fuit requirenda.

Hisce praemissis, unice probandum restat, in parochia Francofurtensi decretum Tridentinum de forma in matrimonii celebratione observanda, sive disertis verbis atque expresse, sive diuturna observantia, tanquam eiusdem Concilii decretum, saltem pro catholicis, fuisse certo promulgatum, neque « si quando observatum fuit, longo dein temporis intervallo in desuetudinem » abiisse. Cf. *Pii VII epist, ad Archiepiscop. Moguntinum d. d. 8 Octob. 1803.*

Iam vero de legitima laudati decreti Tridentini promulgatione in parochia Francofurtensi dubium quoddam prudens vix existere potest. Profecto concedendum est, primas promulgationes capitis *Tametsi* **inde ab anno 1582 factas ab Archiepiscopis Moguntinis, quibus illo tempore civitas Francofurtensis in spiritualibus fuerat subiecta, aut omnino nullas fuisse, aut saltem summopere suspectas. Nam Daniel, Archiepiscopus moguntinus, cum die 22 Ian. 1582 decretum contra matrimonia clandestina in Concilio Tridentino latum tandem publicaret, quae cap.** *Tametsi* **continentur, accurate quidem praescripsit observanda, at non in vim decreti Tridentini, sed propter decretum sua auctoritate conditum.**

Atqui post declarationem S. C. C. ab Urbano VIII confirmatam, cf. Bened. XIV, *De synod, dioec. l. XII, cap. 5, n. 5 seqq.* **explorati iuris est nullam et irritam esse promulgationem** *cap. Tametsi,* **quae non fiat ut legis latae a Concilio Tridentino. Neque verba ilia ab Episcopo allegata, « utpote qui nunc in iure ecclesiastico statuti et declarati sunt, » continent sufficientem Concilii Tridentini mentionem, cum non solum nimis vaga sint et indeterminata, verum etiam minime referantur ad novum impedimentum clandestinitatis, sed potius ad gradus propinquitatis prohibitos, qui iam in iure decretalium continentur atque a** *Conc. Tridentino Sess. XXIV, de reform, matr., cap. 2, 3, 4,-* **utique magis** *declarati* **vel potius limitati sunt.**

"Wblfgangus, successor Danielis in sede Moguntina, in *Agenda* **anno 1599 pro universa sua ditione promulgata, tum in praefatione, tum in instructione de matrimonii Sacramento, Concilium Tridentinum expressis verbis commemorat, at ut addit Episcopus Limburgensis « De publicatione decreti ipsius vero in unaqua-**

que paroecia facta vel facienda nihil dicit ; - Archiepiscopus (vero) Ioannes Schwihrdt de Cronenberg die 10 Iulii 1615 decretum, de servitio divino edidit, in quo relate ad matrimonia contrahenda nonnisi decretum antecessoris sui Danielis de anno 1582 in memoriam revocat. »

His quoque decretis, legitimam promulgationem Tridentini decreti non esse factam, manifestum est. Etenim in priore decreto deest conditio essentialiter requisita ad validam promulgationem ; quoniam promulgatio fiat necesse est mandato Episcopi in singulis parochiis ; attamen facile concedo, illam Agendam Archiepiscopi Wolfgang! potuisse esse causam, ut decretum Tridentinum ipsa praxi et observantia promulgaretur. Alterum decretum anni 1615 eodem laborat vitio; atque etiamsi in singulis parochiis decretum Archiepiscopi Danielis denuo promulgatum fuisset impedimentum clandestinitatis ibidem non fuisset introductum ; nam ut supra probatum est, decretum Tridentinum non ut legem Concilii, sed ut suum statutum promulgaverat.

Facile inde deducet dubia saeculo XVII orta de valore promulgationis capitis *Tametsi* in archidioecesi Moguntina suo fundamento non caruisse ; atque optimo iure sapientique consilio Archiepiscopum Ioannem Philippum de Schoenborn anno 1.664 novam decreti Tridentini praescripsisse promulgationem.

Primum argumentum ex allegatis ad comprobandam assertionem de promulgatione decreti Tridentini in parochia Francofurtensi facile videtur posse deduci. Etenim in decreto consistoriali anni 1664 in universa Dioecesi moguntina nova praescribitur promulgatio decreti Tridentini contra clandestina matrimonia, ut patet ex tenore decreti et modo agendi parochorum et comrhissariatus Aschaffenburgensis in documentis allatis. Iam vero haec nova promulgatio sine ulla restrictione praescripta, merito praesumitur facta etiam in parochia Francofurtensi, licet de ea ex scripto documento non constet. Et sane statuto generali Archiepiscopi Moguntini in illa parochia non fuisse satisfactum id probandum, non fingendum esset : argumenta vero quae a patronis contrariae sententiae afferuntur sunt merae coniecturae, omni valore destitutae, atque ad elidendam praesumptionem plane inefficacia. Dicunt enim nullum documentum de publicatione in archivio parochiali Francofurtensi reperiri. Documentum scriptum non existere ultro concedo. At quid inde? Numquid solis documentis scriptis promulgatio capitis *Tametsi* probari potest? Id falsissimum esse constat ex

notissima hac in materia doctrina canonistarum, cf. Schmalzgrueber *I. IV, tit. 3, num. 100,* et iteratis declarationibus S. C. C. mox eitandis.

Porro observant, permissionem publicationis decreti Concilii Tridentini studio magistratus Francofurtensis minuendae iurisdictionis ecclesiasticae plane contrariam fuisse. Verum hae sunt coniecturae, non facta historica. Etenim constat *saltém decretum Archiepiscopi Danielis anno 1582 in parochia Francofurtensi fuisse promulgatum, ut disertis verbis legitur in antiquissimo catalogo copulatorum et baptizatorum eiusdem parochiae. Unde liquet parochum Francofurtensem eo tempore multum fuisse alienum a nimio quodam metu protestantium.

Facile quoque explicari potest quod documentum de facta promulgatione anno 1664 non existat. Etenim ut eruitur ex antiquissimo libro copulatorum et baptizatorum in parochia Francofurtensi saltem ab an. 1640 in praxi observabantur, quae a Concilio Tridentino de matrimonii celebratione fuerant statuta. Quare parochus forte praetermissa solemniori promulgatione anno 1664 simpliciorem quemdam modum praetulit, ne odium excitaret protestantium.

Tandem *u* excipiunt anno 1664 publicatum non fuisse decretum Tridentinum, sed unice decretum consistoriale Archiepiscopale d. d. 10 Iulii eiusdem anni, cuius decreti tamen publicationem non aequivalere publicationi decreti Tridentini, cum ad hoc requiratur, ut tenor huius decreti saltem quoad substantialia in idiomate fidelibus intelligibili publicetur, in decreto illo consistoriali vero tenorem minime contineri. » Quae quam falsa sint legenti decretum consistoriale patet. Nam Concilium Tridentinum expressis verbis commemoratur : « Quoad haec iuxta S. Tridentinum Concilium vivere debere (fideles), *n* Iam vero illa verba *quoad haec* referuntur ad ea quae immediate praecedunt scilicet ad causas matrimoniales et matrimonia clandestina.

Praeterea Archiepiscopus moguntinus loquebatur ad parochos sanae mentis, qui probe sciebant, quid a Concilio Tridentino de matrimoniis clandestinis fuisset statutum et quam bene fuerit Reverendissimus Praesul a suis parochis intellectus efficitur ex documentis quamplurimis, quae referri possent.

Alterum iam accedit argumentum, quo eadem promulgatio cap. *Tametsi* in parochia Francofurtensi invicte probatur. Est enim principium inconcussum iuris canonici decreti Tridentini *a* publicationem praesumi, ubi id decretum fuerit aliquo tempore

in parochia tanquam decretum Concilii (Tridentini) observatum. » Quod principium S. C. C. d. 26 Sept. 1602 stabilivit atque iterum iterumque confirmavit d. 10 Iulii 1610, d. 16 Dec. 1634 , d. 13 Nov. 1638, d. 30 Mart. 1669. Cf. *Bened. XIV. de Synod, dioec. I. XII cap. 5 n. 6 et Pii VI epist, ad Episcop. Lucion. d. 28 Maii 1793.*

Atqui longa factorum serie luculenter probatur in parochia Francofurtensi decretum Tridentinum contra matrimonia clandestina conditum, ut decretum Concilii Tridentini fuisse observatum.

Quod etiam confirmatur factis particularibus; nam eruitur ex libro parochiali Francofurtensi nonnullos, stimulis conscientiae agitatos, matrimonium iuxta formam Tridentinam inire voluisse , quatenus contraxissent coram ministro protestantico.

Reverendissimus Praesul Limburgensis in supplicatione ulteriora exempla non affert, quibus usque ad nostram aetatem observationem decreti Tridentini in parochia Francofurtensi comprobet, sed illam tacite tanquam certam et indubitatam videtur supponere atque indirecte confirmat per duos testes omni exceptione maiores. Hi sunt Dr. Maufang canonicus Moguntinus ; cui consentit Dr. Braun, Canonicus fuldensis, in iure canonico doctissimi.

Tertium argumentum ad sententiam nostram confirmandam subiungi potest. Promulgatio capitis *Tametsi* **ex diuturna praxi et observantia non tantum praesumitur, idque praesumptione iuris et de iure, verum etiam ipsa praxi et consuetudine promulgatio illius capitis fieri potest. Cf.** *Arch. iur. eccl. t. 33 p. 169 seqq.* **Nam S. C. C. in causa** *Bosniensi* **d. 14 Ap. 1661 rescripsit : « Ceterum quantum pertinet ad eos, qui absque forma Concilii matrimonia contraxerunt respondit, si in ea regione decretum Concilii** *cap. 1 sess. 24 De refor. matr.* **observari consueverit, nulla esse matrimonia in quibus contrahendis Parochus non fuerit adhibitus. » Iam vero in hac responsione S. C. C. supponit sola consuetudine niti observationem capitis** *Tametsi,* **atque promulgationem expressam non commemorat. Nihilominus matrimonia absque forma Tridentina celebrata non dicuntur *u* nulla praesumi, ?> sed. « nulla esse, » ergo S. C. C. ipsa censuit praxi et consuetudine legem illam Tridentinam sufficienter promulgatam fuisse. Nam caput** *Tametsi* **sine vera quadam promulgatione vim in parochia non obtinet, at lege illa Tridentina non vigente matrimonia clandestina non sunt invalida, sed ex iure antiquo valida censentur. Hinc cum S. C. C.**

dicat matrimonia esse invalida, « praesumi publicationem » et *u* publicatum *v* convertuntur.

Idem effici potest ex responsione S. C. C. d. d. 27 Martii 1632: *u* Ubi constat decretum s. Concilii esse publicatum vel aliquo tempore in parochia tamquam decretum s. Concilii observatum. ... »

Quo in responso illa particula *u* vel » observatio decreti tamquam decreti Tridentini, simpliciter aequiparatur verae et expressae promulgationi. Porro eadem aequiparatio occurrit in epistola Pii VII ad Archiepiscopum Moguntinum d. d. 8 Oct. 1803 : « Probe novit Fraternitas tua huius generis matrimonia rata et firma consistere iis in locis, in quibus Concilii Tridentini decretum vel nunquam publicatum fuit, vel nunquam observatum tanquam eiusdem Concilii decretum, vel si quando observatum fuit, longo dein temporis intervallo in desuetudinem abiit. » Quod R. Pontifex in epistola modo laudata disertis verbis concedit sanctionem Tridentinam contra clandestina matrimonia saltem longo temporis intervallo per contrariam consuetudinem in aliqua parochia abrogari posse, multo magis per consuetudinem iuri summopere conformem promulgatio capitis *Tametsi* fieri potest.

Denique haec sententia ex ipso Concilio Tridentino confirmari potest. Etenim Patres Concilii Tridentini cum directe promulgationem quandam expressam capitis *Tametsi* praescriberent, tamen alteram formam tacitae cuiusdam promulgationis praxi et observantia illius decreti factam minime excluserunt, quin imo quoad modum promulgationis magnam Episcopis reliquerunt libertatem. Ita v. g. fieri potest publicatio per publicani decreti lectionem in ecclesia, verum etiam per simplicem affixionem ad valvas ecclesiae. At ex natura rei sicuti lex tum scripto tum. per consuetudinem condi potest, ita etiam promulgatio legis a competente auctoritate latae et expresse et ipsa praxi perficienda nullo iure prohibetur. Consuetudo ipsa potius est optima legum promulgatio, hinc ad ius consuetudinarium introducendum promulgatio alias ad valorem legis omnino necessaria speciali ratione non requiritur, quippe cum ipsa consuetudine contenta sit. Ergo quoniam verba Concilii Tridentini huic modo promulgationis capitis *Tametsi* non obstant, ab ipso quoque Concilio approbatus est. Quae ratio confirmatur decisionibus iam allatis S. C. C, in quibus uterque modus promulgationis plane aequiparatur; at nullum reperitur vestigium S. C. C. dare illis responsis interpretationem quandam extensivam Concilii

Tridentini, ergo res in Concilio Tridentino iam contenta tantum apertius atque clarius per legitimam interpretationem fuit proposita.

Neque excipi potest contra hanc sententiam modo stabilitam inde sequi in Anglia et Scotia non iam existere valida matrimonia clandestina. Sane ibidem boni Catholici celebrant sua matrimonia coram parocho et duobus saltem testibus ; at probe sciunt fideles illam formam celebrationis matrimonii ad valorem actus in Anglia et Scotia non requiri, ergo deest opinio necessitatis, quae ad consuetudinem introducendam omnino est necessaria. Porro Episcopi illa praxi et observantia nullo modo intendunt aliquam promulgationem capit. *Tametsi,* **sed ut aliunde constat laudatum decretum Tridentinum non privata parochorum auctoritate, sed ex mandato et assensu tantum Episcoporum valide promulgari potest. Denique observantia illa non viget in vim decreti Tridentini, sed potius propter statuta dioecesana et consuetudinem in Anglia receptam, vel potius in vim iuris antiqui in Anglia et Scotia nunquam abrogati, quod minime ad validitatem, bene vero ad liceitatem requirit publicam matrimonii celebrationem in facie ecclesiae. Deficientibus igitur essentialibus conditionibus, promulgatio capitis** *Tametsi* **in Anglia et Scotia tanquam per observantiam facta minime est asserenda.**

His in iure stabilitis, subiungenda sunt facta in supplicatione allegata, quibus probetur praxi et observantia decretum Tridentinum contra matrimonia clandestina legitime esse promulgatum. Quae praxis atque observantia optimo iure deducitur ex ritualibus dioecesanis. Nam S. C. C. in causa *Constantinopolit.* **d. 16 Decembris 1634: censuit : « Rituale Romanum de Sacramento Matrimonii observatum in singulis parochiis Civitatis Perae tanquam decretum S. [Concilii seu Summi Pontificis Romani, inducere sufficientem praesumptionem publicationis eiusdem decreti, ita ut in celebratione matrimoniorum pro illorum validitate servanda sit forma ab eodem Sacro Concilio praescripta. » Iam vero ut supra probatum est ex modo loquendi S. C. C. publicationem praesumi ex observantia huius decreti, idem significat atque publicationem per observantiam revera factam esse, neque ullum dubium existere potest, quin in ritualibus Archidioecesis Moguntinae. in qua parochia Francofurtensis sita erat, accuratissima praescriberetur observatio decreti Tridentini de forma celebrandi Matrimonia. Quod factum fuisse eruitur ex relatione eiusdem Episcopi Limburgensis.**

Insuper ut in argumento secundo demonstravi, in parochia Francofurtensi praxis Rituali dioecesano fuit conformis, idque eo fine, ut observaretur decretum Concilii Tridentini et vitaretur nullitas matrimonii.

RESPONSIO AD DUBIUM II.

u **Decretum Tridentinum contra matrimonia clandestina eadem ratione eodemque ambitu atque in parochia Francofurtensi etiam sponsos catholicos in vico Bornheimensi adstringit ; at quoniam ex factis in supplicatione allegatis promulgatio** *cap. Tametsi* **in illo vico non eadem certitudine et evidentia probari potest atque in parochia Francofurtensi, Rmus Episcopus Limburgensis non ob strictam quandam necessitatem, sed ad tollendos scrupulos et removenda dubia parum fundata, merito utetur iure oneroso a Concilio Tridentino -Sess.** *XXIV cap. 1 De reform, matr.* **his verbis Episcopi concesso : — Ne vero haec tam salubria praecepta quemquam lateant Ordinariis omnibus praecipit, ut cum primum potuerint curent hoc decretum populo publicari ac explicari in singulis suarum dioecesium parochialibus ecclesiis, idque in primo saepissime fiat,** *deinde vero quoties expedire viderint. »*

Vicus Bornheim nostra aetate quoad administrationem civilem cum civitate Francofurtensi coniunctus est; ante reformationem saeculi decimi sexti extra muros civitatis Francofurtensis situs erat. Propterea sunt qui contendant Bornheim sicut alios vicos extra moenia Francofurtensis sitos, propriam fuisse parochiam. Ast hoc non probatur ex historicis documentis. In aliis antiquis documentis Ecclesia Bornheimensis vocatur cappella. Verum ex his quoque documentis colligi nequit an dicta Ecclesia, ante reformationem, vera fuerit paroecia; quum ex relatis videtur potius erui posse capellani Bornheimensem exstitisse ecclesiam quandam filialem a clero parochiali Francofurtensi administratam.

Ceteroquin istis quaestionibus de distincta vel incorporata parochia ante reformationem in pago Bornheimensi existente non nimis insistendum esse existimo in hac controversia. Nam solutio quaestionis canonicae non potest pendere a coniecturis historicis et factis non probatis. At in supplicatione nulla afferuntur argumenta concludentia, quibus demonstretur Bornheim ante reformationem propriam et distinctam fuisse parochiam.

Praeterea dato et non concesso, quod Bornheim ante pseudoreformationem proprie fuerit parochia, nequaquam inde sequitur

Catholicos Bornheimenses legi Tridentinae irritanti matrimonia clandestina non esse adstrictos. Etenim illa ipsa apostasia a fide catholica omnium incolarum parochia Bornheimensis fuisset extincta eiusque territorium potuit coniungi post reformationem cum parochia Francofurtensi.

At numquid ex documento quodam historico constat de facta promulgatione cap. *Tametsi* **in parochia Francofurtensi? Nihilominus illa promulgatio est certa et indubitata. Et revera consuetudo immemorialis certe sufficit ad praescribendos fines parochiarum, si sint dubii** *(cfr. 4 D. de parodi., III, 29)* **et Schmalzgrueber,** *(Ius ecclesiasticum universum, t. III, t. 29, n. 24),* **iam vero fines illi saltem fuerunt dubii, cum omnia facta historica potius probant Bornheim iam ante reformationem fuisse tantum partem parochiae Francofurtensis atque ex tempore immemoriali usque ad annum 1869 clero parochiali Francofurtensi curam animarum in vico Bornheim fuisse demandatam. Id quod procul dubio factum est, annuente legitima auctoritate ecclesiastica, neque illa cura ultra saeculum constanter exercita fuit extra proprium territorium parochiale.**

Ex altera parte si certo constaret vicum Bornheim iam ante reformationem fuisse partem parochiae Francofurtensis facilius quis tanquam legitimam admittet conclusionem, caput *Tametsi* **etiam in vico Bornheim esse observandum. Nam si certo constat de finibus alicuius parochiae per praescriptionem immutatio finium nequit induci, ut eruitur ex** *cap. 4, D. de parodi., III, 29,* **et Schmalzgrueber** *(l. c. n. 22 et 23).* **Porro lex Tridentina irritans matrimonia clandestina afficit incolas parochiae ratione territorii, ergo si Bornheim semper certo fuerat pars parochiae Francofurtensis, saltem Catholici Bornheimenses capite** *Tametsi* **eodem modo ligantur atque Catholici civitatis Francofurtensis. Et profecto territorium quoddam a parochia non dismembratur, quod incolae illius territorii a fide catholica defecerint ; secus etiam fines antiquarum dioecesium Germaniae per reformationem fuissent immutati, atque adeo in eadem civitate certae plateae, quarum incolae, abiecta fide catholica ad sectam Lutheranam transierant, ita potuissent separari a territorio parochiae catholicae, ut Catholici postea ibidem habitantes fuissent extra parochiam constituti. Id quod nemo dixerit. Ergo si vicus Bornheim fuit pars parochiae Francofurtensis, promulgatio capitis** *Tametsi* **ibidem facta sive expresse sive constanti observantia etiam pro vico Bornheim abunde sufficiebat. Quod vero additur de decreto Tridentino non** *u* **observato » in vico Boni-**

heim, id sane verissimum est de Protestantibus, at de Catholicis id esset probandum, quoniam extra controversiam est, Protestantes in civitate Francofurtensi et vico Bornheimensi non affici impedimento clandestinitatis; sed in ipsa supplicatione asseritur, religionem catholicam exeunte saeculo XVI in vico Bornheim exstinctam fere fuisse ut vix « adhuc Catholici ibi invenirentur. » Catholici vero non existentes in Bornheim non poterant omittere observantiam decreti Tridentini, verum si post multos annos denuo in partem paroeciae huc usque a solis haereticis habitatam migravissent Catholici, procul dubio ligati fuissent lege Tridentina, sicut nostra aetate in urbe Roma illi Catholici, qui in vico Hebraeorum nunc destructo sibi domicilium quaerunt, capitis *Tametsi* **sanctionibus omnino subiecti sunt, licet forte per plura saecula in illo Ghetto homines religioni catholicae addicti vix unquam habitarint.**

Quare omnino tenenda videtur sententia, homines catholicos vici Bornheim nostra aetate ad observandam formam Tridentinam in matrimoniis celebrandis esse obligatos. Cuius assertionis probatio post explicationem iam praemissam duobus brevibus argumentis proponi potest.

I°. Certum atque indubitatum est in omnibus locis, quae iurisdictioni archiepiscopi Moguntini erant subiecta anno 1664 decretum Tridentinum irritans matrimonia clandestina rite fuisse promulgatum. Et profecto si post tot acta et decreta anno 1664 in Archidioecesi Moguntina cap. *Tametsi* **non fuisset promulgatum, id revera mirabile esset. Iam vero certum est vicum Bornheim quondam iurisdictioni Archiepiscoporum moguntinorum fuisse subiectum , neque ullum existit vestigium Bornheim extitisse extra territorium parochiae catholicae, ergo validissima est praesumptio etiam Bornheimenses catholicos decreto Tridentino ligari.**

2°. Bornheim usque ad annum 1869 fuit pars parochiae Francofurtensis. Nam facta supra allegata id iam magna probabilitate suadent vel pro ipso tempore ante reformationem ; constans vero consuetudo per tria saltem saecula continuata omne dubium tollit, ut probatum est. Iam vero in parochia Francofurtensi adeo certo et indubitanter caput *Tametsi* **est observandum ex tempore immemoriali, ut mirum sit, quomodo de hac re ullum dubium potuerit moveri. Ergo eadem lege tenentur incolae catholici vid Bornheim.**

Contra responsionem modo datam haec movetur difficultas : « Huc accedit Vicarium Apostolicum pro Ducatu Nassovico et territorio Francofurtensi. . . . in causa matrimoniali Caroli Christiani

G-anbatz contra uxorem propriam Guilelminam natam Mai die 13 Iulii 1824 in prima, dieque 5 Iulii 1825 in secunda instantia declarasse, in loco Bornheim Concilii Tridentini quoad matrimonia clandestina decretum minime esse receptum. » Quae difficultas congrua responsione videtur posse solvi. Sententia illius Vicarii Apostolici est decisio in causa particulari data, neque ullo argumento probatur ipsum in *u* quaestionem generalem » tanta cura atque diligentia inquisivisse quanta id factum esse a Rmo Episcopo limburgensi pro tempore existente ex supplicatione constat. Quare mirum non est, si a sententia Vicarii Apostolici nunc sit recedendum. Simili ratione Benedictus XIV contra responsiones quasdam S. C. C. in casibus particularibus datas d. 4 Nov. 1741 rescripsit: *u* Licet Sanctitas Sua non ignoret alias in casibus quibusdam particularibus et attentis tunc expositis circumstantiis S. Congr. Concilii pro eorum (matrimoniorum) *invaliditate* respondisse, aeque tamen compertum habens nihil adhuc *generatim* et *universe* super eiusmodi matrimoniis fuisse ab Apostolica Sede definitum et alioquin oportere omnino. . . . .quid *generaliter* de hisce matrimoniis sentiendum sit declarare. . . . .declaravit statuitque matrimonia. . . . .pro *validis* habenda esse. »

Porro ipse Rmus Antistes Limburgensis ipsa sua supplicatione satis demonstrat ista sententia Vicarii Apostolici causam non esse diremptam, secus non recurrisset ad Sedem Apostolicam. Quo recursu etiam illud insinuât sapienterque comprobat, neque se neque illum Vicarium apostolicum competenti auctoritate instructos esse, qui quaestionem generalem iuris in hac re authentica interpretatione definire potuerint. Nam licet Episcopi ex mandato Concilii Tridentini non tantum possint, sed debeant caput *Tametsi* promulgare atque nova promulgatione facta, facile dubia pro futuro tempore solvere possint, tamen per viam interpretationis in hac materia procedere nequeunt. Episcopi enim quoad decretum Tridentinum irritans matrimonia clandestina solummodo explent ministerium promulgationis legis a superiore latae, minime vero ipsi legislatores existunt. Quare si dubia de valore promulgationis orta sua interpretatione, non nova promulgatione , vellent resolvere, facili negotio fieret, ut interpretatione quadam restrictiva legem Tridentinam forte iam introductam abrogarent, aut interpretatione extensiva, neglectis conditionibus a iure requisitis, invalide cap. *Tametsi* promulgarent. Atqui utrumque potestatem Episcoporum superat, ideoque ad Sedem Apostolicam recurrendum est, ut sol-

vantur dubia generalia de valore promulgationis cap. *Tametsi* aut de abrogatione per desuetudinem.

Vis atque auctoritas laudatae sententiae Vicarii Apostolici non parum imminuuntur, quod unius tribunalis sit iterata tantum decisio, non diversorum tribunalium habeatur duplex conformis sententia, prout requiritur a constit. Benedicti XIV « *Dei miseratione* » in causis nullitatis matrimonii.

Denique quamvis concedatur Vicarium Apostolicum suo tempore non errasse, minime inde sequitur nostra aetate catholicos incolas vici Bornheim a lege Tridentina in matrimoniis celebrandis esse exemptos. Nam post illum annum 1825 praxi atque observantia decretum potuit promulgari, neque S. C. C., ut constat ex declarationibus in prima responsione allatis, ad praesumendam promulgationem laudati decreti nequaquam requirit tempus quoddam longissimum atque adeo immemoriale, sed sufficit si « aliquo tempore » tanquam decretum Concilii Tridentini fuerit observatum. Atqui incolae catholici vici Bornheim usque ad annum 1869 parochiae Francofurtensi censebantur adscripti, in qua decretum Tridentinum fuit observatum. Ergo illa praxi et observantia etiam pro vico Bornheim legitima promulgatio nostra aetate optimo iure est praesumenda.

RESPONSIO AD DUBIUM III.

« Catholici qui antehac in parochia Francofurtensi et Bornheimensi clandestine matrimonium contraxerunt et nihil dubitantes adhuc in eodem vivunt, si utraque pars sese sistat in foro ecclesiastico aut facili negotio induci possit, ut sese sistat, in forma Tridentina renovent consensum secreto coram parocho et duobus testibus; si una tantum pars sese sistat, altera vero pars sese sistere recuset, Rmo Episcopo limburgensi danda est facultas sanandi huiusmodi matrimonia in radice ad normam facultatis d. 4. Decembris 1886 a SS. Domino Episcopis Austriacis concessae ; si neutra pars sese sistat, neque ulla sit spes, ut moniti sese sistant, relinquendi sunt in sua bona vel mala fide iuxta *cap. 6, D. De consang. et affin., IV, 14.* »

Quoniam matrimonia clandestina in utraque parochia vi duarum priorum responsionum sunt certo invalida, applicanda sunt principia generalia de convalidatione matrimoniorum ob defectum formae Tridentinae invalide contracturam. Quae principia in re-

sponsione tertia breviter relata sunt. Quare responderi quoque posset: « Provisum in prioribus et quoad convalidationem matrimoniorum consulat probatos auctores. » Publica quaedam renovatio consensus non videtur requirenda. Nam si Episcopi in Conciliis provincialibus sibi abstinendum esse existimarunt a stricto praecepto celebrandi matrimonia in ecclesia, sed exhortationibus contenti fuerunt (cfr. *Collect. Lac. conc. recent, tom, III col. 316, 319, 1262),* **sane multo magis id in casu proposito obtinet. Altercationes- istae virorum doctorum facile illud efficere saltem potuerunt, ut scandalum abesset. Quare solummodo consulendum est conscientiarum tranquillitati, ad quam privata consensus renovatio coram parocho et duobus testibus abunde sufficit. Ne vero Rmus Episcopus cogatur denuo recurrere ad Sedem Apostolicam apte ipsi illico videtur concedenda facultas sanandi matrimonia illa in radice, sicuti concessa est Episcopis Austriacis ad sananda matrimonia invalide contracta propter non indicatam copulam incestuosam in petenda dispensatione, antequam per SS. Dominum die 25 Iunii 1885 necessitas indicandae copulae esset sublata. Qui casus nostro videtur esse-simillimus. Nam in illa quoque quaestione viri docti dubia moverunt de necessitate indicandae copulae, atque consequenter valida habuerunt matrimonia omissa illa conditione celebrata. Sententia ista licet quoad legem ferendam consideratione quadam digna fuerit, tamen spectata lege lata et attentis declarationibus sacrarum Congregationum in praxim deduci non potuit. Hinc si SS. Dominus non. obstantibus illis rationibus virorum doctorum, qui valida esse illa matrimonia opinati sunt, tamen sanationem in radice indulsit, idem videtur concedendum Riño Episcopo Limburgensi iisdem clausulis additis, scilicet si renovatio consensus absque gravi periculo vel scandalo fieri non possit et saltem una pars matrimonii nullitatem cognoscat et recurrat ad ecclesiam aeque consensus matrimonialis perseveret. (Cf.** *Archiv, iur. eccles, t. 58 c. 351).*

Quod vero fideles tandem aliquando in «ua bona fide relinqui possint, id praeter caput allegatum iuris decretalium etiam comprobari potest ex responsione S. C. S. Off. d. 14 Dec. 1853 data: « Matrimonia celebrata coram Sacerdotibus a respectivo Vicario Apostolico iurisdictionem non habentibus esse nulla. Quoad matrimonia contracta bona fide sileat, et si aliquod dubium exoriri possit, referat.» (Cfr. *Collectanea const. S. Sedis n. 996).*

RESPONSIO AD DUBIUM IV.

Quamvis huic dubio satis videatur provisum per responsa priora, tamen expressis verbis hoc modo videtur posse responderi :

u In parochia Francofurtensi lex Tridentina irritans matrimonia clandestina, cum certo iam sit promulgata, nova promulgatione, qua denuo in illa parochia vim obtineat, omnino non indiget; promulgatio vero quae fit ex mera utilitate relinquenda est prudenti arbitrio Episcopi Limburgensis iuxta verba cap. *Tametsi* Concilii Tridentini. In parochia vero Bornheim, licet a solemni quadam promulgatione abstinendum sit, tamen maioris securitatis causa expedit, ut ibidem simplici quadam ratione fidelibus catholicis intimetur matrimonia clandestina a Catholicis celebrata esse omnino nulla et irrita ex lege Tridentina. »

Quae responsio cum sit nonnisi corollarium ex praecedentibus responsis deductum, vix multis argumentis est confirmanda. Nam si lex Tridentina contra matrimonia clandestina lata certo est promulgata, profecto nova promulgatio non est necessaria.

Quare quaestio solummodo moveri potest de illa promulgatione, quae, aptius vocatur divulgatio, legemque iam constitutam sequitur, ut illius perfecta cognitio in populo conservetur atque augeatur. Qui finis ut obtineatur Concilium Tridentinum cap. *Tametsi* statuit: u Idque in primo anno quam saepissime fiat, *deinde vero quoties expedire viderint,* n Prudenti igitur arbitrio Episcopi res relinquitur, neque ulla est ratio, cur ab hac regula recedatur.

Item in parochia Bornheim ad solemnem quandam promulgationem procedendum esse non puto, tum ob promulgationem certo supponendam, tum ne videatur introduci res nova atque insolita, neve Protestantibus detur occasio calumniandi Catholicos, quemadmodum accidit, cum in civitate Berolinensi caput *Tametsi* promulgaretur. At simplex quaedam promulgatio, v. g. si una cum aliis impedimentis occasione data etiam hoc impedimentum clandestinitatis in memoriam revocetur, non videtur esse inutilis, quoniam facta in supplicatione allegata non adeo evidenter promulgationem factam esse demonstrant, ut omnium scrupuli sufficienter eliminentur.

Verum enim vero si cui arrideret illa sententia in vico Bornheim non vigere caput *Tametsi,* absque haesitatione suaderem, ut nova atque formalis illius decreti ibidem fieret promulgatio. Quo in casu Rmus Episcopus Limburgensis eodem iure uteretur, quo Archiepiscopus moguntinus anno 1664 propter dubia orta in

universa Dioecesi sua novam capitis *Tametsi* **promulgationem praescripsit, neque ad hanc rem efficiendam sibi licentiam Sedis Apostolicae necessariam esse arbitratus est. Neque nostra aetate putandum est Episcopis hac in re manus esse ligatas, atque specialem quandam requiri licentiam Sedis Apostolicae. Nam quamvis mandatum Concilii Tridentini promulgandi caput** *Tametsi* **proxime et directe referatur ad Episcopos illius temporis, tamen futuri Episcopi non sunt exclusi, sed verbis Concilii comprehenduntur. Ergo Episcopi non tantum possunt, sed debent servatis servandis caput** *Tametsi* **in suis Dioecesibus promulgare, neque profecto petenda est licentia a Sede Apostolica ad id, quod quis stricta obligatione facere tenetur. Hinc sicuti Episcopi non debent petere licentiam a Sede Apostolica, ut iuxta sanctiones Tridentinas singulis trienniis celebrare possint concilia provincialia, sed potius edocenda est Sedes Apostolica de causis, propter quas legi Tridentinae de celebrandis Conciliis provincialibus non sit obsecundatum, ita in hac quaestione Episcopi in relatione status exponere debent causas omissae promulgationis capitis** *Tametsi.* **Huiusmodi causae sine dubio existere possunt, atque a Sede Apostolica approbantur. (Cfr.** *v. g. epist. S. C. de Prop. F. d. 23 Iun. i830 in collect, cit. n. 994).*

At huiusmodi causae ad omittendam promulgationem capitis *Tametsi* **in vico Bornheim vel in ipsa civitate Francofurtensi saltem pro Catholicis non videntur existere. Praerogativa sane singularis non est reputanda, si parochia quaedam a lege Tridentina servanda est immunis. Remanet enim constituta sub iure antiquo, quod multa habet incommoda, atque a Concilio Tridentino « propter hominum inobedientiam » et « gravia peccata...... quae ex eisdem clandestinis coniugiis ortum habent, » summa cura atque sapientia fuit correctum. Iam vero si hisce ultimis annis vel in ipsa civitate Berolinensi caput** *Tametsi* **potuit promulgari, si S. C de Prop. F. approbante Pio VII d. 14 Ian. 1821, censuit, ut Vicarii apostolici in imperio Sinarum, quantum fieri posset, « Concilii Decretum integrum rite promulgandum » curarent, sane etiam Catholici Bornheimenses vel Francofurtenses non inferioris conditionis sunt quam Catholici Berolinenses, atque adeo Sinenses. Huc accedit disciplinae uniformitas in una eademque Dioecesi promovenda. Quae uniformitas ratio fuit principalis, ut v. g. in vastissima dioecesi Wratislaviensi, saltem pro nonnullis locis nova prodiret ordinatio de forma servanda in matrimoniis celebrandis.**

Quibus animadversis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An decretum Tridentinae Synodi* **Sess. XXII cap. 1 De reform, matrim,** *clandestina matrimonia invalidans fideles Francofurti degentes sive vi publicationis, sive vi observantiae diuturnae obliget, ita ut matrimonia ibi, non servata forma Tridentina, inter catholicos pro nullis habenda sint in casu.*

II. *An decretum illud eadem ratione etiam sponsos catholicos locum Bornheim incolentes obstringat in casu.*

Et quatenus *affirmative* **ad utrumque.**

III. *Quid agendum relate ad eos catholicos Francofurtenses et Bornheimenses, qui antehac matrimonium clandestine contraxerunt, et de validitate nihil dubitantes adhuc in eodem vivunt in casu.*

Et quatenus *negative* **ad utrumque l"m et 2um dubium vel alterutrum.**

IV. *An idem decretum ibidem publicandum sit absque tamen praeiudicio validitatis matrimoniorum ab acatholicis inter se vel a catholicis cum protestantibus contrariorum in casu.*

RESOLUTIO. Sacra Congreg. Concilii re cognita sub die 19 Ianuarii 1889 censuit respondere : *Ad I. et IL constare fideles Frankfurti et Bomheim degentes, lege Tridentina, circa matrimonia clandestina teneri. Ad III. et IV. In voto consultoris.*

Ex QUIBUS COLLIGES I. Nullo existente dubio de publicatione decreti *Tametsi* **in aliquo loco, ibidem nulla censenda esse matrimonia inter catholicos inita, nisi facta sint coram Parocho proprio et duobus testibus.**

II. Legem hanc Tridentinam non ligare, in celebratione matrimoniorum, nisi utraque pars addicta sit religioni catholicae; ideoque matrimonia mixta aut illa contracta a protestantibus inter se legi eiusmodi non subesse ; quia Concilium ad ea matrimonia decretum suum non extendit; *Benedictus XIV Constit. Singulari nobis, et de Synodo dioec. lib. IV, cap. 6, n. 12.*

III. Qua de re ad probandam matrimonii alicuius existentiam evincendum esse, dictum decretum *Tametsi* **publicatum fuisse sive disertis verbis atque expresse, sive diuturna observantia apud catholicos tamquam Tridentini decretum ; neque si quando observatum fuit, longo dein temporis intervallo in desuetudinem abiisse.**

IV. Post declarationem S. C. C. ab Urbano VIII confirmatam

ex Benedicto XIV. De Synod. Dioec. lib. 12, cap. ò, n. 5 seqq. **certum esse nullam et irritam esse promulgationem capitis** *Ta^ metsi,* **quae non fiat uti legis latae a Concilio Tridentino.**

V. Ex notissima canonistarum doctrina et ex resolutionibus S. C. C. certum esse promulgationem capitis *Tametsi* **aliquo in loco, non solum per documenta scripta, sed etiam per praesumptionem probari posse; praesumitur enim publicatio, ubi decretum fuerit aliquo tempore in parochia tamquam decretum Tridentini observatum ;** *Schmalzgrueber lib. 4, tit. 3, n. 100.*

VI. Quinimo diuturna observantia capitis *Tametsi,* **nedum praesumi eiusdem promulgationem ; sed rite fieri posse eandem promulgationem per praxim et diuturnam consuetudinem erui ex resolutionibus ipsius S. C. C. ; ex** *Epistola Pii VII ad Archiep. Mogunt. 8 octob. 1803.* **(1) quia in ipsa consuetudine lex contenta est, neque praesumenda est eius publicatio, sed pro certa habenda est.**

VII. In Anglia tamen et Scotia, ubi Tridentinum publicatum non est, retineri non posse publicatum fuisse per laudabilem consuetudinem, qua boni catholici matrimonia ineunt apud parochos et duos testes ; quia Episcopi, de quorum mandato fieri debet promulgatio Tridentini, non intelligunt aliquam fieri promulgationem capitis *Tametsi* **per illam praxim, quae magis spectat ad liceitatem, quam ad validitatem matrimoniorum.**

VIII. Observantiam ritualis Romani de Sacramento matrimonii in singulis paroeciis Dioecesis, observati tamquam decreti s. Concilii seu Summi Pontificis , inducere sufficientem praesumptionem publicationis eiusdem decreti, ita ut in matrimoniis servandum sit idem decretum ad validitatem.

IX. Legem Tridentinam, irritantem matrimonia clandestina, afficere incolas paroeciae ratione territorii ; et pars territorii a paroecia non dismembratur quia incolae illius partis a catholica religione defecerunt ; et ideo si in hac parte redeant catholici, lege Tridentina obligantur ; sicut Romae obligarentur catholici qui domicilium in *ghetto* **Hebraeorum constituerent.**

X. Ad Apostolicam Sedem pertinere solutionem dubiorum generalium de valore promulgationis capitis *Tametsi,* **aut de abro-**

(1) Censeri potest praxim et consuetudinem decennii satis esse ad promulgationem huius legis Tridentinae, iam latae ; quia haec consuetudo est iuxta legem et legi congrua. Idque eo fortius , dum *Reiffenstuel lib. 4 tit. 3 n. 119* **existimet decretum Tridentinum irritans matrimonia clandestina , non obstante legitima promulgatione, per contrarium usum, intra decennium in desuetudinem abire posse.**

gatione eiusdem per desuetudinem ; ad Episcopos vero spectare promulgationem eiusdem capitis ; et dubia , si adsint, removere pro futuro tempore, per novam promulgationem, minime vero per interpretationem, quae in re generali superat eorumdem auctoritatem.

XL Matrimonia in themate celebrata a catholicis coram ministro protestante esse irrita, quia publicatio capitis *Tametsi* **facta fuit sive expresse, et disertis verbis, sive per consuetudinem immemorabilem.**

XII. Matrimonia invalida ob defectum formae Tridentinae revalidari posse vel si utraque pars se sistat coram parocho et duobus testibus, et secreto renovet consensum, vel si una pars se sistere recuset, facultas detur Episcopo sanandi matrimonia in radice.

MONITUM. Relatio huius quaestionis occasionem praebuisset exhibendi lectoribus catalogum locorum quibus publicatio decreti *Tametsi* **facta fuit. Idque pergratum esset si tempus non deficeret ad opus tantae molis. Ad hoc enim rite perficiendum longa et diligenti inquisitione opus esset apud archivia ss. Congregationum Romae. Abstineo ab exhibendis aliis catalogis, iam editis, utpote qui nimis accurate haud concinnati fuerint, et saepe saepius causae sint magis confusionis, quam ordinis et claritatis in quaestionibus de clandestinitate.**

CONIMBRICBN.

SCHOLARUM UNIVERSITATIS

Die 18 Iulii 1888.

Sess. 25 cap. 2 de Reform.

COMPENDIUM FACTI. Episcopus Conimbricensis et redactores religiosae ephemeridis ***Instituigoes Christias*** paucis ante diebus S. O. G. exponebant « extremis his temporibus magnam exortam esse controversiam, in hoc Regno Lusitaniae et praesertim in hac Dioecesi, apud scriptores catholicos, circa interpretationem sequentis textus S. Concilii Tridentini ***cap. IT, in fine, sess. XXV, de reform: Ad haec omnes ii, ad quos universitatum et studiorum generalium cura, visitatio et reformatio pertinet, diligenter curent, ut ab eisdem universitatibus canones et decreta huius Sanctae Synodi integre recipiantur, ad eorumque normam Magistri***

Doctores et alii in eisdem universitatibus ea, quae Catholicae Fidei sunt, doceant et interpretentur; seque ad hoc institutum initio cuiuslibet anni solemni iuramento obstringant: sed et si aliqua alia in praedictis universitatibus correctione et reformatione digna fuerint, ab eisdem ad quos spectat, jpro religionis et disciplinae ecclesiasticae augumento emendentur et statuantur. Quae vero universitates immediate Stemmi Romani Pontificis protectioni et visitationi sunt subiectae, has Sua Beatitudo per eius delegatos eadem, qua supra, ratione, et prout ei utilius visum fuerit, salubriter visitari et reformari curabit.

» Discrepantia sententiarum circa huius textus interpretationem magnum parit detrimentum et scandalum apud fideles. Ut igitur veritas clare pateat ac tuto et efficaciter defendi possit, dubiorum, in calce relatorum, solutionem «oratores humiliter expostulant. »

Disceptatio Synoptica.

Animadversum ex officio fuit, quaestionem agendam hanc esse, utrum scilicet in universitate quae ad statum civilem pertinet, quaeque proinde visitationi et reformationi status subest, cura, ut omnia iuxta Tridentinae fidei decreta tradantur, correctio pro religionis et ecclesiasticae disciplinae augumento a Tridentino commendata, ipsumque demum supremum officium integritatis fidei curandae, ad statum spectent: et quomodo, idest directene et exclusive. Atque ita tria priora dubia absolvuntur. In 4. vero et 5. dubio speciales et subordinatae quaestiones proponuntur: scilicet 4., in hypothesi quod ad statum non pertineat ***superintendentia doctrinalis,*** quatenus haec importat officium integritatis fidei curandae, utrum haec ad Episcopum loci ***etiam quoad universitates*** pertineat: - exemptae enim forte supponuntur universitates-; 5. utrum Episcopus per se et immediate possit doctorem universitatis censura multare seu admonere de errore, in universitate tradito, aut in scriptis ab eo evulgato: -

exemptae forte et personae ab ordinaria Episcopi iurisdictione praesumuntur.

QUAE STATUI FAVERE VIDENTUR. Ambigi nequit, statui eiusque fautoribus in primis legis litteram favere. Etenim in ***cit. cap. 2 sess. 25*** Tridentinum non ad Episcopos taxative loquitur, sed ad ***omnes ad quos universitatum et studiorum generalium cura, visitatio et reformatio pertinet.*** Itaque in hypothesi quod universitates a statu et a Rege dependeant, sicut in proposito casu contingit, iam Tridentini monitum ad statum et ad regem, non vero ad Episcopos intelligi debet directum.

Nec quidquam refert quod agatur de materia ecclesiastica et religiosa, et de cura fidei sartae tectaeque servandae. Siquidem « ad Regis officium pertinet ea ratione vitam multitudinis bonam procurare, secundum quod congruit ad caelestem beatitudinem consequendam, ut scilicet ea percipiat, quae ad coelestem beatitudinem ducunt, et eorum contraria, secundum quod fuerit possibile, interdicat. » Auctor ***de regim. prin. lib.*** i., ***cap. 15.*** Imo « in regimine legislator semper debet intendere ut cives dirigantur ad vivendum secundum virtutem. » Idem ***lib. 3, cap. 3.*** Unde Princeps vigilare semper et ubique debet, ut in suo regno integra servetur fides, ne subrepentes errores incautos decipiant, et impiis et immoralibus doctrinis cives pervertantur.

Sane ita Leonem Augustum adloquebatur S. Leo m. in ***ep. 125 alias 75:*** « Debes incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad ecclesiae praesidium esse collatam, ut ausos nefarios comprimendo , et quae bene sunt statuta defendas, et veram pacem his quae sunt turbata restituas. » Ac pariter ita S. Gregorius m. ad Mauritium Imperatorem ***lib. 2 ep. 11*** scribebat: « Ad hoc potestas super omnes homines Dominorum nostrorum pietati coelitus data est, ut qui bona appetunt adiuventur, ut coelorum via largius pateat, ut terrestre regnum coelesti regno famuletur ».

Ac demum recolere sufficiant quae ipsum Tridentinum

sess. 25 cap. 20 tradit. Nam ibi « saeculares quoque Principes admonendos esse censuit, confidens, eos, ut catholicos, quos Deus sanctae fidei ecclesiaeque protectores esse voluit, ius suum ecclesiae restitui non tantum esse concessurus, sed etiam subditos suos ad debitum erga clerum, parochos et superiores ordines reverentiam revocaturos. . . . ut.... una cum ipsis principibus debitam sacris SS. Pontificum et Conciliorum constitutionibus observantiam praestent.

Si autem fidei custodes ac vindices constituti sunt catholici principes, nihil videtur obstare quominus hoc munus exerceant et in universitatibus ; imo eo maiori etiam titulo ac vigilantia, quo in evulgandis et adstruendis erroribus huiusmodi scientiarum palestrae periculosiores sunt, et magis a civili potestate dependent.

Imo in hypothesi, quae semper retinetur, quod nempe universitas a rege dependeat, incongruum haud videtur quod regis potestas, quoad correctionem et visitationem in iis quae ad fidem spectant, ***directa*** sit et relate ad Ordinarium insuper et ***exclusiva.*** Sane hoc videtur esse privilegium Regibus et Imperatoribus concessum, ut nempe quae ipsis commendata sunt independenter ab Episcopis locorum Ordinariis sub directione tamen supremi Ecclesiae capitis gubernent.

Sane Tridentinum ***sess. 22 cap. 8*** postquam Episcopis etiam tamquam Apostolicae Sedis delegatis ius fecerit « visitandi hospitalia, collegia quaecumque ac confraternitates laicorum, etiam quas scholas, sive quocumque alio nomine vocant, » addit « ***non tamen quae sub Regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia.*** »

Et ratio est, sicut habet Barbosa in ***collect, ad hoc cap. n. 27,*** « quia Tridentina synodus satis videtur confidere curae et sollicitudini Regum, qui talia hospitalia in sua potestate habent, nec voluit Episcopis causam praebere se immiscendi fundationibus illis, quas Reges proventibus propriis aut aerario publico constituerunt, suaeque iurisdictioni et immediatae protectioni reservarunt. »

Sed quoad rem, de qua agimus, specialem prorsus con-

sideratioiiem merentur verba illa quae in ***cit. cap.*** continentur, idest « ***etiam quas scholas vocant.*** » Ubi dum ex una parte innui videtur, scholas ad erudiendos pueros institutas Episcoporum visitationi esse subiectas, ex altera parte cadere sub exceptione dicuntur « quae sub Regum immediata protectione sunt. » Hoc enim suadet logica sermonis oppositio, lino hoc intellexisse quoque Barbosa videtur ***cit. Collect, n. 26,*** ubi ad verbum ***Etiam quas scholas*** ita notat : « Episcopus potest visitare Universitates omnes , exceptis illis quae sub Regum protectione sunt, ut per Narbonam ***I. 31 gl. 1 n. 5 tit. 7 lib. 1 Nov. Recompil. »***

Atqui, in propositorum dubiorum supposito, res est de universitate quae a statu dependet, quae scilicet sub cura, visitatione et correctione Regis existit.

Insuper quaestio in casu taxative tangit Conimbricensem universitatem. Quae a Dionysio rege ante annum 1325 fundata est, aucta a Ioanne III in prima medietate saeculi XVI, novamque demum ordinationem accepit sub famoso regis ministro marchione De Pombal. Ita sane habet Natalis Alexander ***tom. VIII Eist. Eccles. De reg. Lusit. art. 3 n. 5*** loquens de Dionysio: « Academiam Conimbricensem erexit, et honestissimis stipendiis eruditos homines undequaque accivit, qui docerent. » Et ***tom. LX*** loquens de Lusitaniae rege Ioanne III haec adiungit: « Litterarum studia excitavit, Olissiponensem academiam Conimbricam transtulit domorumque' auxit honorarium. »

De reformatione vero quoad studiorum rationem peracta in universitate Conimbricensi a marchione De Pombal, ex qua illae scholae arctiori vinculo regis administrationi et moderationi fuerunt mancipatae, loquitur Apostolicus Nuntius in suis litteris. Unde dubitandum haud videtur quominus in casu quoad universitatem Conimbricensem locus sit applicationi privilegii ***m cap. 8 sess. 22*** Tridentini quo scholae « quae sub Regum immediata protectione sunt » ab Episcoporum visitatione exemptae factae sunt.

QUAE STATUI ADVERSARI VIDENTUR. At ex altera parte

non minora favore Episcopi militant. Sane iussio, quae in proposito capite universitatum praesidentibus fit, haec est, curandi scilicet ut in universitatibus recipiantur Tridentina decreta, et ad eorum normam, quae catholicae fidei sunt, doceantur, et insuper si quae sint emendatione digna, haec pro religionis et ecclesiasticae disciplinae augmento corrigantur. Iamvero haea praescriptio tum ex logico illius capitis contextu, tum ex contextu historico ac demum ratione materiae seu obiecti praecepti, Episcopis immediate et directe facta videtur.

Et primum ex contextu logico. Etenim in ***cap. 2 sess. 25,*** ut habet ***eiusd. cap. rubr.*** sermo ad eos dirigitur « a quibus nominatim decreta concilii solemniter recipi et doceri debent; » qui in initio capitis ita expresse nuncupantur: « Praecipit igitur S. Synodus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis et omnibus aliis, qui de iure vel consuetudine in concilio provinciali interesse debeant etc.; » eosque omnes iubet expresse acceptare et curare, ut acceptentur canones et decreta Concilii. Dein vero S. Synodus ad eos in specie se convertit « ad quos Universitatum et studiorum generalium cura, visitatio et reformatio pertinet. » Porro hos ad quos Universitatum visitatio pertinet, alios non esse quam peculiares Episcopos, qui in sua Dioecesi huiusmodi instituta habent, sermonis analogia suadere videtur.

Imo si de Regibus et Principibus loqui voluisset S. Synodus, hos tum decentiae et reverentiae ratione, tum ad maiorem legis effectum, sicut et in aliis casibus fecit, certe ex professo nominavisset.

Demum verba illa ***etera, visitatio et reformatio,*** et potissimam verbum ***visitatio,*** iuxta communiorem usum de Episcopis praedicantur.

Quapropter in proposito Tridentini loco ad Episcopos sermonem dirigi, ipsa logici contextus ratio suadet. Quod secundo, magis magisque firmatur ex contextu historico.

Siquidem universitates, licet Principum aut privatorum, munificentia fundatae, tamen media aetate et etiam Triden-

tini tempore, quasi res ecclesiasticae habebantur, et natura sua sub Ecclesiae cura et directione transibant. Plura de hac re habentur in dissertatione P. De Robiano 0. P. ***De iure ecclesiae in universitates studiorum Lovanii 1863,*** et in dissertatione r. d. Poiian ***De seminar, ele ric. sect. 1 c.*** Lovanii 1874.

Imo nedum supremum moderamen, sed ipsa institutio iuridica universitatum ad Ecclesiam pertinebat ; Iungman ***Dissert, in histor, eccles, tom. V diss. 28 n. 107.*** Cuius quidem disciplinae relationem ita recte evolvit idem Iungman ***citato loco :*** « Agnoscebatur merito eo tempore ab omnibus Ecclesia, tamquam veritatis dux et salutis; atque adeo quum universitates maxime eum scopum haberent, ut regnum boni ac veri continua ab errore ac malo adhibita defensione diffunderetur, et culturae intellectualis opes sacrae ac prophanae per generationum seriem populis traderentur; ex indole rei suprema ista in re cura ad Ecclesiam spectabat. Ecclesiae profecto officium et ius proprium est tuendi tradendique veritates supernaturales, seu eas disciplinas re^-gendi, quae theologiam spectant et ius canonicum. Iam vero harum disciplinarum institutio primum in Universitatibus et praecipuum obtinuit locum. Sed etiam veritatum disciplinarumque naturalium instituta in rem religionis ac morum maximae auctoritatis sunt, et secundum quod recta sunt, aut falsa traduntnr, vel permagna bona hominibus procurantur, vel in grandia salutis ipsi deducuntur pericula. Unde vides etiam sub hoc respectu auctoritatem illam Ecclesiae et Sedis Apostolicae in studia generalia ipsius christianae societatis constitutioni respondere. »

Sed quidquid sit de iustitia huius disciplinae, et missa etiam particulari in hac re historicorum opinione, ex factis ipsis, iisque innumeris, tam generalibus, quam peculiaribus, probari potest, universitates tunc temporis ab ecclesia iuridicam existentiam accepisse, et aut sub Romani Pontificis aut sub suorum Praelatorum auctoritate et moderatione vixisse.

Qua in re sufficiat recolere gradum academicorum

institutionem, a Romanis Pontificibus inveniam, modum gradus conferendi, qui sacer omnino erat, multiplicia privilegia, immunitates, exemptiones et ecclesiastica beneficia universitatibus a S. Sede tributa. Addatur in universitatibus transfusas fuisse scholas cathedrales et monasticas, quae ante valde floruerant, quibus adnexa erant haec seminaria a quartodecimo saeculo sive apud monachorum coenobia nulla amplius reperias; Iungman /. ***cit.*** Properabant enim magistri celebriores ad universitates, ubi maiora erant studiorum commoda; et eo etiam properabant omnes qui poterant clerici, quum excolendi ingenii ac passim etiam uberioris vitae cupidi essent. Unde factum est, ut universitates tum ratione theologiae aliarumque affinium speculativarum disciplinarum, quae in scientifica cultura tunc dominabantur, tum etiam docentium ac discentium ratione personarum ecclesiasticam naturam in dies magis induerent. Hinc factum est ut universitates repraesentaretur saepenumero in conciliis, libros et propositiones examinarent et damnarent, aliaque peragerent, quae non laicam personam, sed ecclesiasticam produnt.

Insuper cum magna libertas morumque relaxatio in universitatibus, ad quas multa millia adolescentium confluebant, sensim inolevisset, Romani Pontifices et Concilia multum adlaborarunt, ut vitae honestae, praesertim clericorum in universitatibus, legibus ac statutis et collegiorum institutione providereilt. Et ita usque ad Tridentinum concilium studiorum universitates quasi ecclesiastica instituta habita sunt.

Quod adeo verum est, ut non modo partem spiritualem in eis moderare tur ecclesia, sed et temporalem ac mixtam. Unum dumtaxat exemplum liceat afferre oecumenici concilii Viennensis, quod iussit, Romae, Parisiis, Oxfordii, Bononiae ac Salmanticae in 'universitatibus duos magistros haberi pro linguis hebraica, arabica et chaldaica.

Nonnisi autem post Tridentinum factum est, ut universitates sensim ab ecclesiae directione subtraherentur, laicae fierent et sub status dominatione transirent. Cuius rei duplex fuit causa, scilicet ex una parte restitutio semina-

rioruni dioecesanorum, quo iterum sapienter evocata est clericorum institutio; et ex altera parte aemulatio status et praestantia quam supra theologicas et philosophicas disciplinas scientiae naturales et artes obtinuerunt.

Interim quod nostra interest et ex hucusque dictis plane descendit, hoc est, quod tempore Tridentini Concilii, ii ***ad quos cura visitatio et reformatio universitatum et studiorum generalium*** pertinebat, aut Romanus Pontifex, aut, si universitates non erant exemptae, proprii cuiusque Praelati unice veniebant. Dum principes nonnisi quamdam externam auctoritatem, aut, ut vocant, politiam in iis exercebant. Quapropter ratione historici contextus, seu historicarum circumstantiarum, merito dicendum videtur, quod praescriptio a Tridentino facta in ***cap. 2 sess. 25*** non ad alios quam ad Episcopos directa fuerit.

Idque demum confirmatur attento rei praeceptae obiecto. Quod ut pateat, in materia valde complexa res est altius repetenda. Sane, iuxta catholicae fidei principia, Ecclesiae indubitanter competit supremum illud magisterium, quod Christus exercuit, ***ministerium verbi,*** quod primum praecipuumque constituit Ecclesiae pastorum officium, unde ***ex auditu fides.***

« Ite, dictum namque est Apostolis et in eorum persona omnibus Ecclesiae ministris, docete omnes gentes, praedicate evangelium omni creaturae; qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur. » Iisdemque pariter apostolica voce praedicatum est : « Pascite qui in vobis est gregem Dei , providentes non coacte sed spontanee. » Et similia plura.

Porro huiußmodi magisterium duplici parte constat, positiva nempe et negativa, promovendi scilicet religiosam culturam, et curandi ne christianae doctrinae attentetur. Non enim pastoris munere bene quis fungeretur, si venenata pascua ovibus suis pervia permitteret; nec doctoris officium obiret ecclesiae minister, praetermittendo aut quae vera et sancta sunt docere, aut ea quae falsa sunt et immoralia profligare.

Utrumque hoc officium Ecclesiae competit iure proprio ac nativo; nam a divino suo fundatore illud accepit; et non dependenter et ad mundanas potestates subordinate accepit; sed praeter ipsas, imo quoties opus sit et contra ipsas; Math. X. ***a v. 17 ad finem.***

Unde et Apostoli Hierosolimitano sinagogae concilio ***Act. v. 19, 20*** edicebant: « Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, iudicate. Non enim possumus quae vidimus et audivimus non loqui. » Et Apostolorum exemplo idem semper professa et exequuta est Ecclesia, sicut universa sacra historia a martiribus ad haec usque tempora testatur.

Imo hoc magisterium ita proprium ecclesiae est, ut Ecclesiae pastores eodem se expoliare non possint, nec aliis committere, nisi ad summum subsidiarie, partialiter ac sub sua correctione. Ecclesiae enim pastoribus praedicandi munus commissum est, ceteris audiendi officium; ***Luca X, 16; Matth. X, 40; Ioann. XIII, 20;*** Ecclesiae pastoribus infallibilitatis charisma tributum, de ipsis peculiariter dictum: « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Quapropter pastorum Ecclesiae tantummodo est, auctoritative et absque errandi formidine docere, ipsorum unice est, tute vigilare ne errores subrepant, ipsorum unice est quae sunt credenda et agenda infallibiliter proponere, et quae sunt falsa absolute prohibere. Ceteris obsequendi officium spectat. « Populum enim esse docendum, non esse sequendum » proclamaverunt patres concilii Sardicensis.

Et licet christianorum Principum grave munus existat religionem tueri; nihilominus, ut optime evincit C. Tarquini ***Inst. iur. publ. eccles. % 61 n. 11.*** hoc ita facere debent, ut Ecclesiae iudicia non antevertant, sed sequantur, imo ne modum quidem excedant quem .ad animarum salutem Ecclesia ipsa praescripserit. Unde S. Facundus Hermianensis ***pro de f ens. trium cap. I. 12 c. 2*** proclamabat « principes non praevios, sed pedissequos sacerdotaliun decretorum esse opor-

tere. » Et principes saeculares Ecclesiae protectores ita esse censendos, ut tamen quae ecclesiastici iuris sint tamquam .Dei praecepta eiusque patrocinio tecta, eo sanctius venerentur, quo largius bonis tsmporalibus atque in alios potestate Dei beneficio sunt ornati, » docuit Tridentinum ***sess. 25 cap. 20 De reform.*** Cui apprime respondent quae concilium Lateranense IV protulit ***cap. 4:*** - ibi « Sicut volumus, ut iura clericorum non usurpent laici, ita velle debemus ne clerici iura sibi vindicent laicorum. . . . . ut quae sunt Caesari et quae sunt Dei Deo recta distributione reddantur. » Et si in omnibus, quae ad ecclesiasticam iurisdictionem pertinent, laicos principes non praevios sed pedissequos ecclesiasticorum praeceptorum esse oportet, hoc maxime necessarium est in rebus fidei. Nam adsistentia et divina gratia sacerdotalis status propria ad fidei depositum custodiendum, laicos omnino deficit; unde ne M. Costantini aliorumque plurium imperantium aberratio iteretur, a rebus fidei proponendis et interpretandis abstinere principes debent, et pastorum ecclesiae potius sequi mandata.

Quando autem dicitur, magisterii officium Ecclesiae eiusque ministris reservatum existere, hoc, ceu plane patet, intelligendum est iuxta receptos iurisdictionis gradus ac modos. Unde non est dubium id muneris ad Romanum Pontificem et ad Concilia in primis spectare, sed deinde in peculiari suo districtu ad unumquemque Episcopum. Fidei enim custodiendae per vigil, ordinarius atque immediatus minister in sua dioecesi est Episcopus: unde ipsius proprium est docendi ac praedicandi munus, ***sess. 5 de reform, c. 2 sess. 23 cap. 4,*** ipsius est sacerdotes ad praedicandum mittere, eosque corrigere, et licet regulares atque exempti essent, ab hoc fungendo officio prohibere, ***Trid enfin, sess. 5 cap. 2*** atque alibi: unde eosmet Episcopos in ***sess. 6 cap. 1*** monitos esse voluit « ut attendentes sibi et universo gregi in quo Spiritus Sanctus eos posuit regere ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, vigilent, sicut apostolus praecipit, in omnibus laborent, et ministerium suum impleant. » Ideo-

que Episcopi, nisi agatur de loco et de personis peculiari certaque exemptione donatis, et Romani Pontificis aut alterius praelati immediata et exclusiva iurisdictione etiam quoad punctum subiecti, magisterium fidei tam positivum quam negativum in sua dioecesi ubique et quoad omnes exercendi ius habent.

At, demum cum, iuxta dicta superius, magisterium Ecclesiae duplicem complectatur partem, positivam aliam, veritates scilicet docendi, aliamque negativam, praecavendi scilicet et impediendi errores; iam in huius muneris officio non eodem modo procedere potest Ecclesiae minister. Hoc enim in natura officiorum positum est, ut quae positiva sunt v. g. oratio in Deum, auditio missae etc. ex intervallo obligent; dum negativa, ut vetitum blasphemiae, abstinentia ab operibus servilibus diebus festis etc., semper et pro semper, ut aiunt pragmatici, urgeat. Eadem itaque ratione ministerium verbi, quoad partem positivam docendi, non semper nec ubique, sed iuxta modum ac prudentiam, obire possunt Episcopi, dum e contra quoad partem negativam, impediendi et praecavendi falsam doctrinam, semper et ubique procedit.

Quae hucusque in genere dicta sunt proximam specialemque applicationem habent in scholis, ubi inexperta iuventus, nedum mente profana eruditione instruit, sed et corde christianis disciplinis aeducari debet. Ita Leo XIII ad Emum Card. Urbis Vicarium *ejp. 26 Iunii 1878* (1). Adeoque in iis cathechismum et Catholicae fidei apologiam iuxta varias discipulorum classes et culturas tradi oportere certa res est, quae tamen extra ambitum nostrae disputationis cum sit, congruit omitti.

Dum potius insistendum est in eo quod praesentem quaestionem directe tangit, nempe, ius et officium esse Episcoporum gravissimum, in quibuslibet scholis vigilandi, ne catholicus sensus in tradendis doctrinis pervertatur, discentium mentes erroribus imbuantur, et morum honestati attentetur : quod munus si relate ad omnes disciplinas exerceri debet -

(1) Recole Vol. XI, 97.

nam etiam in naturalibus scientiis tradendis haeresis insinuari potest -, potissimam specialemque obtinet applicationem relate ad eos qui de catechismo, theologia et uno verbo, de rebus fidei disserunt. Etenim magistri, quatenus ordinantur ad religionem tradendam, pendent ab auctoritate ecclesiastica, tum quia, si catholici esse velint, nil aliud tradere possunt, nec alio sensu ac tradit Ecclesia; tum quia institutor pendere necessario debet ab ea auctoritate, cui competit cura negotii pro qua instituitur.

Et haec est certa doctrina ab Ecclesia passim recepta et a DD. tradita. Unde cl. Oavagnis in suis ***Inst. iur. publ. eccles, vol. 3 num. 53*** haec habet : « Indubium est Ecclesiae competere ius vigilantiae in hos (publicos) magistros, eosque remo vendos esse eius iudicio, si christianam doctrinam pervertant. » Et licet « in praxi ius vigilantiae, et ius approbationis eandem, moraliter loquendo, producant securitatem; » nihilominus « si in concreto ex specialibus locorum et temporum conditionibus Ecclesia iudicet necessarium praescribere et positivam approbationem, ei id iuris esse. » Atque alibi, scilicet ***n. 17 ib.*** contendit Ecclesiae competere ius negativum « 1. interdicendi fidelibus accessum ad scholas quascumque, in quibus periculum sit perversionis quoad fidem, et... ex paritate iuris etiam quoad mores. Hinc 2. ius invigilandi ne in quacumque schola aliquid contra christianam doctrinam tradatur; et 3. exigendi ut in societate catholica removeantur et puniantur qui ei contrarium aliquid attentaverint. »

Quae est etiam S. O. C. sententia; nam in ***Ferentino, 4 Decembris 1734*** censuit « posse Episcopum prohibere ludi-magistris exercitium scholae, quamvis nominati fuerint a communitatibus laicorum, iisque competat eorum electio , bonorumque administratio independenter, nisi prius fuerint ab Episcopo approbati. »

Imo et syllabi auctoritas in hoc cohaeret. Nam ibi inter damnatas propositiones hae quoque recensentur, quae ad rem nostram potissimum faciunt, nempe sub ***num. 45*** « Totum

scholarum publicarum regimen in quibus iuventus christianae alicuius reipublicae instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis, aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribuì auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur ius immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum. » Et sub ***num. 47:*** « Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholae quae patent omnibus cuiusque e populo classis pueris ac publica universim instituta, quae litteris severioribusque disciplinis tradendis et aeducationi iuventutis curandae sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiae auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicae auctoritatis arbitrio subiiciantur, ad imperantium placita et ad communium aetatis opinionum amussim. » Ac demum sub ***num. 48:*** « Catholicis viris probari potest ea iuventutis instituendae ratio quae sit a catholica fide et ab Ecclesia potestate seiuncta quae rerum dumtaxat naturalium scientiam, ac terrenae socialis vitae fines tantummodo vel saltem primario spectet. »

Hisce positis, facilis atque obvius est ad dubia quae in themate disputantur digressus. Etenim in proposito Tridentini ***capite 2, sess. 25,*** iis ad quos cura, visitatio et correctio universitatum pertinet, quatuor satagenda mandantur scilicet 1. ut canones et decreta conciliaria acceptentur, 2. ut ad eorum normam, quae catholicae fidei sunt doceantur, 3. ut ad id quotannis iuramento se obligent magistri, 4. ut si quae digna correctione sunt, haec ***pro religionis et ecclesiasticae disciplinae augmento*** emendentur.

Iamvero quae in 3. et 4. numero continentur disciplinaris aliquid sapiunt, et ideo etiam transitoria esse possunt atque ad laicas manus, saltem ex parte, commissa. Nisi quod quum ibi ad correctionem attendendum esse iubeatur ***pro religionis et ecclesiasticae disciplinae augmento,*** iam aliquid ad ecclesiasticam iurisdictionem omnino pertingens significari videtur; nisi forte id potius explicandum sit ex historico

statu, in quo Universitates tunc versabantur, quo fiebat ut quasi res ecclesiasticae considerarentur.

At quidquid sit de iis quae praecipiuntur in 3. et 4. numero, quae. minora sunt, alia quae in duobus prioribus capitibus continentur, iurisdictionem ecclesiasticam omnino et absolute produnt.

Vigilantia enim et cura ut oecumenici concilii canones ac decreta in Universitatibus acceptentur, et iuxta ea quae catholicae fidei sunt doceantur, partem constituunt potissimam illius ecclesiae magisterii, de quo usque adhuc disputatum est, munus scilicet negativum satagendi ne christianae doctrinae attentetur, quod munus, iuxta superius dicta, ita proprium ecclesiae est, ut alienari ab ea non possit, nec legitime impediri.

Supremum autem illud officium integritatis fidei servandae seu ***superintendentia doctrinalis,*** de quo in dubiis distinctim quaeritur, unum idemque esse prorsusque coincidere videtur cum cura et vigilantia, de qua saepius memoratum ***cap.*** *2,* ***sess.*** *25* Tridentini loquitur.

Unde tandem concludendum ex dictis videtur, quod initio contendebamus, scilicet ratione materiae, quae omnino ecclesiastica est et inalienabilis, cura et vigilantia, a Tridentino in obiecto capite praecepta, non ad alios quam ad legitimos propriosque ecclesiae praelatos spectare. Qui autem a proprio Ordinario, quoad hoc se eximere nititur, privilegium suum plene evidenterque evincere debet ; et nihilominus etiam in statu privilegii liber ab ecclesiastica iurisdictione haud evadit; sed hoc ipso sub immediata Romani Pontificis cura et vigilantia necessario recidit.

Numquam vero civilem potestatem huiusmodi vigilantiam ac curam posse in Universitatibus ac scholis exercere, nedum directe et exclusive, sed neque cumulative et cum aequali iurisdictione cum ecclesia; sed tantummodo subordinate et subsidiarie.

Quod si in sua potestate excederet Episcopus iam nec praestat dicere, quod tum professoribus, tum civili gubernio libera pateret ad S. Sedem recurrendi facultas.

Ad obiectum autem quod desumitur ex ***cap. 8, sess. 22*** Tridentini, ubi scholae quae sub immediata Regum protectione sunt ab Episcoporum visitationne eximuntur, multipliciter responderi potest. Sane 1. visitationem quam Tridentinum in eo capite Episcopis faciendam praecipit, respicere potissimum disciplinam, exe luutionem legatorum, aliaque similia, quorum curam et executionem laicis quoque committi non repugnat, et plerumque in **sacris** canonibus laicis vidimus commendatam. At ita non videtur dicendum de cura et vigilantia in rebus fidei, de quibus Episcopi vigiles **ac** supremi sunt custodes quoties extra claustra praedicent quoad hoc eis subiiciantur. Itaque exemptio scholarum ab Episcoporum visitatione non videtur importare exemptionem a vigilantia et cura ne in iis errores doceantur.

Idque firmatur etiam analogiae argumento. Nam licet hospitalia et capellae quae sub immediata regum protectione sunt ibi dicantur exempta; attamen observat Barbosa ***Collectanea cit. n. 30: «*** quod in his hospitalibus seu confraternitatibus de regum protectione possunt praelati visitare decentiam divini cultus et ornamentorum. . . . quae ad Episcopos necessario et privative spectat, quia res spiritualis est et ecclesiastica. »

Sed ***2.*** in dubium revocari etiam posset, num nomine scholae in obiecto capite veniant proprie ***scholae discentium et docentium,*** an potius scholae confratrum, seu laicorum confraternitates, quae tunc temporis etiam ***scholae*** vulgo nuncupabantur.

At 3. dato etiam quod scholae nomine in obiecto capite veniant scholae docentium et discentium, attamen exemptio non est ibi data passim et indistincte ad omnes scholas, quae sub status seu Principum ditione existunt. Etenim, si hoc esset, propemodum nulla publica schola in praesentiarum inveniretur, in qua Episcopus ius dicere posset. Insuper Tridentinum non quascumque regias scholas, sed eas tantummodo dicit exemptas quae sub ***immediata*** regum protectione sunt. Praeterea observat cum communi Ferraris ***v.***

visitatio num. 66. « Ád hoc ut dicta hospitalia, et eadem ratione etiam scholae, sint immunia a visitatione Episcopi, debent esse talia a primaeva sua fundatione; nec sufficit si hospitalia accipiantur ex post a Rege sub sui immediata protectione. »

Et concinit Barbosa, qui in *cit. collectanea n. 30* insuper addit: « Hoc decreto numquam fuit iurisdictioni Ordinarii derogatum.... et ideo iurisdictionem quam prius ante Concilium Episcopi habebant in dictis locis, etiam post Concilium exercere possunt . . . . attestans ita fuisse decisum in *Neapolitana 12 Augusti 1618. »*

Atqui conimbricensis Universitas sub Regis immediata seu speciali protectione non constat: insuper ab initio licet a Rege fundata, tamen ut ecclesiastica res sub ecclesiae iurisdictione transierat, a qua non nisi recentissimi opera ministri De Pombal videtur plene subtracta.

Hisce itaque perpensis, sequentia enodanda proposita fuere

Dubia.

I. *Utrum in his universitatibus, quae* immediate *Romani Pontificis protectioni et reformationi non subsunt, sed quarum cura, visitatio et reformatio ad Statum civilem pertinet, etiam Statui civili competant omnia illa munia, quae S. Concilium recenset verbis sequentibus:* - diligenter curent ut ab eisdem universitatibus. . . . emendentur et statuantur?-

II. *Et quatenus* affirmative, *utrum in supradictis muniis, quae ad Statum civilem pertinent, comprehendatur etiam supremum officium integritatis fidei curandae, quod officium vulgo dicitur* - superintendentia doctrinalis?

III. *Utrum* superintendentia doctrinalis, *etsi ad Statum civilem pertineat, sit tamen* directa, *quatenus nulla alia intermedia potestate exerceatur, et* exclusiva, *quatenus a Statu civili tantum exerceri possit ?*

IV. *Utrum, etsi ad Statum civilem pertineat cura** ***visi****

tatiö et reformatio universitatum et Studiorum generalium, supremum tamen officium integritatis Fidei curandae, seu superintendentia doctrinalis ***competat Episcopo ordinario,*** etiam ***respectu universitatis, quae in sua Dioecesi existit?***

V. ***Utrum Episcopus ordinarius possit*** per se ***et*** immediate ***Doctorem aliquem illarum universitatum, quarum cura, visitatio et reformatio ad Statum civfem pertinet, admonere de e f rore, quem forte Doctor ipse vel docuerit in universitate, vel scriptis tradiderit per Dioecesim vulgatis?***

RESOLUTIO. Sacra O. Concilii re disceptata sub die 18 Iulii 1888, censuit respondere: Ad I. ***Ex Concilio Tridentino sess. 23, cap. 2 de reform, curam, visitationem et reformationem Universitatum, quae Romani Pontificis protectioni et reformationi non sunt immediate subiectae, proprio ac nativo iure pertinere ad Ordinarios dioecesanos, et ad eosdem praeterea spectare, pro religionis et disciplinae ecclesiasticae augmento, emendare et statuere, si quae in praedictis Universitatibus correctione et reformatione digna fuerint. Contrariam autem doctrinam damnatam fuisse in Sillabo s. m. Pii PP. IX.***

Ad II, III, IV et V provisum in I.

Ex QUIBUS COLLIGES: Ad Ordinarios dioecesanos pertinere proprio ac nativo iure curam, visitationem et reformationem universitatum, quae non sunt immediate subiectae protectioni et reformationi Romani Pontificis.

II. Ad eosdem pariter Episcopos spectare emendationem et consitutionem eorum , quae digna fuerint correctione et emendatione pro augmento religionis et disciplinae ecclesiasticae.

III. Praescriptionem seu munus visitandi et corrigendi quoad universitates dirigi a ***Tridentino cap. 2 sess. 25*** ad Episcopos tantum, innuit ratio contextus, et alia permulta.

IV. Si de Regibus et Principibus loqui voluisset Concilium Tridentinum , eos nominavisset, ceu in aliis casibus fecit, tum ob decentiam, et reverentiam, tum ad maiorem legis effectum.

V. Auctoritatem visitandi et corrigendi quoad studia generalia Episcopis traditam, apprime esse consonam ipsius christianae societatis constitutioni, etiam ex eo colligitur quod Ecclesia ius habeat regendi disciplinas theologicas et canonicas, quarum institutio praecipuum obtinuit locum in Universitatibus.

VI. Quapropter dum principes exercere valeant tantum quamdam externam auctoritatem pro religionis tuitione; ita tamem ut iudicia Ecclesiae non antevertant sed sequantur, proprium est pastorum Ecclesiae vigilare ne errores subrepant, proponere quae sunt credenda et agenda, falsaque prohibere:

VII. Nam magisterium Ecclesiae duplicem complectitur partem; aliam positivam ad docendas veritates, alteram negativam ad impediendos vel praecavendos errores.

VIII. Quum inexperta iuventus in scholis debeat nedum mente instrui profana eruditione, sed et corde christianis disciplinis imbui, nativum esse Episcoporum officium et ius vigilandi magistros eosque etiam removendi si christianam doctrinam pervertant.

IX. Civilem auctoritatem super doctrina christiana in Universitatibus integra manutenendâ, posse exercere subordinatam et subsidiariam vigilantiam, minime vero directam et exclusivam, aut cumulativam, aut aequali iurisdictione cum Ecclesia.

EX S. RITUUM CONGREGATIONE

DECRETUM Romana seu Parisien, beatificationis et canonizationis ven. servae Dei Magdalenae Sophiae Barat fundatricis societatis sororum a sacro Corde Iesu.

Quum per Decretum Sacrorum Eituum Congregationis die 13 Augusti 1885 iam indultum esset, ut de fama Sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere praefatae ven. servae Dei Magdalenae Sophiae Barat agi posset in ordinariis eiusdem Sacrae Con-

gregationis Comitiis absque interventu et voto Consultorum ; Emus et Rmus Dnus Cardinalis Raphael Monaco La Valletta huiusce Causae ponens ad instantiam Rmi Dñi Francisci Xaverii Bacchi Sanctissimi Domini Nostri ab intimo Cubiculo, Causae eiusdem Postulatoris, in Ordinario Sacrae Rituum Congregationis Coetu, subsignata die ad Vaticanum coadunato, sequens Dubium discutiendum proposuit, nimirum : *An constet de validitate et relevantia Processus apostolica Auctoritate Parisiis constructi super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum, in genere dictae ven. servae Dei in casu, et ad effectum de quo agitur?*

Emi porro et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara, sanctae Fidei promotore, rescribendum censuerunt: *Affirmative.* **Die 6 Aprilis 1889.**

Quibus Sanctissimo Domino Nostro LEONI PAPAE XIII. per infrascriptum Secretarium fideliter relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit die 9 Maii anno eodem.

CAROLUS CARD. LAURENZI S. R. C. *Praef.*

L. œ S.

VINCENTIUS NUSSI, S. R. C. *Secretarius.*

DECRETUM Annecien. Confirmationis Cultus ab immemorabili tempore praestiti servo Dei Germano abbati ordinis sancti Benedicti sancto nuncupato.

Ad instantiam Rev. Dñi Iulii Captier procuratoris generalis Seminarii sancti Sulpitii supradictae Causae postulatoris constituti, quum Emus et Rmus Dnus Cardinalis Lucidus Maria Parocchi eiusdem Causae ponens in ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens Dubium proposuerit, nimirum : *An sententia Rmi Episcopi anneciensis super cultu ab immemorabili tempore praestito praefato servo Dei Germano, seu super casu excepto a Decretis sa. me. Urbani Papae VIII sit confirmanda in casu, et ad effectum de quo agitur?* **Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature perpensis, auditoquo voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara, Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt :** *Affirma* Uve.* **Die 6 Aprilis 1889.**

Pacta deinceps de his Sanctissimo Domino Nostro LEONI PAPAE XIII per infrascriptum Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua .Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habere et confirmare dignata est. Die 9 Maii anno eodem.

C. CARD. LAURENZI S. R. C. *Praefectus.*

L. & S.

VINO. NUSSI S. C. R. *Secretarius.*

DECRETUM quo Festum SSmi Cordis Iesu ad ritum duplicis primae classis elevatur.

URBIS ET ORBIS

Altero nunc elabente saeculo, ex quo Redemptoris nostri praecipua caritatis beneficia, sub Ipsius Sacratissimi Cordis Symbolo, cultu peculiari, mirifice in dies adaucto, a Fidelibus recoli coepta sunt; enixas iteratasque preces Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII quamplurimi sacrorum Antistites, cleri etiam ac populi vota depromentes, undique por rexerunt, ut Festum SSmi Cordis Iesu, a fe. re. Pio Papa IX sub ritu duplici maiori universae Ecclesiae praescriptum (Decr. S. R. C. 23 Augusti 1856. *Ex quo.),* **deinceps ad ritum Duplicis primae classis, citra obligationem festivi praecepti, elevare dignaretur.**

Porro Beatissimus Pater, Cui nihil potius est quam ut Fideles *crescant in gratia et cognitione Domini Nostri Iesu Christi,* **Ipsiusque** *sciant supereminentem scientiae caritatem,* **huiusmodi supplicia vota libentissime excepit: eo praecipue animum Suum intendens, ut gliscentibus impietatis conatibus, Fideles in hac saluberrima devotione perfugium et munimen inveniant, et vehementiori erga amantissimum Redemptorem amore infiammati digna Ei laudis et placationis obsequia persolvant, simulque pro Fidei incremento et Christiani populi pace atque incolumitate divinas miserationes ferventius implorent. Hisce permotus Beatissimus ipse Pater, Sacrorum Rituum Congregationis audito consilio, de speciali gratia et privilegio, decernendum censuit:**

Nulla facta immutatione relate ad eos, qui amplioribus ex Apostolicae Sedis Indulto gaudent privilegiis, Festum Sacratissimi Cordis Iesu ritu duplicis primae classis sine Octava in universa

Ecclesia amodo celebretur; absque praecepto audiendi Sacrum, et a servilibus operibus abstinendi.

Idem Festum feria VI post Octavam Corporis Christi, tamquam in sede propria, recolatur; et nonnisi Solemnitatibus ritus Duplicis primae classis universalis Ecclesiae, nempe Nativitatis s. Ioannis Baptistae, ac Ss. Apostolorum Petri et Pauli, nec non Festis particularibus eiusdem ritus, ceu Dedicationis, ac titularis Ecclesiae, locique Patroni, quando haec sub duplici praecepto fiant locum cedat : quibus in casibus, die immediate ea Festa insequenti veluti in sede propria, reponatur.

In concurrentia Festi SSmi Cordis Iesu cum die octava Corporis Christi, Vesperae integrae fiant de eadem Octava, sine ulla Commemoratione, attenta indole peculiari utriusque Festi. Quoad concurrentiam vero cum Duplicibus primae classis, ambae Vesperae ordinentur ad tramitem rubricarum et decretorum Sacrae Rituum Congregationis.

Insuper ad Fidelium pietatem erga sacratissimum Cor Iesu inpensius fovendam, Sanctissimus Dominus Noster libens ultro concessit, ut in cunctis Ecclesiis et Oratoriis, in quibus die festo, sive proprio sive translato, ipsius Sacri Cordis Iesu, coram Sanctissima Eucharistia persolventur divina Officia ; clerus et populus qui hisce Officiis intererit, easdem lucretur Indulgentias quas Fidelibus, divinis Officiis per Octiduum Corporis Christi adsistentibus, Summi Pontifices elargiti sunt.

In iis vero Ecclesiis et Oratoriis, ubi feria VI, quae prima unoquoque in mense occurrit, peculiaria exercitia pietatis in honorem Divini Cordis, approbante loci Ordinario mane peragentur; Beatissimus Pater indulsit, ut hisce exercitiis addi valeat Missa votiva de Sacro Corde Iesu; dummodo in illam diem non incidat aliquod Festum Domini, aut Duplex primae classis, vel Feria, Vigilia, Octava ex privilegiatis; de cetero servatis rubricis.

Voluit demum Sanctitas Sua, ut super hoc Decreto expediantur Litterae Apostolicae in forma Brevis. Die 28 Iunii, festo SSmi Cordis Iesu, anno 1889.

CAROLUS Card. LAURENZI, .S. *R. C. Praefectus.*

L. * S.

Vincentius Nussi S. R. C. Secretarius.

EX S. CONG. S. R. U. INQUISITIONIS

DUBIUM quoad facultatem dispensandi super impedimentis publicis matrimonialibus in mortis periculo.

Illinc ac Rme Domine

Supremae huic Congregationi Sancti Officii propositum fuit dubium : « Utrum. Ordinarii in casibus extremae necessitatis facultatem dispensandi super impedimentis publicis matrimonialibus in mortis periculo, Uteris Supremae Congregat, die 20 Febr. 1888 (1) concessam, parochis et universim confessariis approbatis modo generali subdelegare valeant, an non. » Quo dubio mature perpenso, Eminentissimi Patres una mecum Generales Inquisitores fer. IV, die 9 Ianuarii 1889 dixerunt : « Supplicandum Sanctissimo ut decernere et declarare dignetur, Ordinarios, quibus memorata facultas praecitatis uteris diei 20 Februarii 1888 data fuit, posse illam subdelegare habitualiter parochis tantum, sed pro casibus, in quibus desit tempus ad ipsos Ordinarios recurrendi et periculum sit in mora. » Eadem feria ac die Sanctissimus D. N. D. Leo divina providentia PP. XIII, in solita audientia R. P. D. Adsessoris S. O. impertita, benigne annuere dignatus est iuxta Eminentissimorum PP. suffragium.

Haec tibi dum nota facio, fausta cuncta ac felicia precor a Dno.

Datum Romae ex S. O. die 1 Martii 1889.

R. CARD. MONACO.

LITTERAE quibus praecipitur Episcopis, ut successoribus suis transmittant particulas ss. ligni Crucis, quas thecis inclusas pectore prae se suspensas ferunt.

Illme et Rme Domine,

Cum reliquiae sanctissimae Crucis in dies rariores fiant ac merito timendum sit ne paullatim non facile suppetant quae ipsis Episcopis, veluti proprium suae dignitatis gestamen, rite tradantur; ex iussu sanctissimi D. N. Leonis XIII. Reverendissimis Episcopis enixe commendatum volumus, ut ss. ligni particulas quas thecis

(1) Hae litterae relatae fuerunt Vol. XX. 543,

inclusas pectore prae se suspensas ferunt, Successoribus suis transmittendas curent, adeo ut post ipsorum mortem, (studio et opera Capituli Cathedralis, vel eius qui, vacante Sede, Episcopi vices gesserit) ad hos perveniant legitimo haereditatis iure. Quo pacto, novis Episcopis nulla erit necessitas alias non sine difficultate aliunde quaerere, sed omnes tanquam sibi et officio suo addictas et destinatas in promptu paratas habebunt, ceteris qui sequentur suo tempore transmittendas.

Quod de Crucis dumtaxat reliquiis intelligendum est. Nam de thecis ex pretioso metallo in Crucis formam affabre factis, statuent quod opportunius videbitur: quae, cum dernptae fuerint ss. ligni particulae, donari, legari quibus placebit ac per privatos haeredes distrahi, vendi, remota quavis indecorae aut profanae negotiationis specie, libere poterunt. Sunt enim pretio aestimabiles.

Non dubito, Illme Domine, quin huic aequissimo providentissimi Pontificis desiderio ea qua par est cura et diligentia sis obsequuturus.

Interim, omnia Tibi a Deo et a Virgine Matre fausta ex intimo corde adprecans, me tuis precibus praecipue commendo.

Amplitudinis Tuae,

Romae, ex Aedibus Vicariatus, in Solemniis Annuntiationis Deiparae, die 25 Martii 1889.

Vti Frater

L. M. CARD. VICARIUS.

= r = ^ S S S ^ = = >

EX S. CONG. INDULGENTIARUM

RESCRIPTUM quo conceditur Indulgentia ***centum dierum,*** pro oratione ad gratiam implorandam servandae castitatis viris ecclesiasticis in saoris Ordinibus constitutis.

BEATISSIME PATER

Gaussens sacerdos Dioeceseos Burdigalensis ad pedes S. V. humiliter provolutus expostulat, ut omnibus Ecclesiasticae militiae addictis et in sacris Ordinibus iam constitutis corde saltem contrito ac devote recitantibus subnexam Orationem aliquam Indulgentiam benigne concedere dignetur.

ORATIO

Domine Iesu Christe, sponse animae meae ; deliciae cordis mei, imo cor meum et anima mea, ante conspectum tuum genibus me provolvo, ac maximo animi ardore te oro atque obtestor, ut mihi des servare fidem a me Tibi solemniter datam in receptione Subdiaconatus. Ideo, o dulcissime Iesu, abnegem omnem impietatem, sim semper alienus a carnalibus desideriis et terrenis concupiscentiis, quae militant adversus animam, et castitatem, Te adiuvante, intemerate servem.

O Sanctissima et Immaculata Maria, virgo virginum et mater nostra amantissima, munda in dies cor meum et animam meam, impetra mihi timorem Domini et singularem mei diffidentiam.

Sancte loseph, custos virginitatis Mariae, custodi animam meam ab omni peccato.

Omnes sanctae virgines, divinum agnum quocumque sequentes, estote mei peccatoris semper sollicitae, ne cogitatione, verbo, aut opere delinquam et a castissimo corde Iesu unquam discedam. Amen.

SS. D. N. Leo Papa XIII in audientia habita die 16 Martii 1889 ab infrascripto Secretario S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, omnibus, de quibus in precibus, corde saltem contrito ac devote recitantibus propositam orationem, Indulgentiam centum dierum, defunctis quoque applicabilem, semel in die lucrandam, benigne concessit. Praesenti in *perpetuum* **valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.**

Datum Romae ex Secretaria eiusd. S. C. die 16 Martii 1889.

C. CARD. CRISTOFORO *Praefectus*

)Ji ALEXANDER Episcopus Oensis *Secretarius.*

EX 3. CONGREGATIONE INDICIS

Feria VI die 14 Iunii 1889.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscri-

ptioni) expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 13 Aprilis 1889 damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnatum atque proscriptum in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quod sequitur Opusculum :

Synopsis Iuris Canonici prout olim erant et prout nunc sunt tempora per Hieremiam Fiore Canonicum Ecclesiae Maioris et Matricis sub titulo SS. Apostolorum Petri et Pauli in oppido Cusani Mutri Dioeceseos Telesinae. Neapoli ex Typograpbeo Perrottiano MDCCCLXXXVI.—*Decr. S. Off. Fer. IV die 1 maii 1889.*

Il Rosmini — Enciclopedia di Scienze e Lettere redatta da un Consiglio di Direzione composto di Scrittori accreditati nei diversi rami del Sapere. Milano. — *Decr. S. Off. Fer. IV die 29 maii.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate aut in posterum edere aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 14 Iunii 1889.

CAMILLUS MARIA Card. MAZZELLA Praef.

Fr. HYACINTHUS FRATI Ord. Praed.
S. Ind. Congreg, a Secretis.

Loco Sigilli.

Die 17 Iunii 1889 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum ajfixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia Mag. Cur s.

APPENDIX VI.

In qua plura referuntur Decreta S. Rituum Congregationis.

AVENIONEN.

iuxta Caeremoniale Episcoporum cantus solemnis Orationum adhiberi debet solum in Missa, Laudibus, et Vesperis. Verumtamen in pluribus locis est in usu ut cantus solemnis adhibeatur in Orationibus quae cantantur in Processionibus, et Benedictionibus SSmi Sacramenti. Hinc Rmus D. Franciscus Eduardus Korby Archiepiscopus Aveniouen. a Sacra Rituum Congregatione declarari petiit : An cantus Orationum in Processionibus, et Benedictionibus SSmi Sacramenti debeat esse nec ne solemnis?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii respondendum censuit : Servetur Caeremoniale Episcoporum Lib. I. cap. 27. n. 1. et seq., et in functionibus extra missam, laudes et vesperas adhibeatur cantus minus solemnis. Atque ita respondit, et declaravit. Die 23 Martii 1881.

TAURINEN.

Perillustris et Rme Dne uti Frater.

Exposuit A. T. Sacrae Rituum Congregationi quemdam Sacerdotem Missionarium Apostolicum in Stibalpinis regionibus praegrandis praedicationis gratia, saepe ad animos excitandos ad devotionem erga SSmum Sacramentum hac consuevisse methodo uti ; nimirum Hora statuta pro sermone de SSma Eucharistia disponit Sacerdotem, qui Missam lectam est celebraturus, ac Missa inchoata quater, octies vel etiam pluries sacrum interrumpere facit sive ante, sive post, sive in ipso Canonis decursu ut explicet populo divina amoris mysteria quae interea aguntur, quod Missam ad dodrantem et ultra protrahit.

Quum haec agendi ratio A. T. liturgicis praescriptionibus absona videatur, ab hac Sacra Congregatione percontata est utrum enuntiatam methodum admittere unquam liceat.

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii huic quaesito respondit : Negative, et ad mentem. Mens autem haec est, ut si sermones de SSma Eucharistia fieri Iubeat, hi fiant ante Missam, et semel tantum ante fidelium Communionem, si haec locum habeat.

Romae 23 Martii 1881.

Perillustri et Rmo Dno uti Fratri Archiepiscopo Taurinen.

NEAPOLITANA.

Per Decretum Sacrorum Rituum Congregationis die 11 Martii 1871 in una Burgi S. Domnini ad Dubium I. permissum fuit posse continuari consuetudinem inibi vigentem recitandi in lingua vulgari ante Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sive post orationem ***Deus qui nobis*** etc. ante benedictionem sive post eam, preces : ***Dio sia benedetto, Benedetto il suo Santo Nome*** etc. Quoniam vero in quodam Monasterio Sanctimonalium Ordinis S. Benedicti in Archidioecesi Neapolitana mos invaluit canendi post Orationem, et ante Benedictionem SSmi Sacramenti alteram ex antiphonis ferialibus Divini officii de tempore occurrentem, nempe ***Ave Regina caelorum, Regina coeli, Salve regina, Alma Redemptoris,*** Rmus D. Guillelmus Sanfelice Archiepiscopus a Sacra Rituum Congregatione humiliter exquisivit :

I. An eiusmodi consuetudinem continuare liceat?

II. An in aliis quoque Ecclesiis permitti valeat quasdam preces in vulgari idiomate recitari ante et post Sacramenti Benedictionem ?

Sacra porro eadem Congregatio, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem infrascripti Secretarii sic rescribendum censuit :

Ad I. Antiphonae praedictae cantentur immediate post Litanias cum Oratione B. Mariae Virginis congruente, si vero non cantentur Litaniae, Antiphonae eaedem praemittantur Hymno ***Tantum ergo.***

II. Negative immediate ante Benedictionem.

Atque ita rescripsit. Die 23 Martii 1881.

DE GUAYANA.

Rmus Dnus Ioseph Emmanuel Armyo Episcopus de Guayana alj hac Sacra Rituum Congregatione insequentium Dubiorum declarationem supplicibus votis imploravit, nimirum :

I. Num Officium SSmi Redemptoris, et Officia Cordis, Maternitatis, Puritatis, ac Patrocinii B. Mariae Virginis, Dominicis assignatis impeditis, transferenda sint, an potius omittenda?

II. Num transferenda vel omittenda sint quoties impedita occurrant Officia Orationis in Monte Oliveti, Passionis, Spineae Coronae, Lanceae , et Clavorum , Syndonis, Quinque Vulnerum, et Pretiosissimi Sanguinis D. N. Iesu Christi?

III. Num dies 26 Martii asssignari possit ut sedes fixa festi perpetuo translati?

IV. Num in solemni Nuptiarum benedictione servandus sit ritus benedicendi arrhas et duos annulos in appendice ad Rituale Romanum in Manuali Toletano praescriptus?

V. Num idem ritus servandus sit etiamsi non sequatur Missa pro Sponsis ?

VI. Num consuetudo sponsis scapulas sponsaeque caput velandi in benedictione Nuptiarum retinenda sit.

VII. Num sponsus, et sponsa sacram Communionem necessario recipere debeant in Missa nuptiali?

Sacra vero Rituum Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito antea voto tum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, tum Rmi Assessoris Congregationis ipsius, hisce dubiis mature perpensis, sic rescribere rata est :

Ad I. Officia certis Dominicis, vel Feriis assignata, ac particulari Ecclesiae concessa nequeunt transferri absque speciali privilegio.

Ad II. Provisum in antecedenti.

Ad III. Affirmative.

Ad IV. Nihil innovetur.

Ad V. Affirmative.

Ad VI. Provisum in quinto.

Ad VII. Detur Decretum in La» vantin. diei 21 Martii 1874. (1)

Atque ita rescripsit ac declaravit. Die 15 Septembris 1881.

BERGOMEN.

Sacrorum Rituum Congregationi insequentia Dubia a Rmo Domino Camillo Guindani, Episcopo Bergomen. resolvenda proposita fuere, nimirum :

Dubium I. Nonnullae altarium sacrae mensae portátiles ita sunt constructae, ut in ipsis Reliquiarum sepulchrum non parvo lapide sit obtectum, et calce sigillatum, sed quadam subtili lamina confecta ex vulgo *ottone* aut *latta* calce sigillata,vel ad quatuor angulares extremitates stamno firmata vel alia lamina ferrea, minus lata sed longiore, transverse super illam deducta, hinc et inde infixa in lapide. Hoc vero Reliquiarum sepulchrum aliquando in sacrae petrae parte superiori, et aliquando in inferiori extructum invenitur. Certum est autem dictas mensas fuisse consecratas remotioribus temporibus. Quaeritur an istae sacrae mensae altarium tolerari possint?

Dubium II. Pridie Dedicationis Ecclesiae celebrantur Vigiliae ante Reliquias in Altari consecrando includendas: recitantur Nocturni cum Laudibus de Communi Sanctorum Martyrum. Dubitatur autem utrum Episcopus qui Dedicationem celebrat, Parochus, utrique Sacerdotes adsistentes postquam huiusmodi Officium recitaverint postridie, teneantur etiam recitare Officium diei occurrentis, vel huiusmodi obligatione soluti sint censendi iuxta illud axioma « Officium pro Officio, » et quatenus negative ;

Dubium III. Quaeritur quid dicendum sit de praxi, quae alicubi invaluerit ?

Sacra vero eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secreta-

ci) Prostat Vol. XII, 474.

rii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, hisce Dubiis rite perpensis, sic rescribere rata est.

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad III. Praxim amplius non esse sequendam. Atque ita rescripsit, ac declaravit. Die 16 Septembris 1881.

IMOLEN.

Rmus Dnus Aloisius Tesorieri Episcopus Imolen. insequentia Dubia S. Rituum Congregationi solvenda humiliter proposuit, nimirum :

I. Sacerdotes, habentes facultatem ab Episcopo delegatam benedicendi sacra indumenta, debentne semper uti formula quae in Missali et Rituali reperitur titulo sacrorum Indumentorum in genere, etiam quando simplex manipulus cum stola benedicenda est; vel uti possunt et ipsi formula benedictionis pro singulis sacris indumentis, quae in Pontificali habetur?

Dubium II. Utrum Episcopus facultatem habens subdelegandi Sacerdotes pro benedictione sacrae supellectilis possit eosdem subdelegare etiam pro benedictione sacrorum Vasorum ?

Dubium III. Multae habentur benedictiones quarum pleraeque in Rituali recens Romae edito, quae propriae sunt diversorum Religiosorum Ordinum. Hinc quaeritur utrum Episcopus, et ab eo delegati Sacerdotes eas impertiri possint, maxime si in propria Dioecesi Religiosis Ordinis illius non existant?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum magistris, sic rescribere rata est:

Ad I. Affirmative ad primam partem ; Negative ad secundam ; et detur Decretum in una Briocen. diei 4 Septembris 1880 ad III. (1)

Ad II. Affirmative.

Ad III. Negative absque apostolico Indulto.

Atque ita rescripsit ac declaravit. Die 2 Decembris 1881.

ORDINIS CISTERCIENSIS CONGREGATIONIS DE TRAPPA.

Rmus D. Benedictus Abbas Monasterii Westmallensis Vicarius generalis Trappensium in Belgio a Sacra Rituum Congregatione insequentis Dubii solutionem humillime imploravit, nimirum:

Si Festum S. Ambrosii, 4 Aprilis, inter Dominicam Palmarum, et Dominicam in Albis incidens transferendum sit , saepe accidit hoc Festum translatum occurrere cum Festo Sancti Isidori, 21 Aprilis ; Festa autem S. Isidori ac S. Anselmi habent eamdem orationem

(1) Prostat hoc Volumine pag. 635.

cum Festo S. Ambrosii, nempe de Communi Doctorum, quo in casu pro oratione S. Isidori, vel S. Anselmi ad Commune Confessoris Pontificis recurrendum est ; hinc exoritur Dubium quaenam Oratio sit sumenda ? Quapropter quaeritur an sequens nota in Breviario Gisterciensi die 4 Aprilis in Festo s. Ambrosii addi valeat, scilicet « St Festum s. Ambrosii translatum concurrat cum Festo s. Isidori, vel s. Leonis, vel s. Anselmi, pro commemoratione Festi III. Lectionum dicitur ad "Vesperas Antiphona *Euge f. Ecce Sacerdos,* ad Laudes vero Antiphona *O Doctor.* Si insuper eadem sit Oratio Festi, de quo agitur commemoratio, sumatur pro eo Oratio *Exaudi quaesumus.* »

Sacra vero Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, sic in casu respondendum censuit : Nullam specialem Rubricam in Breviario addendam esse Officio s. Ambrosii, sed servandam esse Rubricam generalem sub titulo de Commemorationibus n. S, cuius sensus quoad Orationem est, ut illa dicatur pro Commemoratione quae inter non dictas assignatur primo loco in Communi, nisi aliter in speciali Rubrica signetur.

Atque ita respondit, ac rescripsit.

Die 19 Decembris 1881.

ALLOCUTIO Sanctissimi D. N. Leonis Papae XIII habita in Consistorio die 30 Iunii anno 1889, qua dolet de conditione facta romano Pontifici quoad eius libertatem et dignitatem.

Venerabiles Fratres.

Quod nuper, cum Vos hoc ipso in loco alloqueremur, novas easque graviores iniurias contra Ecclesiam romanumque Pontificatum comparari in hac alma Urbe diximus, id plane est, summo cum animi Nostri dolore omniumque bonorum offensione , patratum. — De qua re convocari Vos extra ordinem iussimus, ut liceat promere in medium, quo Nos modo affecerit indigne factum, itemque libere, uti par est, in conspectu vestro tantum nefas exsecrari.

Post conversionem rerum italicarum, romanaeque expugnationem urbis, vidimus profecto religionem sanctissimam Sedemque Apostolicam longa iniuriarum serie violari. — Sed pravae hominum sectae acriter ad peiora, nondum concessa , tendunt. Obstinavere animis principi catholici nominis urbi omnis profani moris impietatisque imponere principatum : atque huc flammas invidiae undique collectas admovent, ut hanc Ecclesiae catholicae velut arcem adorti, opportunius moliantur ipsum lapidem angularem, quo illa nititur, funditus, si fieri posset, evertere. Revera, quasi non satis ruinarum tot iam annos edidissent, en semetipsos conati audacia vincere, uno ex sanctissimis anni christiani diebus, monumentum statuunt in publico, quo contumax in Ecclesiam spiritus posteritati commendentur; simulque doceatur, capitale cum catholico nomine geri bellum placere. — Id velle, nominatim macliinatores facti fautoresque praecipuos, res loquitur ipsa. Augent honoribus hominem dupliciter transfugam, haereticum iudicio convictum, cuius usque ad extremum spiritum est provecta adversus Ecclesiam pertinacia. Imo his ipsis de causis ornandum censuere : neque enim in eo vera decora constat fuisse. Non singularem rerum scientiam : sua quippe ipsum scripta *pantlieismi* **arguunt turpisque** *materialismi* **sectatorem, vulgaribus implicatum erroribus, a semetipso non raro dissidentem. Non ornamenta virtutum, cum contra mores eius documento posteritati sint extremae nequitiae corruptelaeque , quo hominem possunt non domitae cupiditates impellere. Non praeclare facta, non egregia in rem publicam merita: suetae illi artes, simulare, mentiri, sibi esse deditum uni, nec ferre si qui secus sentiret, adulari, abiecto animo pravoque ingenio. Honorum igitur,**

quos tali viro tantos habuerunt, ea vis, ea prope vox est, seorsum, a fide christiana vita omnem institui, mentesque hominum a potestate Iesu Christi penitus vindicari oportere. — Quod plane idem est sectarum malarum consilium atque opus, quae, quacumque vi possint, alienare a Deo contendunt totas civitates ; et cum Ecclesia romanoque Pontificatu infinito odio atque ultima dimicatione confligunt. — Quo autem et iniuria foret insignior et caussa notior, dedicationem fieri magno apparatu, maiore frequentia placuit. Multitudinem non exiguam sua intra moenia undique accitam per eos dies Roma vidit : circumducta impudenter infesta religioni vexilla : quodque maxime horribile est, nec defuere signa cum simulacris *nequissimi,* **qui subesse in caelis Altissimo recusavit, princeps seditiosorum, cunctarum instimulator perduellionum. — Scelesto faciliori insolentia concionum scriptorumque addita, in quibus rerum maximarum sanctitati sine pudore, sine modo illuditur, vehementerque illa extollitur exlex cogitandi libertas, quae pravarum opinionum fecunda procreatrix est, unaque cum moribus christianis fundamenta quatit disciplinae societatisque civilis.**

Tam triste autem opus longa praeparatione curari , instrui, perfici licuit, non modo scientibus, qui praesunt, sed favorem atque incitamenta prolixe aperteque praebentibus.

Acerbum dictu, ac simili portenti est, ab hac alma urbe , in qua domicilium Vicarii sui Deus collocavit, rebellantis in Deum rationis humanae manare praeconium : atque unde incorrupta Evangelii praecepta et consilia salutis petere orbis terrarum consuevit, ibi, conversis inique rebus, nefarios errores ipsamque haeresim monumentis impune consecrari. Huc Nos traxere tempora, ut *abominationem desolationis* **videremus** *in loco sancto.*

In tanta indignitate rerum, quoniam christianae reipublicae regimine cum custodia tutelâque religionis commissum Nobis est, testamur, offensam contumelia Urbem, sanctitatemque fidei christianae ignominiose violatam: universoque orbi catholico sacrilegum facinus, querendo indignandoque, denunciamus.

Verumtamen utilia documenta fas est ex iniuria cadere. - Hinc enim magis magisque apparet, num quieverunt, everso principatu civili, hostiles animi, an aliud expetant ut extremum, scilicet ipsam aequare solo sacram Pontificum auctoritatem, fidemque christianam ex stirpe delere. — Similiter eminet, num Nos in repetendis Apootolicae Sedis iuribus humana aliqua re , an potius libertate apostolici muneris, dignitate Pontificis, atque ipsa rerum

italicarum germana prosperitate moveamur,—Denique ex hoc ipso xerum eventu nimium nosse licet quid valeant et quo Ceciderint tam multa et ampla, quae initio promittere ac spondere non du- •bitaverant. Obsequia enimvero omnisque venerationis officia, quibus romanum Pontificem honestari liberaliter se velle aiebant, iniuriae contumeliaeque gravissime sensim consecutae sunt : quarum nunc maxima atque in omnium luce et conspectu mansura, impuri perditique hominis monumentum. — Hanc item Urbem, quam fore semper et gloriosam et tutam romani Pontificis sedem afiirmabant, caput esse novae impietatis volunt, ubi rationi humanae, velut in divino fastigio positae, cultus adhibeatur absurdus et procax.

Itaque reputate apud vos, Venerabiles Fratres, quaenam Nobis in summo fungendo munere Apostolico vel libertas vel dignitas .relicta sit. — A metu et periculo ne persona quidem abest Nosti-a: nemo enim unus ignorat, quorsum conspirent quidve petant homines pessimarum partium ; nec quisquam est quin videat, eos ipsos, secundis usus temporibus, et numero in dies et impudentia magis valere, decretumque habere non ante quiescere, quam res ad extremum casum perniciemque compulerint. Quod si in re, de qua conquerimur, una deterrente utilitatis caussa, non tanta illis data licentia, ut prava sua consilia vi etiam manuque infesta persequerentur, nemo facile sibi suadere queat, non aliquando, opportunitatem nactos, ad id quoque sceleris esse venturos ; maxime quod in eorum sumus potestate, qui nec verentur sic criminali Nos publice, quasi inimico atque infenso in Italicas res animo essemus. - Nec minus metuendum est, ne proiecta ad omne facinus audacia perditorum hominum inflammataeque libidines non aeque semper coerceri possint et restingui, si forte tempora inciderint magis formidolosa et turbulenta, seu propter civiles turbas rerumque publicarum conversiones, seu propter motus calamitatesque bellorum. — Ita eo testatius apparet, quae demum conditio teneat summum Ecclesiae Caput, Pastorem et Magistratum catholici nominis.

Hac Nos profecto acerbitate aegritudinum et mole curarum , devexa praeterea ut sumus aetate, poene fracti conficere m ur, nisi erigeret animun viresque sustentaret quum exploratissima spes, fore nunquam ut Vicarium suum divina ope Christus destituât, tum conscientia officii, qua sancte monemur, eo Nos debere firmius ad gubernacula Ecclesiae incumbere, quo saeviat in eam acrius errorum et cupiditatum ab inferis concitata procella. — Spem igitur et fiduciam omnem habemus in Deo sitam, cuius agitur caus-

sa, confisi maxime deprecatione praesentissima, quam incenso animi studio imploramus, magnae Virginis , christiani populi Adiutricis, itemque beatorum Principum Apostolorum Petri et Pauli, quorum in tutela et praesidio alma haec Urbs feliciter semper conquievit.

Iamvero, quemadmodum vos, Venerabiles Fratres, dolores Nobiscum precesque ad Deum, conservatorem et vindicem Ecclesiae suae, assidue consociatis, ita minime dubitamus, quin Venerabiles Fratres, per Italiam Episcopi, sint idem facturi constanter, atque adeo intentiore cura et opera, prout temporum poscunt discrimina, populo quisque suo sint consulturi.—In hoc praecipue contendant hortamur, ut aperiant illis planeque declarent, quantae iniquitatis et perfidiae instituta a religionis iisdemque patriae hostibus sint ad perficiendum suscepta. Rem videlicet esse de summo verissimoque bono, quod fide catholica continetur ; nihil hostes conari impensius, quam ut italas gentes ab ea fide divellere possint et abstrahere, cuius munere omnis generis gloria et prosperitate ipsae diutissime floruerunt ; viris autem catholicis nefas omnino tantis periculis indormire vel leviter occurrere ; sed esse oportere in sua fide profitenda animosos, in tuenda stabiles, alacres quoque et paratos ad quasvis iacturas, si res postulent, pro ipso faciendas. — Quae quidem documenta et monita cives romanos propius attingunt, quippe quod eorum fides, ut palam est, in periculosiores quotidie offensiones callide adducatur. At ipsi vero, quanto amplius a Deo fidei beneficium, ex tanta cum hac Apostolica Sede vicinatate et coniunctione, se habere sciunt, tanto magis in ea perseverare meminerint, patribus illis maioribusque digni, quorum fidem praeclara toto orbe fama celebravit. Ipsi porro atque Itali omnes omnesque ubique catholici, tum precibus tum omni piorum operum genere, ne cessent a Deo contendere, si iram suam, tot in Ecclesiam nefariis conviciis insanisque contentionibus provocatam , clementius remittat, et communibus bonorum votis, misericordiam, pacem, salutem efilagitantium, benignissime obsecundet.

LITTERAE Sanctissimi D. N. Leonis XIII ad Archiepiscopum mediolanensem quoad decretum damnans quadraginta propositiones ex opere posthumo Ant. Rosmini depromptas.

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Litteris ad te, Venerabilis Frater, et ad Archiepiscopos Taurinensem et Vercellensem itemque ad Episcopos provinciarum istarum, datis die XXV Januarii an. MDCCCLXXXII, officii Nostri duximus, vobiscum agere de quibusdam dissentionum initiis deque periculis quae imminere videbamus ob graves istis ipsis in provinciis exortas, praesertim inter ephemeridum auctores de philosophico-theologicis Antonii Rosmini doctrinis disceptationes. Providentiae curaeque vestrae esse diximus, nihil omittere quod ad modum aliquem animorum ardori imponendum magis aptum videretur, ne veritatis inquirendae studium in detrimento evaderet caritatis et iustitiae. Illud etiam addebamus, satius esse, ut catholici praesertim ephemeridum scriptores ab huiusmodi quaestionibus tractandis abstinerent, et hanc Sedem Apostolicam de gravioribus negotiis, potissimum quae ad sanctitatem atque integritatem catholicae veritatis pertinent, pro sui officii ratione sollicitam evigilare, ea adhibita consilii maturitate, in qua quemlibet catholicum virum par est conquiescere.

Propositum quidem Nobis erat, iteratis quamplurium doctorum virorum, etiam ex ordine Episcoporum, votis satisfacere, qui nempe enixis precibus postularunt, ut placeret Nobis de Antonii Rosmini scriptis cognoscere ac decernere. Enimvero Nos istiusmodi curam demandavimus Consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum Cardinalium S. R. et U. Inquisitioni praepositorum: norunt autem omnes huius Praefecturam Consilii ab ipso geri Pontifice maximo. Illi autem voluntati praeceptisque Nostris obsequuti sunt ea, quam negotii gravitas desiderabat, prudentia et iudicii maturitate adhibita: nimirum pluribus conventibus habitis, sententias omnes, quotquot ipsis erant ad examinandum propositae , cura fuit cognoscere penitus et multa deliberatione perpendere. De iis vero quae singulis conventibus acta ac deliberata, continuo Nos, uti iusseramus, eiusdem sacri Consilii Assessor accurate fidelissimeque edocebat. Demum, die XIV Decembris an. MDCCCLXXXVII fieri placuit Decretum, *Post Obitum,* quo nimirum *Propositiones* quadraginta ex Antonii Rosmini operibus posthumis magnam partem de-

promptae, eidemque Decreto adiectae, damnantur. Hoc Decretum,, profecto ad doctrinam pertinens, prout est una cum *Dispositionibus* **supra dictis editum, plene approbavimus et Nostra confirmavimus auctoritate : illud tamen, certis de caussis, non ante evulgari iussimus, quam quo evulgatum est die, scilicet VII Martii an. MDCCCLXXXVIII. (1)**

Haec tibi, Venerabilis Frater, per has litteras significanda censuimus : neque enim desunt qui tueri ac persuadere verbo scriptove contendant, quum de Decreto *Post Obitum* **agitur, de decreto agi, cui refragari impune liceat ; illud prope inscientibus Nos factum , itemque latum promulgatumque sine approbatione Nostra esse.**

Praeterea hac ipsa in re sacrum Inquisitionis Consilium a Pontifice maximo seiungunt ac separant : in quo sane apparet callidior quaedam tergiversatio cum suspicionibus non aequis temere coniuncta. Nos quidem propensi ad clementiam natura et officio sumus; consuevimus etiam benevole atque amanter complecti quotquot esse promptos ad obediendum voluntate vidimus ; nec facile patiemur talem in Nobis consuetudinem lenitatis exsolescere, sed tamen eam, quam diximus nonnullorum agendi rationem Nobismetipsis et Apostolicae Sedi iniuriosam, non possumus non improbare vehementer. Probe cognitum Nobis est, Venerabilis Frater , haud exiguas a te curas susceptas, ut Decretum illud sincero ac prompto, ut catholicae Ecclesiae filios decet, mentis et voluntatis obsequio ab omnibus e clero populoque tuo exciperetur : dolendum tamen, hisce curis tuis non eum, quem velimus, respondisse exitum. Maiorem itaque in modum te hortamur, ut coeptis alacriter insistas, ac modis omnibus studeas quamlibet in hoc genere caussam offensionis removere. Divini autem favoris auspicem , paternaeque benevolentiae Nostrae tamquam pignus, Apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater , universaeque Archidioecesi tuae peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die I Junii an. MDCCCLXXXIX Pontificatus Nostri duodecimo.

Venerabili Fratri
Aloysio Archiepiscopo Mediolanensi
Mediolanum.

LEO PP. XIII.

(1) Habes hoc decretum Vol. XX, 397.

EX 8. CONGREGATIONE CONCILII

BARCINONEN.

COMMUTATIONIS VOLUNTATIS

Die 19 Ianuarii 1889.

Per Summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Quatuor parochi Barcinonens?s haec humiliter S. Sedi exponunt, nempe « quod Petras Bigas, sacerdos regularis exclaustratus Ordinis Sanctissimae Trinitatis, in suo ultimo ac valido testamento oratores instituit haeredes, eisque praescribit in documento reservato obligationem statuendi beneficium simplex in parochiali ecclesia S. Andreae, vulgo, ***de Palomar,*** in altari sub titulo Sanctissimae Trinitatis et B. M. V, de Remedio eiusque cultum fovendi. Sed cum bona, quae ad faciendam praedictam institutionem assignat sint immobilia, et prohibuit oratoribus alienationem bonorum haereditatem constituentium, fit, ut testatoris voluntas adimpleri nequeat, quia iuxta civiles Hispaniae leges, beneficia ecclesiastica ex bonis immobilibus constitui non possunt, quod testator non ignorabat; quapropter Oratores Sanctitati Vestrae enixe postulant facultatem ad hoc, ut, non obstante prohibitione expressa testatoris alienandi bona haereditatis, possint ea vendere, et pretium in effectos publicos convertere, ut ex suis reditibus statuatur beneficium de quo supra agitur, cultumque B. M. V., vulgo, ***dei Remedio*** foveatur. »

Rogatus Episcopus pro informatione et voto haec respondit: « Adsciti a me oratores secretas testatoris instructiones patefecere. Bona ab eo legata sunt duae domus, quarum unaquaeque aestimatur pretio 7, 500 libellarum vulgo ***pesetas*** plus minusve, ac decem tituli publici redditus Hispaniae, quorum valores sunt circiter 5, 000 libellae, ex quibus conflatur summa proxime 20, 000 libellarum. In praefatis secretis instructionibus testator statuit fundandum beneficium,

de quo in precibus, designans eiusdem patronos ipsos Oratores, ac beneficiario imponens onus 60 missarum annuatim in altari beneficii diebus praescriptis. Insuper tenebitur beneficiarius altaris curam gerere, parocho loci praesto esse, procurare ut tum oratorium, tum bibliotheca testatoris, quae in una ex memoratis domibus insunt, rite conserventur, absolute prohibita harum rerum alienatione. Ad beneficii reditus testator tribuit memoratos decem titulos, qui constituunt summam 5, 000 libellarum et pariunt redditus 300 libellarum. Disposuit etiam testator unam ex duobus domibus, eam, scilicet, in qua sunt bibliotheca et oratorium, destinari ad beneficiati habitationem, et emolumenta ex alia domo provenientia applicari ad fundationem trium anniversariorum diebus ab eo statutis, nec non festivitatis sub honore B. M. V. vulgo *dei Remedio* in ecclesia parochiali, manifestatque suam esse voluntatem ut huiusmodi instructiones admussim observentur. >

« Nunc vero beneficium fundari nequit, siquidem redditibus caret sufficientibus ad congruam beneficiati sustentationem. Duae domus non possunt conservari, quin vendantur, quandoquidem in Hispania prohibita est *amortizatio* bonorum immobilium, ac proinde impossibile est ut asserventur bibliotheca ac oratorium merito artis prorsus orbata, quorum pretium ad 300 libellas vix pertingit. Quo inspecto, infrascriptus, re sedulo considerata et collatis consiliis cum testamenti exequutoribus, de eorum consensu Sacrae isti Congregationi proponit :

« I. Ut memoratis testamenti administris, haeredibus fiduciariis tribuatur facultas ut *foro conscientiae et tuta conscientia* vendere possint duas domos, quae proxime aestimantur pretio 15, 000 libellarum.

« IL Ut ipsi ex huiusmodi venditione possint fundare, titulis Debiti publici hispani, festum B. V. M. *de Remedio* ac tria anniversaria praedicta, ad quam fundationem destinari poterunt redditus 200 libellarum vulgo *pesetas,* sive caput circiter 4,000 libellarum.

« III. Ut residuum venditionis amborum domorum nempe 10,000 aut 11,000 libellas applicare valeant ad augumentum dotationis beneficiarii, cui ut supra dictum est, testator solummodo designavit 5, 000 libellas titulis Publici Debiti, et beneficiarii habitationem in una ex duabus domibus. Si Emi Patres hanc propositionem acceptare velint, beneficiatus gaudebit pensionem 900.aut 1,000 libellarum, quae quidem prorsus necessaria videtur ad honestam sustentationem. »

Disceptatio Synoptica

PETITIO DENEGANDA VIDETUR. Age vero romani ac receptissimi iuris regula est, quae habetur in ***Nov. 22 c. 2,*** nimirum quod « disponat unusquisque super suis uti dignum est, et sit lex eius voluntas. » Unde plane consequitur testatoris praescripta tam quoad substantiam, quam quoad modum debere amussim servari. Et quamvis certa sententia sit quod in piis fidelium voluntatibus summus Pontifex possit potestatem suam extendere eaque commutare, attamen monet Tridentinum ***Sess. 7 cap. 2,*** id nonnisi ex iusta et necessaria causa fieri oportere.

Quin dicatur in themate hanc necessariam causam haberi, quippe quia civilis lex vetat bona immobilia ecclesiasticis beneficiis assignari. Responderi enim potest, in themate civilem legem absoluto obstáculo haud esse, quominus testatoris voluntas impleatur. Siquidem cum fundator censum reliquerit 5, 000 libellarum, ex eo, etiam iuxta civilia praescripta, fundari certe potest beneficium. Beneficio autem fundato, sufficit ut haeredes aut cessionem faciant, aut usum fructum duarum doinuum sacerdoti investito concedant, et omnia facillime composita habebuntur.

Quin subsumatur, improvvide fundatorem iussisse, beneficium erectum iri partim saltem ex immobili dote, dum sciebat hoc civili lege vetari. Quandoquidem in primis rétorquer! potest argumentum ; nam cum fundator id praescri-

pserit, licet impeditum, iam ostendit se prorsus velle ut ab haeredibus suis, qui sunt religiosi viri, secreto et prudentia duce id praestetur, quod civilis lex vetat. Aliunde insipiens haud videtur fundatoris voluntas; nam quilibet, rerum politicarum vel a longe gnarus, non ignorat quam instabilis sit et arbitrio commissa census publici solutio praesertim in Hispania.

GRATIA INDULGENDA VIDETUR. EX altera parte pro petitae gratiae concessione unum hoc militat, nempe difficilem evadere plenum voluntatis testatoris implementum quoad substantiam absque immobilium bonorum conversione; haeredes de pluribus satagere deberent; et pericula usurpationis ex parte privatorum ad quos civilis domorum possessio spectat, non deessent. Quo stinte, clausula modalis a testatore adiecta, veluti impossibilis, seponenda iure merito foret.

Utrum vero, in hypothesi quod petita conversio bonorum a S. C. C. probetur, expediret reditus maxima ex parte applicari in beneficiati emolumentum, et tantummodo 200 libellas, seu sortem 4000 libellarum, reservari pro celebratione fest. B. M. V. ***De remedio*** ac trium anniversarium; dum fundator iusserat, universos proventus ex locatione unius domus provenientes ad hunc finem impendi, et beneficiato solummodo reservari usum alterius domus et censum 5,000 libellarum ex publicis Hispaniae titulis, remissum fuit EE. PP. sapientiae et providentiae.

Hisce praenotatis quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii sub die 19 Ianuarii 1889, re cognita, censuit respondere: ***Pro gratia, iuxta votum Episcopi.***

MANDELEN.

QUARTAE FUNERARIAE

Die 19 Ianuarii 1889.

Sess. 24 cap. 18 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Die 26 Iulii 1886 mortem obibat Benedictus Petrini archipresbyter parochus terrae Collis-lungi Dioecesis mandelensis. Sequenti die parentalia eiusque tumulatio fiebat; ac die septima, iuxta ritum funebre, officium in suffragium eius animae iterum solemniter celebrabatur. Cera autem quae in die tumulationis exposita et accensa fuit, ab archipresbyteri nepote post expletum ritum capta et custodita, die septima iterum in medium prolata est.

Ast hac die funebribus celebratis, quaestio nata est circa has cerae reliquias. Facioni enim, parochus loci ***Casa P r ota*** quippe proximior, ad se iuxta synodales leges cerae spolium spectare contendebat. Vicissim vero suum esse malebat sacerdos Rosati, qui, unicus cum esset in terra ***Collis-lungi*** sacerdos, senescentis archipresbyteri vices, saltem de facto, consentiente Ordinario, ultimis ante eius mortem temporibus exercuerat, cui etiam archipresbyteri loco, vicarii foranei munus fuerat demandatum, et cui demum quatuor dies post eiusdem archipresbyteri mortem, oeconomi curati officium, in vacante paroecia, commissum extitsrat.

Nata controversia, cum praesens adstaret curiae cancellarius can. Rossetti, hic censuit sequestro ponendas esse cerae reliquias usque dum causa ageretur. Atque ita factum est.

Tum parochus Facioni primus S. C. C. adiit sua iura tuiturus. Quod cum rescivit sacerdos Rosati, ipse quoque litteras in suorum iurium defensionem ad S. C. C. dedit. Curia autem quae negotium tractandum susceperat, ab ulterioribus actibus abstinuit, et rogata pro informatione et voto scripsit, quae inferius habentur.

Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO PAROCHI FACIONI. Potissimum parochi Facioni argumentum continetur in ***cap. 3 p. 13*** constitutionum synodalium, ubi de parochis haec cauta leguntur: « Cum aliquem parochorum aegrotare contingent, alius proximior ad invisendum adeat, sacramentis opportune muniat, eidemque morienti omnia charitatis officia exhibeat; et interim eius paroeciae curam gerat, donec per Nos, vel vicarium nostrum generalem statutum aliter fuerit. Ut vero eius mors secuta est, vicarius foraneus statim coram duobus testibus inventarium omnium rerum, ad ecclesiam pertinentium conficiat. Quod si parochus defunctus sit ipse vicarius, hoc a proximior parocho adimpleatur. »

Porro, ait Facioni, si in praedicto casu proximior parochus curam vacantis paroeciae suscipere debet; cum oneribus, iura quoque et emolumenta vacantis paroeciae acquirere debet. Inter iura autem et emolumenta recensetur quoque cerae spolium in funeribus, veluti ipsa adversa pars admittit. Ergo sibi qua proximior! parocho obvenire prorsus debent emolumenta funeraria defuncti archipresbyteri Petrini.

Hoc, inquam, esse potissimum argumentum quo Facioni sibi patrocinatur: cetera quae ipse producit, nempe sacerdotem Rosati nullo prorsus iure infirmi et senescentis archipresbyteri vice functum fuisse, aut vicarii foranei officium a curia ipsi haud fuisse demandatum, erronee ac false prolata sunt, a curia in informatoriis litteris prorsus reiiciuntur, ac demum ipse Rosati per testes profligat ; quapropter nec considerationem merentur. Item nil refert parochum Facioni latuisse curiae decretum, quo sacerdos Rosati oeconomus paroeciae Collis Iungi quarto die ab archipresbyteri morte renunciabatur. Curiae decretum enim vim suam non amittebat, eo quod a parocho Facioni ignorabatur. Demum male quoque idem actor ad ***cap. 18 sess. 27 De 'reform.*** Tridentini provocat; nam ibi sermo est de deputandis ab

Episcopo Vicariis in ecclesia parochiali vacante, et de forma electionis parochorum; de funeribus autem nec verbum fit nec vola. Quapropter uno synodalium constitutionum argumento actoris causa innititur. De iure autem communi nihil est amussim in hac re definitum.

IURA SACERDOTIS ROSATI. At contra adductum constitutionum argumentum, excipit sacerdos Rosati, edicens obiectam praescriptionem extendi non debere ad quemlibet casum; sed pro eo unice factam videri, quando scilicet unus tantum parochus in aliqua villa adsit: quod si coadiutor quoque adsistat, iam decere, ut huic magis quam viciniori parocho reservetur infirmi parochi adsistentia eiusque post mortem, funeris deductio.

Accedit, quod Rosati coadiutor erat non tam ab archipresbytero electus, quam a Curia deputatus, ut archipresbyteri deficientiae suppleret. Quapropter etiam ex hoc capite eius potestas non videtur quievisse post archipresbyteri mortem. Et quamvis Rosati formalem nominationem a curia non reportaverit; tamen ut quis legitimus parochi coadiutor existat, si sacerdos fuerit ad confessiones approbatus, et aliunde constet idoneum esse, sufficit simplex Episcopi approbatio etiam sine praevio examine data. Innocentius XIII ***const. Apostolici Ministerii*** et Benedictus XIII in ***Concil, romano a. 1725.***

Sed, quod magis est, sacerdoti Rosati vicarii foranei nominatio, loco infirmi archipresbyteri fuerat collata. Porro synodalia statuta ***cap. 4 p. 3 De vicariis foraneis*** haec cavent: < Quum aliquis parochorum extremum obierit diem ad illius paroeciam sine mora, vicarii foranei, se conferant, et monitis per litteris de ipsius morte Nobis vel Vicario nostro generali, res paroeciae accurato inventario describant, atque in tuto reponant libros, scripta atque documenta omnia ad ecclesiam spectantia. Interim animarum curam sacerdoti ad confessiones iam approbato committant, donec a nobis constituatur oeconomus. »

Porro cum Rosati vicarius foraneus iam esset et nedum

ad confessiones approbatus, sed de Episcopi consensu iam consors in regenda paroecia Collis-lungi, nil yetare videbatur quominus per se ipsum vacantem paroeciam regeret. Itaque, ceteris etiam titulis deficientibus, Rosati quatuor primis diebus ab archipresbyteri morte paroeciam rexit iure proprio, qua vicarius foraneus, subsequentur vero eam gubernavit, qua oeconomus spiritualis ab Ordinario delegatus; ergo ipsi, non viciniori parocho, onera et iura Vacantis paroeciae, et cum oneribus etiam controversi funeris emolumenta, devoluta censeri merito debent.

Profecto adductum caput ***De vicariis foraneis*** cum capite ***De parochis*** aliquantulum implicare videtur ; sed hoc suadet, ad posterius caput nonnisi eam dandam esse extensionem quae superius indicata est, quae etiam a curia proponitur , quaeque demum ex vulgaribus interpretationis regulis suadetur, nimirum viciniorem parochum non vocari ad regendam conterminam paroeciam vacantem, nisi in casu quo cetera iuris remedia deficiant.

Praeterea contra actorem parochum Facioni hoc etiam militat, quod scilicet in die depositionis nec funeribus interfuerit, et, si quando adstitit, secundas semper partes peregit, sicut praeter reliqua fidem faciunt saepius commemoratae Ordinarii litterae, quae nunc demum exscribuntur. Ait itaque Ordinarius: « Antequam de precibus reverendi D. Caesaris Facioni domus Providae, vulgo Casa Prota, huius dioecesis archipresbyteri parochi verba faciam ; nonnulla mihi videntur esse praemittenda, ut facilius intelligatur quo fundamento innituntur iura-praedicti parochi Facioni.

« Reverendus dominus Benedictus Petrini, archipresbyter parochus, et vicarius foraneus terrae Collis-lungi senio confectus, haui poterat munia parochialia rite obire, quae, de consensu legitimi superioris, interea peragebantur a reverendo domino Nicolao Rosati eiusdem terrae Collis-lungi sacerdote, cui etiam iustis de causis vicarii foranei officium demandatum fuit sub die 13 mensis Martii 1886. Nemo inficiatur praedictum sacerdotem Rosati omnibus, qui illum

vocabant, semper praesto fuisse tum pro infirmorum assistentia, tum pro aliis ecclesiasticis functionibus. >

« Parochus Petrini ad extremum vitae cum pervenisset, sacerdos Rosati omnia charitatis officia illi praestitit, sacramenta ministravit, ut ipse asserit in folio quod Eminentiae Tuae reverendissimae subiicio, et sequuta morte die 26 mensis Iulii 1886 hora undecima ante meridiem, postero die, de mandato nepotum defuncti funeralia peregit, missam cecinit, praesente cadavere, quod ad sepulchrum extulit. »

« At Rfidus D. Caesar Facioni parochus domus Providae, Casa Pro ta, parocho Petrini propinquitate coniunctus, illum visit tantum, cum esset in extremis, et sequuta morte, insequenti die lecta missa in ecclesia Collis-lungi, illico discessit Romam petens, et quinque diebus, nempe a die 27 Iulii a residentia abfuit. »

« Interim vicarius foraneus Rosati de morte archipresbyteri Petrini curiam episcopalem certiorem fecit, et ab Ordinario illi demandatum fuit officium oeconomi parochi sub die 30 Iulii 1886. >

« Sacerdos Facioni autem , nescio quo fundamento innixus, asserere non dubitet in precibus, archipresbyterum Petrini usque ad vitae extremum vicarii foranei officium exercuisse, et insuper nescio quomodo ignorare posset sacerdotem Rosati ab Ordinario legitime mandatum accepisse regendi paroeciam Collis-lungi, quae ignorantia admitti nequit, cum ipse Facioni scripserit: D. Nicola Rosati qui, tempore funeris, agebat vices Parochi_____Haec e veniebant- die qua idem Facioni colloquutus est in Colle-lungo prius , et postea in Domo Provida cum cancellario episcopali. Item non satis recte exponit, quae evenerunt circa ceram, quam Facioni sibi vindicat. Animadvertendum est quod die depositionis defuncti parochus Facioni funeralibus non aderat, sed, ut supra exposui, statim ac missam lectam celebraverit a Colle-lungo discessit, et eo die quidam defuncti nepos ceram circa feretrum et in altaribus positam levavit et apud se retinuit, ut liquet ex iis quae vicarius foraneus scripsit.

« Et revera die septima funus peractum fuit , missam cecinit sacerdos Rosati, iam oeconomus parochus, et in diaconi officio ministravit sacerdos Facioni. Expleta missa, iurgium factum est circa cerae pertinentiam, sed cum supervenisset Cancellarius episcopalis, hic censuit pro bono pacis, et ad removenda scandala quaestionem componere, ita ut contendentes ceram dividerent pro aequali portione inter se; sed Facioni renuit, quare involuta et obsignata cera apud sacerdotem Rosati depositata fuit. »

« Tum Pro-Vicarius generalis Archipresbyter ecclesiae cathedralis Raphael Rinaldi utrique scripsit, ut quisque iura sua proferret, sed sacerdos Facioni cum ad istum sacrum Ordinem recursum fecerit, nullum iudicium prolatum est. »

Quae cum ita sint, haec humillime E. T. subiicio. Vera sunt quae ex Synodo dioecesana a sacerdote Facioni allata sunt, sed intelligenda esse, mihi videtur, pro illis paroeciis, in quibus solus parochus existit, et hoc in casu parochus vicinior subiacere debet vicario foraneo loci. Habetur enim in eadem synodo *sess. III cap. IV p. VII - Quum aliquis parochorum extremum obierit diem, ad illius paroeciam sine mora (vicarii foranei) se conferant, et monitis per literas de ipsius morte Nobis, vel Vicario nostro generali, res paroeciae accurato inventario describant, atque in tuto reponant libros, scripta, et documenta omnia ad eam spectantia. Interim, animarum curam sacerdoti ad confessiones iam approbato committant.* »

« Haec omnia facere sacerdos Rosati vicarius foraneus nisus est non solum, sed etiam in extremis parocho Petrini charitatis officia praestitit, sacramenta ministravit, funus de mandato defuncti nepotum gessit, quin ceram perciperet, quae ab uno ex nepotibus, ut supra exposui, levata fuit. Cum autem die septima funeralia facta fuere, sacerdos Rosati iam oeconomi parochi officium de Ordinarii mandato exercebat, quod sacerdos Facioni confitetur, et haud ignorare poterat. »

« Rebus sic stantibus E. T. exorare audeo, ut quaestio dirimatur et sacerdoti Rosati cera adiudicetur. >

Hisce omnibus perpensis, dirimendum propositum fuit

Dubium

An et ad quem competant cerae reliquiae in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congregatio Concilii, re cognita, sub die 19 Ianuarii 1889, censuit respondere: ***Affirmative favore Sacerdotis Rosati et amplius.***

FERETRANA

DISMEMBRATIONIS EF ERECTIONIS PAROECIAE

Die 19 Ianuarii 1889.

Sess. 21 cap. 4 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Die 4 Augusti 1883 proposito dubio , ***an et quomodo dismembratione paroeciae s. Marini et erectioni s. Anthimi annuendum sit in casu,*** EE. PP. responderunt: ***Negative in omnibus et amplius.*** Facti autem species haec erat.

Paroecia s. Marini, reipublicae eiusdem nominis caput, duplici parte constat, occidentali et orientali. Occidentalis comprehendit vetus s. Marini oppidum, in summo monte Titano super rupe erectum, ubi etiam parochialis ecclesia consistit.

Inde per tres vias, longas 1800 metros unam, 1400 alteram, 1100 tertiam et hanc per montis anfractus descendentem, gradus fit sub rupe montis ad partem orientalem paroeciae, ad suburbium scilicet S. Anthimi, quod vulgo ***Borgo maggiore*** aut ***mer catate*** nuncupatur.

Oppidum s. Marini occidentem versus, suburbium vero s. Anthimi ad orientem, unumquodque scilicet ex parte sua, finitimum habet agrum satis amplum ; adeo ut extrema territorii orientalis a suburbio 4 aut 5 kilómetros, et COllSe-

quenter ab oppido s. Marini et ab ecclesia parochiali 5 vel 7 kilómetros distent.

Iamvero huius suburbii et contermini agri incolae petebant paroecialem fieri suam s. Anthimi ecclesiam : 1100 animas tota haec pars numerare dicebatur, dum oppidum eiusque territorium 1300 incolas habebat : 45 patresfamilias hanc gratiam instanter petebant, et quamdam commissionem ad omnia ordinanda elegerant ; rei publicae gubernium consentiebat sub conditione, ut patronatus ius quod habebat in matricem sibi reservaretur et in filialem : Episcopus nedum commendabat, sed instabat pro gratiae concessione : duo suburbii sodalitia domum et dotem de suo exhibere parati erant, ut congrua novae paroeciae constitueretur. At obsistebat parochus matricis ; qui et an patronum nominavit, et, acta causa, vicit. Desponderat ipse capellanum ecclesiae s. Anthimi daturum, eique etiam coadiutorem adiuncturum pro suburbii civibus ; unde erectionis paroeciae necessitas exulare videbatur: ad haec nec undequaque tuta nec libera et amussim parata novae paroeciae dos apparebat. Hisce aliisque de causis praefata resolutio prodiit, a qua ab initio incassum appellavit Episcopus.

Sed Iunio mense 1887 supplex ad SSmum dabatur libellus a ***commissione*** suburbii s. Anthimi, quo erectio novae paroeciae iterum petebatur. Rationum momenta sive causae, quibus innititur petitio concinne exponuntur etiam ab Episcopo in sua informatione, de qua rogatus fuit post supplici s libelli exhibitionem.

Ait enim: « optandum quidem esset, ut eaedem preces prae primis meliorem et feliciorem exitum sortirentur. Id enim tota rerum expositarum ratio, id natura loci, idque praesertim neglecta animarum cura, et christifidelium salus enixe exposcunt. »

« Non desunt quidem legitimae causae dismembrationis et erectionis novae Paroeciae : adest enim distantia locorum ab Ecclesia plebali ad suburbium, et praecipue pro suburbanis incolis, quibus non solum metri bismille, ut in preci-

bus, sed et quatuor et quinque mille: adest, praeter distantiam, viarum difficultas, quae etsi omni arte stratae, tamen hyemali tempore aut nivibus altis, aut gdacie ambulanti um pedibus insidiante, et tempore aestivo solis ardore, intolerabiles sunt, uti superioribus litteris latius exposui praesertim sub die 27 Decembris 1882. Huiusmodi accessus ac recessus difficultas efficit, ut neque suburbani, neque praesertim agricolae, magis dissiti, nunquam propemodum ad Parochiales functiones in Ecclesia p^ebali sita in fastigio praealti montis, accedant, et salutaria audiant monita. »

« Adest etiam in ea parte animarum numerus mille et tercentum, qui aequa at propemodum alteram partem animarum ipsius plebalis Ecchsiae. Ipsa inde natura loci divisionem designat : nam Suburbium hinc monte , illinc colle •circumdatus, et praesefert ad orientem et aquilonem ruralem planitiem parumper inclinatam domibus huc illuc consitam: et plebalis ecclesia sibi reliquum haberet, praeter Civitatem, ad meridiem territorium cultui agriculo datum. »

« Suburbium ad radices montis situm, seiunctum omnino est a Civitate; et plurimis, praesertim vero hisce annis , aedificiis et domibus auctum est; et ibi manent spectabiles cives, viri a Consiliis et etiam a Reipublicae regimine ; ibi commercia et nundinae n;agno populi concursu exercentur; ibi vita, ut ita dicam, ipsius Reipublicae; et quod necessarium est, ibi invenitur. Uua tantum, quae maxima res est, omnino desideratur ; et haec est animarum cura, omnino neglecta, adeo ut et adolescentuli absque christianae doctrinae debita institutione, et christifideles relinquantur absque frequenti et salutari institutione, quam rerum conditio, et praesentium praecipue temporum necessitas postularet ! Infirmi vero non raro necessaria carent adsistentia. Pastoralis vigilantia inde abest, quae medium inter populum caritatem foveat, dissidia impediat, et oborta dissidia componat ; bonos mores tueatur et religionem ; bona denique promoveat, et mala depellat. Nam etsi Archipresbyter duos Cappellanos habeat, alter apud se detentus, alter non in Suburbio, sed

prope moenia Civitatis, aut ob distantiam locorum, aut aliis ex causis non semper advocantur, aut opportune occurrunt. Idcirco animarum cura in Suburbio non est Cappellano, seutatis triginta tantum compensato, neque credenda, neque relinquenda. >

« Haec fusius fuerunt praedictis litteris meis exposita; hic tantum attigi : neque repeto quae de nova Paroecia dotanda dixi ; neque de iure Patronatus, quod iure quodam non decrescendi sibi reservat Gubernium sammarinense uti Patronatus Ecclesiae plebalis ; neque de Ecclesia in Suburbio, in qua esset nova Paroecia constituenda. »

« Quamquam haec ita se haberent et habeant, tamen contraria decisio istius Sacrae Congregationis suspendit dismembrationem et novae Paroeciae erectionem formula - ***Non expedire*** - Suburbani vero non destiterunt novis postulationibus et voce et scriptis necessitatem novae Paroeciae ostendere, praesertim petitione diei 6 Iunii 1884 ad me missa, a multis viris Reipublicae subscripta, quam in obsequium primae decisionis ad hanc Sacram Congregationem transmisi, litteris meis 2 Iulii 1884, quas renovo cum audiverim non fuisse S. Congregationi insinuatas. »

« Tunc litteris meis ad Archipresbyterum Giannini missis institi, ut curae spirituali in Suburbio consuleret, qui respondit litteris 19 Iulii 1885. Sed Cappellanus mihi voce significavit se domo sibi in Suburbio parata , propemodum publica, nolle immorari, enarrans facta quaedam indigna. Archipresbyter noluit libellas centum Cappellano Angelini tradere, qui sibi domum magis decentem pro suo arbitrio pro videret, quemadmodum ego eidem proponebam. Atque ita res in eodem lamentabili statu permanserunt, imo animarum cura magis post decisionem, quam antea neglecta fuit. Sodalitia, conscia de Paroeciae plebalis reditibus, petita subsidia denegant, eo quod bona sua in stabilem et perpetuam animarum curam volunt conferre. »

« Ceterum Suburbani stabilem animarum Curam postulare atque eiflagitare non desistunt; idque iure merito fa-

ciunt, uti etiam in relatione Dioecesis ad istam Sacram Congregationem retuli. Quapropter in praesens satagendum omnino est, ut curae animarum in Suburbio occurratur erectione novae Paroeciae; vel Vicariae perpetuae, uti alias nihil enim a Plebano sperandum est, qui semper durius agit, nescio quibus suffultus rationibus. Sublata ideo suspensione dismembrationis et erectionis novae Paroeciae contenta in prima sententia, iustis votis populi suburbani, et meis , et meorum praedecessorum in bonum animarum satisfaciendum -esse iudico. »

« Seponendae sane videntur et nullius momenti habendae cavillationes et figmenta, quibus contradictor suam allegationem passim ornabat, et suo ab initio statuebat - nihil esse innovandum - immemor fortasse Consilium princeps, prae oculis habens petitiones de nova paroecia erigenda, decreto suo clare respondisse : nihil obstat erectioni novae Ecclesiae paroecialis, sub conditione ut patronatus Gubernii servetur et etiam in nova sicuti in veteri Ecclesia. Agitur enim de cura et salute animarum et de Paroecia constituenda, quae status et res publicas non perturbant, sed potius firmant ac roborant; et pacem, concordiam, tranquillitatem•que inter cives perpetuo fovent. Inde clare patet quanti sit faciendum principium, quo tota contradictoris fundatur oratio, quae vacuis interpretationibus ipsum excellentissimi Gubernii Decretum subvertere studet !

« Quoad me , ne officio conscientiaeque meae deficiam , contendere non desinam, salutem christifidelium exposcere, ut in Suburbio s. Marini cura animarum constituatur; nec sufficere quemcumque animarum Rectorem, sed requiri Rectorem Paroeciae, ne deteriora damna in dies exoriantur, nisi opportuno tempore provideatur. »

« Haec omnia, quae pro munere meo , ait Episcopus , •***erant*** de hoc maximo negocio iterum exponenda, humillime subiicio isti S. Congregationi, cuius sapientissimo consilio spero fore, ut petita gratia tandem concedatur, praesertim cum populi Suburbani postulationes legitimis causis nitantur. »

« Quapropter rescriptum fuit: Reproponatur idque notificetur Episcopo, qui moneat partes, eisque terminum praerigat ad deducenda ulteriora et de res infantibus certiòret. »

Monitae quidem sunt partes eisque fatalia indicta. Sed ex parte parochi nihil ad acta est relatum, praeter quamdam eius procuratoris epistolam, in qua quaerimoniae fiunt ob novam propositionem causae, quippe quae iam in rem iudicatam transierat.

Suburbii autem cives patronum ad suam causam agendam nuncuparunt, qui novae paroecias erectionem enixisviribus tuitus est.

Quibus praemissis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sit standum vel recedendum a decisis in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re iterum discussa sub die 19[1] Ianuarii 1889 censuit respondere: « ***Recedendum a decisis; ita tamen ut novum beneficium parochiale, neque ex bonis antiquae paroeciae, neque ex nova '-edituum- assignatione supremi Consilii dotandum, sit liberae collationis, prout de iure.*** » (1)

BAJONEN.

SYNODI DIOECESANAE

Die lo Februarii 1889.

Per summaria precum-

COMPENDIUM FACTI. Episcopus Raionensis die 14 Septembris anni 1888 Sanctam Sedem adiit eique pandidit, « se ad mensem Octobris synodum dioecesanam indixisse. Quum autem, ait, dioecesis sit amplissima et quingentae numerentur parochiales ecclesiae, quarum plurimae plus centum kilo-

(1) Confer, quoad dismembrationis materiam, Volumina I, 520 et 543; III, 369; XII, 287; XIII, 60, 293, 299; XVIII, 315.

me tris ab urbe episcopali distant, impossibile est, ut omnes sacerdotes curam animarum habentes ad Synodum conveniant ; necesse est enim ut uno parocho abeunte , vicinus adsit qui curae animarum invigilet, intimatio ergo facta est 1. Canonicis et capitulo Cathedralis ecclesiae; **2.** Canonicis honorariis; 3. Archipresbyferis et decanis qui quadraginta duo numerantur; 4. Superiori et professoribus Seminarii dioecesani; 5. Superioribus collegiorum ecclesiasticorum; 6. in singulis decanatibus parocho a rectoribus decanatus designando, qui suo et confratrum nomine Synodo aderit. »

« Rogat igitur praefatus baionensis Episcopus Sanctitatem vestram ut hunc convocandi modum qui solus in nostris dioecesibus possibilis videtur, tanquam validum declarare et sua suprema auctoritate approbare dignetur ».

Disceptatio Synoptica.

PRECES RESPUENDAE VIDENTUR. Iamvero quod attinet ad illos qui ad Synodum dioecesanam convocari eique interveni-re debent, sic statuit Conc. Trid. ***Sess. 24 c. 2 de reform.:*** < Synodi quoque dioecesanae quotannis celebrentur ; ad quas exempti etiam omnes, qui alias, cessante exemptione, interesse deberent, nec capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur; ratione tamen parochialium aut aliarum saecularium ecclesiarum etiam annexarum, debeant ii, qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, Synodo interesse ».

Cum itaque s. Synodus iubeat curatores paroecialium ecclesiarum, ***quicumque illi sint,*** debere synodo dioecesanae interesse, sequitur eos omnes esse ad Synodum convocandos, nec posse excludi aut praetermitti. Idque firmatur ex pluribus S. C. C. resolutionibus, quae habentur apud Benedictum XIV ***De syn. dioec. lib. 3 cap. 4.*** Quapropter exclusio plurium parochorum, quam postulat Episcopus, est contra legem. Praeter legem autem est intimatio facta superiori et professoribus Seminarii, et superioribus quorumdam ecclesiasticorum collegiorum. Etenim S. C. C. die 15 Decembris

1629 Episcopo Balneoregiensi declaravit, eum ad Synodum ***posse cogere*** simplices sacerdotes non beneficiatus suae Dioecesis, quando in Synodo agendum est de reformatione morum, sive de aliqua re concernente totum clerum, vel de intimandis decretis factis in Synodo provinciali, vel si concurrat consuetudo. Itaque qui parochi non sunt, exceptis canonicis cathedralis, non semper ad Synodum cogi possunt.

Et quamvis verum sit, Ordinarium in consilium apud se quos vult convocare posse, et legem esse quod Episcopus in hoc consilio sanciret ; attamen conventus huiusmodi ***conferentiae dioecesanae*** minime vero ***Synodi*** nomen mereretur, ut eruitur ex responsione S. C. C. anno 1720 Episcopo Canariensi data ***(Syn. dioc. lib. 1 cap. 2 n. 4.)*** et ideo per hoc satisfactum non esset Tridentinae legi de cogenda quotannis dioecesana synodo; et, quod magis est, in hoc conventu iudices synodales nominari, et approbari synodales examinatores haud possent ; nam s. Synodus vult, ut in iudicibus nominandis consilium ***Synodi*** sit praevium, et in examinatoribus eligendis consensus maioris partis ***Synodi*** concurrat. Ergo non sufficit dioecesana conferentia ; quia diversum est collegium ; et potestas uni collegio concessa, non est alteri data.

PRECES EXCIPIENDAE VIDENTUR. Verumtamen, quamvis iuxta iuris ápices hoc verum sit, et procedat ; nihilominus , aequitate suadente, non semel factum est, ut ex legitima S. O. C. venia, conferentia dioecesana, eodem modo coadunata ac petit baionensis Praesul, verae synodi dioecesanae nomen ac vigorem indueret. Ita, ut nuperrima referam, Archiepiscopus Mechliniensis ad decennium hanc facultatem obtinuit anno 1872; ita Episcopo Quinque Ecclesiarum ex rescripto diei 11 Iun'i 1860 idem permissum est. Et cohaeret rectae rationi; nam in amplis dioecesibus difficile et molestum foret omnes parochos ciere simul apud Episcopum; et ideo si priores inter parochos et delegati aliorum coadunentur una simul cum doctioribus qui magisterio fungun-

tur in seminariis, sufficere videtur ad finem a Tridentino intentum consequendum.

Nec lex dispensationis est nova ; nam refert Benedictus XIV litteras S. R. C. quibus hoc negotium valde eliquatur. « Cum Episcopus Cariensis, ait, occasione visitationis Sacrorum Liminum, ad praefatam Congregationem transmisisset, relationem status suae Ecclesiae eidemque significasset, impossibile sibi esse dioecesanam Synodum cogere ; Sacra Congregatio litteris ad ipsum datis anno 1720 rescripsit: - Reliquum est ut tuis postulatis respondeam. Primum difficultates dioecesanae congregandae Synodi nobis ad oculos ponis, et eae quidem maximae sunt, vetantque profecto omnem Ecclesiasticorum conventum fieri. Verum Sacra Congregatio certior a te fieri cupit, an in unaquaque insula possent per annos singulos, definito a te per edictum loco ac die, aut omnes, aut maior clericorum pars, quibus Synodo interesse ius est, commode coire, vices suas uni aut pluribus Procuratoribus delegaturi ; et an qui electi fuerint, possent, accepto authentico legationis suae testimonio, statuto pariter tempore te convenire, ut referrent suarum Ecclesiarum statum, Cleri et populi mores, religionem, pietatem, templorum decus, piorum locorum administrationem, ceteraque omnia, quae opus forent. Collatis tunc ipse consiliis, quid agendum esset imperare, veluti de Synodi sententia, imperataque illi ad suos adducerent, curarentque perfectum iri. Id enimvero Synodi speciem obtineres maximumque inde fructum cape res. »

Quibus praenotatis, quaesitum est quomodo preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. Sacra 0. Concilii, ra ponderata sub die 16 Februarii 1889 censuit respondere : ***Pro gratia ad decennium.***

COELSONEN.

DUBIA CIRCA DISTRIBUTIONES

Die ?3 Martii 1889.

Sess. 2 cap. 3 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Vicarius capitularis Coelsonen. supplicibus litteris haec primum retulit, nempe, « S. C Tridentino sic disponente, Canonici sine iusta causa per tres menses a choro abessentes, distributiones amittunt, quae interessentibus distribuuntur. Eorum absentia, ipsis conditionibus continuante, pro primo anno medietate fructuum amissione puniuntur. Cum autem celebrationis missarum conventualium, aliorumque pondus, eos, licet absentes, abs dubio adhuc urgeat, P. V. orator humiliter rogat, ut deckrare dignetur undenam huiusmodi missarum eleemosyna absumi debeat, an ex distributionibus pro tribus primis mensibus, vel ex duabus tertiis partibus, quae apud absentem remanent. Et si agatur de primo absentiae anno , an de medietate quae ad Ordinarium transit, an vero de altera dimidia parte quam absens adhuc facit suam. »

Ast post aliquot menses novis datis litteris haec poscebat :

« 1. Canonici suam absentiam a choro sine causa protrahentes ultra tres menses, tenentur ne ex dimidia •fructuum parte, quae ipsis conceditur, missarum onera sustinere ? »

« 2. Iustum ne est ut adimplens in choro hebdomadam pro absentibus ultra tres menses ipsis permissos, decem regales Hispanae monetae pro unaquaque hebdomada a fallentiarum fundo ante interessentium distributionem recipiat? »

Et quum quaesitum ab eo fuisset ut clarius dubia proponeret haec respondit :

« Circa primum punctum tota mihi difficultas in eo est an missarum conventualium stipendia, quae quotidie in

Cathedralibus et Collegiatis pro fundatoribus et benefactoribus celebrantur, detrahenda sint relative ad eos Canonicos, qui pro primo anno ultra tres menses absunt a choro- ex dimidia fructuum parte apud Ordinarium per Tridentinum posita, an vero ex altera dimidia, quae ipsis , primo anno durante, adhuc conceditur.

« Circa 2. punctum in hac ecclesia, sicut in ceteris tertia fructuum pars a choro sine causa abessentium pro rata servitii interessentibus distribuitur. Sunt autem inter Canonicos, qui hebdomadam pro absentibus facientes, id est,, pro primo anno ultra tres menses sine causa, decem regales hispanae monetae pro unaquaque hebdomada, ex tertia parte praedicta ante singulis distributionem, dari peroptant. Quaero igitur: hoc locum habere potest? »

Et quum iterum compelleretur ut « circa secundum dubium referret de legitima consuetudine » respondit « nullam consuetudinem, de quo agitur in precibus numero secundo statutam fuisse, sed ab aliquibus stabiliendam desiderari. Sic vidi ab anno 1876 : imo neque Constitutiones huiusce cathedralis hac de re ullum verbum dicunt. »

Disceptatio Synoptica.

Tria sunt igitur puncta quae in hisce litteris diluenda proponuntur. Primum petitur, undenam desumenda sit eleemosyna pro retribuendo canonico, qui missam conventualem celebrat loco confratris legitime absentis ob ferias trium mensium synodalium; 2. et undenam, si celebret loco confratris illegitime, idest ultra tres menses, absentis ; ac tandem 3. utrum retributio decem regalium, lib. 2, 50, dari prae ceteris possit canonico hebdomadam facienti pro confratre illegitime absente, eam retributioaem desumendo ex fallentiarum fundo.

Iamvero in iure certum est, eleemosynam pro missa conventuali desumi deberi ex massa distributionum si haec adsit. Sane Benedictus XIV in const. ***Cum semper oblatas,*** ref u-

tans excusationes et cavillationes eorum qui ab ea applicanda se exemptos putabant, haec habet ***numi 18:*** « Aliorum pariter exceptio fuit, quae missa conventualis non semper a canonicis aut dignitatibus celebratur, sed aliquando etiam a beneficiatis aut mansionariis, quas minus aequum videtur pro missae celebratione omni eleemosyna carere, quae unde desumi valeat, ignoratur. Cui tamen rei pariter consultum est demandando, ut ea desumatur ex massa distributionum. >

Hanc praxim semper observavit S. C. C. ut patet ex ***Ferrarien. 18 Martii 1719,*** ubi inter plura dubia, haec leguntur: I. ***An dignitates, canonici, mansionarii, et cappellani capituli, qui omnes ex usti et consuetudine tenentur celebrare in cathedrali ecclesiae missas conventuales, teneantur ad easdem applicandas pro benefactoribus ;*** et quatenus affirmative. II. ***An celebrantibus, et applicantibus missas conventuales solvenda sit eleemosyna a capitulo;*** et quatenus affirmative. VII. ***An eleemosyna desumenda sit ex massa distributionum, vel ex fructibus praebendae singulorum canonicorum.*** Quibus responsum fuit: ***Ad primum affirmative ; Ad secundum affirmative ; Ad septimum esse desumendam ex massa distributionum.*** Ita etiam inter alia in ***Monasterien. Visitat, ss. Lim. diei 6 Decembris 1845; Vallen. Super eleemosynis missae conventualis, diei 22 Augusti 1874 per summaria precum.***

Iamvero si in capitulo Coelsonensi massa pro distributionibus haberetur causa acta iam esset. Sed quia videtur aliud •contingere, et unusquisque capitularis suam peculiarem praebendam, seu pensionem a Gubernio assignatam, ut in plerisque aliis locis, etiam heic, obtinere; iam quaestio subordinata oritur, quomodonam scilicet in hoc regimine stipendium pro missa conventuali ordinetur.

Cui responderi in primis potest quod quae leges super distributionibus valent, eaedem super punctaturis observandae sunt eo tantum discrimine, quod in primo casu absentes praestitutam distributionem minime percipiant, in altero

vero mulctam, eidem distributioni respondentem, solvere de suo teneantur, prout pluribus in locis declaravit S. **C. C,** ut in ***Nullius F arfen. Distr. 20 Decembris 1738,*** in ***Eugubina Punctaturarum 5 Aprilis 1783*** et ***vnllcinen. Distr, seu Punct. 13 Septembris 1856.***

Unde etiam in casu nostro, congrua congruis referendo, eleemosyna quae ex massa distributionum desumenda foret, eadem ex cumulo punctaturarum seu fallentiarum detrahenda videtur; atque ideo in defectu massae communis eleemosynam pro missa conventuali desumendam esse ex punctaturis, quibus absens mulctatur; nec, saltem ordinarie loquendo obligari posse absentem ad ulteriorem solutionem pro stipendio missae conventualis pendendo. Per amissionem enim distributionum, vel punctaturas choralium officiorum desertio satis videtur perstricta ac ferme punita: amissio namque distributionum prima absentium poena est, iuxta Lucidi ***loc. cit.:*** missa autem conventualis unum ex capitularibus officiis est.

Vicissim aliqua, licet forte non valida obiectio moveri posset ex theoria quae tradit onus missae conventualis esse proprium et adscriptum praebendae. At quousque id offendat, EE. VV. iudicent; siquidem haec duo haud videntur implicare, quod aliquod officium sit adscriptum praebendae, et tamen quod eius omissio distributionum privatione unice mulctetur. Imo hoc proprium est munerum et officiorum chori, inter quae conventualis quoque missae celebratio est. Accedit quod onus missae conventualis videatur magis gravare integrum coetum, quam singulos directe capitulares, ceu apparet ex ***Senen. 12 Maii 1759*** et ***9 Februarii 1760, Terracinen. 5 septembris 1627.***

Nec est distinctio facienda relate ad eum qui ultra tres menses illegitime abest ; nam, iuxta nota principia recentemque S. C. C. resolutionem, illegitime absens dimidia parte omnium fructuum etiam stricte praebendalium privari quidem ab Episcopo potest; sed non videtur ulteriori poena prosequendus ; et eo minus mulctatitia pecunia damnandus

ninni fundo, a pari id fieri posse videtur pro peculiari hebdomadarii labore, quem suppono consistere in praeintonationo officii aliisque similibus muniis.

Obstat vicissim principium quod fallentiae dividi pro rata atque universae debentur praesentibus.

Quibus praemissis proposita fuerunt diluenda sequentia

Dubia

I. ***An eleemosyna pro missa conventuali, quae celebratur ab aliquo capitulari loco confratris legitime absentis, desumenda sit ex punctaturis quas absentes solvunt in casu.***

II. ***An idem observandum sit quando canonicus ultra tres menses illegitime absit in casu.***

VI. An stipendium decem regalium ex fallentiarum fundo desumi possit ac tribui prae ceteris ei qui hebdomadae servitium loco absentis obit in casu.

RESOLUTIO. Sacra Cong. C. re discussa sub die 23 Martii 1889, censuit respondere. ***Ad I et II Affirmative. Ad III Negative.***

Ex QUIBUS COLLIGES : I. Missam conventualem applicandam esse ab omnibus capitularibus, sive canonicis sive mansionariis, mediante eleemosyna.

II. Eleemosynam istam pro missa conventuali sumendam esse ex distributionum massa si adsit ; et quatenus non adsit ex punctaturis quas absentes solvunt.

III. Eiusmodi normam vim habere tum in casu quod canonici absint intra tres legitimos menses, tum si absint ultra tres dictos menses a iure constitutos.

IV. In themate respui, ceu abusum, consuetudinem, haud inolitam usu longi temporis, desumenda ex fundo fallentiarum stipendium, tribuendum ei tantum qui servitium hebdomadae facit, loco absentis.

ob omissa choralia munia, quibus quidem per punctaturas satisfactum videtur.

Verum haec omnia, ceu patet, dicta sunt ad occurrendum difficultatibus quae contingere possunt in casu in quo in capitulo nullus fundus seu massa pro missae conventualis labore retribuendo habeatur.

Ast recolere ulterius non omittam, S. C. C. non semel huic malo mederi radicitus consuevisse. Nam ad dissidia tollenda et ad faciliorem administrationis gestionem fovendam saepenumero iussit, hunc fundum seu massam pro conventuali , in ipsis capitulis ubi praebendae a singulis per se administrentur, separari. Exemplo sit ***Monasterien. Visit, ss. Liminum*** die 6 Dec. 1835, ubi ad dubium « ***An Vicarii Ecclesiae cathedralis Monasterien, missam conventualem pro benefactoribus gratis applicare teneantur; seu potius illis pro hac applicatione stipendium debeatur a Capitulo in casu,*** » responsum fuit : » ***Negative ad primam partem; affirmative ad secundam, ex massa conficienda prudenti iudicio Episcopi per contributionem ex redditibus omnium praebendarum.*** » Idem resolutum fuit in ***Herbipolen. Missae Conventualis,*** die 2 Iun. 1860 ***per Summaria precum*** ubi haec S. C. C. decrevit: Vicarium teneri ad applicationem Missae conventualis per turnum una cum canonicis, soluto tamen eidem stipendio ***ex massa conficienda prudenti iudicio Episcopi per contributum ex reditibus omnium praebendarum.*** » In duplici hoc casu agebatur de praebendis quae constabant ex pensionibus a Gubernio solutis.

Relate demum ad tertium punctum in quo petitur an hebdomadam faciens pro illegitime absente possit prae ceteris capitularibus decem regales percipere, eos desumendo ex fallentiarum fundo, observo in primis de parva re agi. Decem namque regales 2, 50 libellas attingere dicuntur.

De cetero pro affirmativa sententia militat praecedens theoria circa missam conventualem ; nam si pro eius celebratione stipendium desumi licet ex distributionum commu-

EX S. RITUUM CONGREGATIONE

DECRETUM beatificationis seu declarationis martyrii Petri Aloisii Mariae Chanel Sacerdotis e Societate Mariae Pro-Vicarii apostolici Oceaniae occidentalis.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione martyrii et causae martyrii, pluribus signis ac miraculis a Deo illustrati et confirmati, tuto procedi possit ad solemnem Venerabilis Servi Dei Beatificationem?

Magna et mirabilia omni tempore ab illo *igne* **edita, quem Christus** *venit mittere in terram ut accendatur,* **Deus ineffabili sua providentia in hoc quoque saeculo nequam ostendere dignatus est, in iis praecipue athletis, qui ipsius** *zelum zelantes ,* **Evangelicae** *veritatis agnitionem* **ubique terrarum diffundere studuerunt. Inter hos quam maxime effulget venerabilis Dei servus Petrus Aloisius Maria Chanel, qui, seraphica caritate flagrans, in extremis Oceaniae plagis** *viam novam et viventem, quam Christus initiavit,* **populis** *in tenebris et in umbra mortis sedentibus* **annuntiare aggressus est. Is anno 1837 e Galliae litoribus ad insulam Futunae appulsus, illius regionis oppida mirum in modum vitae sanctitate ac praedicatione illustravit; atque aerumnas, famem, ludibria hilari semper animo usque ad mortem pertulit, persecutoribus ipsius bonum pro malo reddens. Deus itaque, qui inter primos Evangelii praecones pene toto orbe remotis illis gentibus Christianum nomen allaturos, hunc suum famulum praeelegerat, dignum eumdem effecit, qui easdem oras proprio sanguine , Oceaniae Protomartyr , consecraret ; praeclarum hoc fidei testimonium quamplurimis signis et prodigiis confirmaturus. Haec vero signa, una cum martyrio et causa martyrii, triplici disceptatione ad trutinam de more revocata, per decretum Sacrae Rituum Congregationis die 26 Novembris anno superiori Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII suprema auctoritate Sua constare declaravit. Dubium vero adhuc discutiendum supererat , an hic venerabilis Dei servus inter Beatos tuto foret recensendus.**

Quod propositum fuit coram eodem Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII in Sacrorum Rituum Congregationis conventu pridie idus Martii vertentis anni: omnesque, tum Rmi. Cardinales Sacris tuendis Ritibus praepositi, tum Patres Consultores, unanimi suffragio *affirmative* **responderunt. Sanctissimus vero Dominus Noster ingeminandas esse censuit preces, ut in tam gravi negotio maius a Patre luminum auxilium Sibi compararet.**

Demum solemni hac die, qua *Rex gloriae triumphator super omnes caelos ascendit,* **Sanctitas Sua ferventissimis Societatis Maristarum votis satisfacturus, Sacro peracto in Vaticani Palatii Sacello, aulam adiens nobiliorem, coram Rmis. Cardinalibus Carolo Laurenzi, Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, et Angelo Bianchi Causae Relatore, nec non R. P. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, et me infrascripto Secretario , decrevit :** *Tuto procedi posse ad solemnem Venerabilis Servi Aloysii Mariae Chanel Beatificationem.*

Atque hoc Decretum publici iuris fieri, et in Acta Sacrae Rituum Congregationis referri iussit III Kalendas Iunias, anno MDCCCLXXXIX.

CAROLUS CAKD. LAURENZI, *S. R. C. Praefectus.*

L. « S .

VINCENTIUS Nussi, *S. R. C. Secretarius.*

APPENDIX VII.

In qua plura referuntur Decreta S. Rituum Congregationis.

URGELLEN.

R. D. Ioachim Solans Sacrae Liturgiae in Seminario Urgellen. Professor, de sui Rmi Episcopi consensu, insequentia Dubia a Sacra Rituum Congregatione enucleanda humillime proposuit, videlicet :

Dubium I. Communis praxis est in Ecclesiis praedictae Dioeceseos recipere populi oblationes ad balaustium post lectum Offertorium in solemnioribus Festis. Attamen, alii Lignum s. Crucis, alii vero Stolam, vel Mannum praesertim viris ad deosculandum praebent, interim dicentes: *Oblatio tua accepta sit Deo.* Idem observatur in Missis exequialibus quoad osculum Stolae vel Manipuli. Continuarme potest huiusmodi praxis, maxime cum facile tolli nequeat?

Dubium II. Quum non una eademque auctorum sit sententia, et Rubricae non ita determinate loquantur circa genuflexiones, quae fieri debent a ministris in Missa solemni tam ante quam post Consecrationem, quaeritur : d. Utrum Diaconus, et Subdiaconus omittere debeant genuflexionem postquam altare conscenderunt, peracta confessione, nec non antequam ascendant ad latus Celebrantis post intonationem *Gloria* et *Credo* et ad *Sanctus,* et iterum antequam descendant ad suum locum in medio altaris, prout alii volunt ; an potius fieri debeant praedictae genuflexiones iuxta regulam quam alii tradunt, ministros nempe debere genuflectere in loco unde recedunt, non autem in memoratis casibus, in loco quo perveniunt, prout communiter observatur? item 2. Utrum post Consecrationem, ac proinde etiam SSmo Sacramento exposito, debeant ministri genuflectere tantum in loco unde recedunt, non autem quo perveniunt, prout aliqui docent ; vel potius non solum in loco a quo recedunt, sed etiam in illo ad quem perveniunt, quando scilicet ascendunt ad latus Celebrantis vel inde descendunt, nec non cum ab uno ad aliud latus transeunt, genuflexionem in hoc ultimo casu in medio altaris omittendo, prouti alii praescribunt, et communiter fit ?

Dubium III. An possit servari consuetudo, qua Diaconus in Missa solemni elevat fimbrias posteriores planetae Celebrantis etiam dum hic Consecrationis verba pronuntiat?

Dubium TV. An Diaconus et

Subdiaconus, quando patenam non sustinet, se conformare debeant Celebranti, quotiescumque hic caput inclinat, vel seipsum signat ; an vero id tanium facere debeant quando Celebrans se signat aut caput inclinat, aliquid proferens voce non secreta ? item : An teneantur pectus percutere simul cum Celebrante ad ***Nobis quoque peccatoribus,*** ad ***Agnus Dei,*** et demum ad ***Domine non sum dignus f***

Dubium V. Utrum simplex. Sacerdos Missam solemnem celebrans, concionalorem, qui post Evangelium praedicat, benedicere possit?

Dubium VI. Utrum quando in Absolutione post Missam de Requie cantatam, nec tumulus erectus invenitur, nec lectica portatur, nec pannus extenditur ante altaris gradus, possit, Celebrans sistere in cornu Epistolae in plano, vel in suppedaneo versa facie ad latus Evangelii, prout moris est apud nos, et in eodem loco aspergere, et Orationem cantare ?

Dubium VIL Utrum quoties sine ministris cantatur Missa de Requie pro persona determinata, quamvis non sit dies tertia, septima, trigesima, nec proprie anniversaria, dici debeat unica Oratio, et Sequentia ***Dies irae?***

Dubium VIII. Utrum in Absolutione, absente corpore, Celebrans cum Diacono collocari semper debeat inter tumulum, et altare, et Subdiaconus inter Ecclesiae portam, ***et*** tumulum, tam si defunctus sit Sacerdos, quam laicus. Item : an in absolutione sine ministris, absente corpore, debeat Celebrans tumulum aspergendo et incensando circumire ?

Dubium IX. Utrum servanda sit antiquissima consuetudo collocandi Crucem ad caput feretri vel tumuli dum cantatur Missa et perdurat Officium emortuale ?

Dubium X. In variis Ecclesiis, etiam insignibus, iuxta immemorabilem consuetudinem, pulsatur Organum per totam Missam Feria V in Coena Domini, quaeritur : utrum servari possit talis consuetudo haud facile abrumpenda?

Dubium XI. Utrum possit servari consuetudo non accendendi tertium cereum in Missis privatis a Consecratione ad Communionem quamvis commode fieri possit? Item quod tobaleae Altaris usque ad terram a lateribus non pertingant ?

Dubium XII. Ad quaestionem, an pro abluendis vino et aqua pollicibus, et indicibus in secunda purificatione post Communionem debeat Sacerdos e medio altaris versus cornu Epistolae recedere? Sacra Rituum Congregatio die 22 Iulii 1848 in Tornacen. respondit : serventur Rubricae pro diversitate Missae. Hinc est quod alii dicant in omnibus Missis privatis a medio altaris non esse recedendum pro ablutione recipienda; alii vero affirmant recedendum esse a medio in Missis privatis ordinariis, non autem in Missis ante SS. Sacramen-

tum expositum ; alii porro liberum hoc relinquunt Sacerdoti iuxta consuetudinem. Quid ergo consulendum in tali opinionum varietate?

Dubium XIII. Aliqui docent non esse extendendum totum Corporale ab initio Missae, sed partem anteriorem eiusdem tantum explicari debere post lectum Offertorium. Item plicandam esse praedictam anteriorem partem Corporalis post sumptionem Sanguinis in 1 et 2 Missa Nativitatis Domini usque ad subsequentis Missae Offertorium. Servari ne potest huiusmodi praxis ?

Dubium XIV. An in Missis coram SSmo Sacramento exposito ad initium Evangelii S. Ioannis signari debeat Altare?

Dubium XV. Utrum velum quo Crux cooperilur Feria VI in Parasceve possit esse coloris nigri, vel debeat omnino esse coloris violacei?

Dubium XVI. Per Decretum Sacrae Rituum Congregationis 28 Iulii 1876 reprobatur quod a quocumque fere Sacerdote solemniter celebrante Presbyter assistens cum Pluviali adhibeatur. Quaeritur ergo !.. Utrum adhiberi possit Presbyter assistens Pluviali sine Stola indutus in prima Missa solemni novi Sacerdotis, in eadem Missa privata assistere possit Presbyter Superpelliceo tantum indutus ? An adhiberi etiam possit in Festis saltem solemnioribus, quae cum pompa per annum celebrantur?

Dubium XVII. Utrum adhiberi possint in Baptismo parva instrumenta ex sale confecta, quibus interna oris infantium tanguntur, vel servandum Rituale romanum, quod salem ad hoc requirit bene confractum, et attritum?

Dubium XVIII. Utrum Patrini in Baptismo recitare possint *Pater,* et *Credo* lingua vernacula, dum Parochus ea recitat latino sermone?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente infrascripto Secretario, propositis Dubiis maturo examine perpensis, sic rescribendum censuit:

Ad I. Servetur in omnibus Caeremoniale Episcoporum lib. I cap. 18 n. 16; et Celebrans Fidelium in recipiendis oblationibus sileat. Consuetudo autem osculandi Stolam, vel Manipulum servari potest, exceptis Missis Defunctorum.

Ad II. Quoad 1 et 2 consulantur Rubricae, Decreta, et probati auctores.

Ad III. Serventur Rubricae Missalis, et Caeremonialis Episcoporum.

Ad IV. Quoad primam Negative ; quoad secundam teneri tantum ad *Agnus Dei.*

Ad V. Detur Decretum in Bracharen- diei 10 Decembris 1796. (1)

(1) BRACHAREN. Cum Magister caeremoniarum Ecclesiae titulo B. M. V. Olivae Vivamanensis, Dioecesis Bracharen., supplex fuerit ad S. R. C, ut infrascripta Dubia declarare dignaretur, scilicet :

Ad VI. Negative.

Ad VII. Detur Decretum in Briocen. diei 12 Augusti 1854 ad XI et XII. (1).

Ad VIII. Quoad 1 et 2, serventur Rubricae Missalis et Caeremonialis Episcoporum.

Ad IX. Serventur Rubricae.

1. An coram SSmo Sacramento publice exposito, vel non, Concionator petere debeat benedictionem in qualibet Concione, a quoquam Celebrante?

2. An in iis illis Ecclesiis, ubi sit consuetudo, ut huiusmodi benedictio pe" tatur a quocumque Celebrante , etiam exposito Sacramento , continuari debeat, nec ne ?

3. An Chorus, dum recitat horas canonicas ante SSmum Sacramentum velo coopertum in loco eminenti, sedere, et tegere caput cum bireto valeat, vel stare debeat nudo capite, quasi esset sine velo?

4. An prima Dignitas dictae Collegiatae, qui adhuc non est Sacerdos in benedictione candelarum, et palmarum ministrare debeat Sacerdoti celebranti candelam, «t palmam, vel potius similes actiones al secundam Dignitatem Sacerdotem, praesente in Choro supradicta prima Dignitate, pertinere debeant?

5. An Canonicus Sacerdos in Feria V. Coenae Domini Communione generali super almutiam stolam a collo pendentem habere debeat, vel solum super cot'am?

6. An in Dominica ipsa Octava Corporis Christi, aut alia designata per annum, in quibus recitatur officium ritus dupl. et solet fieri Processio SSmi Sacramenti per diversas Parochias, et Ecclesias Civitatis, ut in Festo Corporis Christi, ut certum, ac designatum diem habet cum concursu populi eiusdem Parochiae , debeat Missa celebrari pro re gravi de SSmo Sacramento post Nonam, vel dici de Dominica, aut Festo cum commemoratione SSmi Sacramenti?

Sac. eadem Congregatio, exquisita prius sententia unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, eaque typis etiam vulgata, referente Emo, et Rmo Domino Cardinali Antonio ab Auria Ponente, rescripsit : la omnibus iuxta sententiam eiusdem Magistri caeremoniarum, cuius libellum tradi Oratoribus pio norma mandavit. .Eius autem sententiae haec est summa.

Ad I. *u* Affirmative, si in Dioecesi Bracliarensi adsit consuetudo; secus petendam esse benedictionem a Celebrante, dummodo sit Episcopus, iuxta formam praescriptam in Caeremoniali Episcoporum lib. 1. cap. 22. »

Ad 2. *u* Provisum in primo. »

Ad 3. « Poterit Clerus sedere, tecto etiam capite cum bireto , sed laudandus •esset, si sederet detecto capite. »

Ad 4. « Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. »

Ad 5. *u* Servandam esse locorum consuetudinem. »

Ad 6. *u.* Missa diei debet de Dominica, aut Festo occurrente cum commemoratione SSmi Sacramenti. »

Et ita servari declaravit. Die 10 Septembris 1796.

(1) BRIOCEN. Dubium XI. Utrum secunda Oratio semper mutari possit, et eius loco dici Oratio pro defuncto aut defuncta ? Ratio dubitandi est, quia Decretum Aquen. fert aliquando pro illa *Deus veniae largitor,* impune subrogabitur alia v. g. pro Patre et Matre?

Dubium XII. Utrum in Missis quotidianis sive Solemnibus s ve absque cantu Sequentia *Dies irae,* semper et dici a Celebrante et cantari in Choro debeat ? Ratio

Ad X. Invectam consuetudinem esse eliminandam.

Ad XI. Ad utrumque servetur consuetudo.

Ad XII. Consulant probatos auctores.

Ad XIII. Quoad I servetur Rubrica Missalis , et Caeremonialis Episcoporum : quoad 2 consulant probatos auctores.

Ad XIV. Posse.

Ad XV. Servetur Rubrica.

Ad XVI. Detur Decretum in Mathelicensi diei 11 Martii 1837. (1)

Ad XVII. Servandum Rituale.

Ad XVIII. Posse.

Atque ita rescripsit, declaravit, ac servari mandavit. Die 30 Decembris 1881.

DE SEYNA.

Insequentis Dubii declarationem a Sacra Rituum Congregatione humillime expetivit Rmus Dnus Petrus Wierzhowshi hodiernus Episcopus De Seyna, videlicet:

In Dominica Palmarum iuxta rubricam Missalis, in Missis, quae privatim sine benedictione Palmarum celebrantur, ultimum Evangelium legendum est « *Cum appropinquasset* » : in his vero, quae post dictam benedictionem absolvuntur immediate ab eodem celebrante illud debet esse « *In principio* » ; hinc quaeritur: Quodnam Evangelium legere debeat presby-

dubitandi est, quia fert Missale Sequentia *Dies irae* ad arbitrium Sacerdotis? Et quatenus negative pro speciali gratia postulat Reverendissimus Episcopus Briocen. et Trecoren. dispensationem super Sequentia *Dies irae* cantanda ob angustiam temporis, et defectum Cantorum, praesertim in Ecclesiis ruralibus.

Ad 11. « Unicam Orationem dicendam in Missa *de Requie* cum cantu pro anima illius, quam designat eleemosynam exhibens, »

Ad 12. « Sequentiam *Dies irae* semper dicendam in Missis *de Requie* , quae cum unica tantum Oratione decantantur , verum aliquas strophas illius Cantores praetermittere posse. »

Die 12 Augusti 1884.

(1) MATHELICEN. Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna solutione sequentia Dubia proposuit Aloisius Carbonari Sacerdos Congregationis Oratorii Mathelicen. nimirum.

1. An celebrante solemniter prima vice novo Sacerdote Patrinus seu Presbyter assistens possit in Dominicis, antea aspergere Populum Aqua benedicta , ac deinde ad Sacristiam accedere, et Sacerdotem ipsum ad Altare adducere cum Ministris?

2. An subtus Pluviale ipse Patrinus possit Stolam gestare, ac Fidelibus cum Patena ministrare quoties Eucharistica Communio instituenda est ?

3. An Patrinus debeat, vel saltem possit Celebrantem incensare loco Diaconi?

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum hodierna die in ordinario coetu. coadunata, referente me Secretario, rescripsit.

Ad I. *u* Negative in omnibus. »

Ad II. « Spectare ad Diaconum utrumque. »

Ad III. « Negative. » Die 11 Martii 1837.

ter, celebrans, Missam concelebrante Episcopo, qui iuxta Caeremoniale Episcoporum dictam functionem peragit?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente infrascripto Secretario sic respondit : In casu legendum esse Evangelium s. Ioannis ***« In principio ».***

Atque ita respondit, ac rescripsit. Die 16 Ianuarii 1882.

LEAYENWORTHIEN.

Devotionem erga SSmum Cor Iesu in sibi credita Dioecesi, quoad externum cultum uniformem, ac liturgicis legibus apprime consonam reddere cupiens Rmus D. Ludovicus Maria Finch Episcopus Leavenworthien. a Sacra Rituum Congregatione sequentium Dubiorum declarationem humillime expetivit, nimirum:

I. Utrum liceat Sacerdoti celebranti ante vel post expletum Missae Sacrificium publice recitare preces vel hymnos in Lingua vernacula v. g. Novendiales R. Mariae "Virginis, vel alicuius Sancti coram SSmo Sacramento publice exposito ?

IL Utrum liceat Sacerdoti, coram SSmo Sacramento solemniter exposito ob devotionem Sanctissimi Cordis Iesu in Ecclesia publice celebranti, recitare actus vel alias preces in honorem eiusdem SSmi Cordis in lingua vernacula ad auditum populi fidelis adstantis, ita ut ad istas preces vel actus ipse respondere valeat?

III. Utrum liceat generaliter, ut Chorus Musicorum (idest Cantores) coram SSmo Sacramento solemniter exposito decantet hymnos in lingua vernacula ?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente infrascripto Secretario, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum, Magistris, auditoque Rmo Assessore ipsius Congregationis, propositis Dubiis sic rescribere rata est :

Ad L Affirmative quoad preces tantum.

Ad II. Affirmative, seu provisum in praecedenti.

Ad III. Posse: dummodo non agatur de hymnis ***Te Deum,*** et aliis quibuscumque Liturgicis precibus, quae nonnisi latina lingua decantari debent. Atque ita declaravit et rescripsit. Die 27 Februarii 1882.

SUMMA ACTORUM

QUAE IN HOC VOLUMINE XXI. CONTINENTUR

LITTERAE
ET ACTA ROM. PONTIFICIS

S. CONGREGATIO CONCILII

S. CONGR. EPISCOP. ET REG.

S. CONGR. INDULGENTIARUM

S. CONGREGATIO RITUUM

S. POENITENTIARIA APOST.

S. CONGR. INDICIS

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

EX S. CONG. S. R. U. INQUISIT.

APPENDICES

INDEX GENERALIS

CONCLUSIONUM QUAE IN PLERISQUE ACTIS IN HOC VOLUMINE CONTENTIS ADNOTATAE SUNT, QUARUM MATERIA IN SINGULIS ACTIS, AMPLE EXPOSITA, VEL DECLARATA REPERITUR.

Eae autem conclusiones sub sequentibus verbis comprehenduntur.

Beneficium quoad unionem.

Etsi beneficiorum seu piarum fundationum uniones in iure reputari soleant odiosae, quia immutatur status eorumdem beneficiorum, subvertuntur fundatorum dispositiones , imminuuntur sacra patrimonia, tamen si adsit necessitas aut evidens utilitas, Apostolica Sedes indulgere solet, ut huiusmodi uniones fiant. ***pag.*** 426.

Canonicus.

Canonicus tenetur sub gravi adesse choro, aliaque canonicalia implere onera, nonobstante redituum tenuitate; quae tantum causa esse potest cur servitium chori, ex. indulto pontificio, imminuatur, minime vero tollatur, ***pag.*** 148.

Civilis suppressio ecclesiasticorum entium non excusat canonicos a propriis implendis oneribus; quia in canonica iurisprudentia civilis suppressio habetur tamquam verae ecclesiae spoliatio, minime vero ceu titulorum seu Collegiatae extinctio, ***pag.*** 149.

Adiuncta paupertatis, gravisque aetatis oratoris causam dederunt benignae condonationis et absolutionis indulgendae, nec non temporaneae dispensationis a residentia. ***ibid.***

Canonici honorarii, qui nostris temporibus in quamplurimis capitulis instituuntur ad divinum cultum et Episcopi senatum decorandum, eligi possunt ab Episcopo cum consensu Capituli, vel a Capitulo cum Episcopi consensu, ***p.*** 298.

Quoad electionem eiusmodi Canonicorum nulla certa a lege universali Ecclesiae praestituitur forma ; ita ut si nulla adsit determinata vel forma vel consuetudo specialis in Synodo dioecesana aut in Statutis capitularibus, quaecum-

Collegiata ecclesia.

Confessio.

Decimae.

moda et utilitates populi sibi concrediti promovere, curam dominici gregis habere, ac media exhibere quibus oves tutius ac facilius ad aeternae salutis pascua perducantur, *pag.* 251.

Vulgare est axioma quod Episcopi in suis Dioecesibus omnia possunt, quae potest Summus Pontifex in universo Orbe, exceptis specialiter reservatis, *pag.* 252.

Quamobrem haud absonum videtur, ut praestituere valeant etiam ea quae ad christianam puerorum educationem conferunt; quum iidem per sacros canones excitentur et moneantur, praecipuas habere partes quoad christianam institutionem, *ibid.*

Iudicio et prudentiae Episcoporum standum docent Doctores et Bened. XIV *Const. Cum illud* praescribit « *parvipendendum non esse testimonium illius pastoris, cui divino mandatur eloquio oves suas agnoscere.* » *ibid.*

Etsi Innocentius iii *cap. 2 de poen.* iubeat omnes fideles communicare postquam ad annos discretionis pervenerint, addit tamen *nisi forte de proprii sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus, ab huiusmodi perceptione duxerint abstinendum, ibid.*

Sacri canones haud definiunt aetatem, qua primum sacra eucharistia recipienda sit ; et doctores non conveniunt inter se de aetate, qua habeatur sufficiens discretio ad Christi Corpus sumendum; dum id contingere censeat Bened. XIV *intra decimum et decimum quartum aetatis annum. ibid.*

Iuspatronatus.

In iuspatronatus ab initio reservato pluribus distinctis lineis, potest una linea ius suum dono dare aut transferre in alium, licet extraneum, quin ceteri compatroni conqueri possint: quia tunc tot habentur patronatus, quot sunt lineae; et vox unius non transit ad alteram, *pag.* 51.

Quando institutor unum unicuique ius constituit, unamque lineam aut familiam aut successionem designat, si decursu temporis contingat plures in ius fundatoris succedere, omnes in solidum patronum repraesentant, et ius accrescendi locum habet, altero deficiente, *ib.*

Certum est patronum non posse valide transferre patronatum gentilitium in extraneum, in praeiudicium eorum qui a fundatore contemplati sunt et adhuc existunt; sed'hoc fieri posse side communi consensu isti approbent hanc translationem aut donationem, *ibid.*

Donatio et translatio in themate favore Episcopi, omnibus praedita est legalitatis punctis ; nam ipse fundator donationem sui iuris perfecit; auctoritate apostolica donatio haec sancita fuit et constanti praxi, a primis temporibus ad ultimam usque vacationem, indesinenter confirmata, *ibid.*

Matricitas.

Matrimonium.

consequenti praevalentia se ;us, quia tunc deficit materia necessaria seu subiectum, ***ibid.***

Hinc sequitur quod etiam steriles et hermaphroditi valide et licite nuptias contrahunt, electo et determinato sexu, etsi per accidens ab utrisque frustretur finis primarius matrimonii; dum secundi qua tales nequeunt foecundare aut foecundari, et sterili sint aequiparandi, ut communiter docent physiologi. ***ibid.***

Regulariter ad mulierem inspiciendam eliguntur matronae honestatis gratia ; excepto casu in quo desideretur maior peritia, quam in feminis reperitur; tunc enim deputentur medici oportet, ne pereat facultas probationum, aut malrimonium validum dissolvatur vel irritum approbetur, ***pag.*** 502.

Interrogatoria partibus ac testibus facienda, et singulorum depositiones secreta manere debent ante publicationem processus ad evitandam subornationem; ***Instr.*** S. C. Concilii, ***pag.*** 619.

Testes priores, aut novi , post causae conclusionem, audiri non possunt; neque unquam examini iudiciali supponi testes possunt, absente s. Vinculi defensore: ***Const. Dei miseratione...*** Goniugesque autem semper et seorsim audiri debent, ***ibid.***

Mulier vi ac dolo asportata duci in matrimonium nequit a raptore, quia Tridentina Synodus decernit inter raptorem et raptam nullum posse consistere matrimonium, donec mulier in loco tuto ac libero constituta, illum in virum habere consenserit, ***ibid.***

Ex iure novo Tridentini validitas ratihabitionis non ex libertate consensus, sed ex qualitate loci in quo mulier assentitur, desumenda est; ex quo sequitur, Tridentinum induxisse novum impedimentum , -quia iure Decretalium fiebat matrimonium, si puella verum dedisset consensum, etsi posita in potestate raptoris, ***ibid.***

Raptus, impedimentum gignens verificatur si mulier insidiis aut dolosis sollicitationibus abducatur, ab eo qui raptum agit, ut deinde in matrimonium consentire coacta sit sub raptoris influxu, ***ib.***

Raptus non habetur quoties praecesserint matrimoniales tractatus, aut vera sponsalia; et vir sine dolo mulierem ex condicto abducat; hoc enim in casu melius appellaretur fuga mulieris cum viro. ***ibid.***

Nullo existente dubio de publicatione decreti ***Tametsi*** in aliquo loco, ibidem nulla censenda sunt matrimonia inter catholicos inita, nisi facta sint coram Parocho proprio et duobus testibus, ***pag.*** 672.

Lex haec Tridentina non ligat, in celebratione matrimoniorum , nisi utraque pars addicta sit religioni catholicae ; ideoque matrimonia mixta aut illa contracta a protestantibus inter se legi eiusmodi non subsunt; quia Concilium ad ea matrimonia decretum suum

non extendit ; *Benedictus XIV Constit. Singulari nobis, et de Synodo dioec. lib. IV, cap. 6. n. 12. ibid.*

Qua de re ad probandam matrimonii alicuius existentiam evincendum est, dictum decretum *Tametsi* publicatum fuisse sive disertis verbis atque expresse, sive diuturna observantia apud catholicos tamquam Tridentini decretum; neque si quando observatum fuit, longo dein temporis intervallo in desuetudinem abiisse, *ibid.*

Post declarationem S. C. G. ab Urbano VIII confirmatam *ex Benedicto XIV. De Synod. Dioec. lib. 12, cap. 5, n. 5 seqq.* certum est nullam et irritam esse promulgationem capitis *Tametsi,* quae non fiat uti legis latae a Concilio Tridentino, *ibid.*

Ex notissima canonistarum doctrina et ex resolutionibus S. C. C. certum est promulgationem capitis *Tametsi* aliquo in loco non solum per documenta scripta, sed etiam per praesumptionem probari posse; praesumitur enim publicatio, ubi decretum fuerit aliquo tempore in parochia tamquam decretum Tridentini observatum ; *Schmalzgrueber lib. 4, tit. 3, n. 100 pag.* 673.

Quinimo diuturna observantia capitis *Tametsi,* nedum praesumitur eiusdem promulgatio; sed rite fieri posse eandem promulgationem per praxim et diuturnam consuetudinem eruitur ex resolutionibus ipsius S. C. C; ex *Epistola Pii VII ad Archiep. Mogunt. 8 octob. 1803* quia in ipsa consuetudine lex contenta est, neque praesumenda est eius publicatio, sed pro certa habenda est. *ibid.*

In Anglia tamen et Scotia, ubi Tridentinum publicatum non est, retineri non potest publicatum fuisse per laudabilem consuetudinem, qua boni catholici matrimonia ineunt apud parochos et duos testes ; quia Episcopi, de quorum mandato fieri debet promulgatio Tridentini, non intelligunt aliquam fieri promulgationem capitis *Tametsi* per illam praxim, quae magis spectat ad liceitatem, quam ad validitatem matrimoniorum, *ibid.*

Observantia ritualis Romani de Sacramento matrimonii in singulis paroeciis Dioecesis, observati tamquam decreti s. Concilii seu Summi Pontificis, inducit sufficientem praesumptionem publicationis eiusdem decreti, ita ut in matrimoniis servandum sit idem decretum ad validitatem, *ibid.*

Lex Tridentina irritans matrimonia clandestina, afficit incolas paroeciae ratione territorii; et pars territorii a paroecia non dismembratur quia incolae dlius partis a catholica religione defecerunt; et ideo si in hac parte redeant catholici , lege Tridentina obligantur ; sicut Romae obligarentur catholici qui domicilium **iii** *ghetto* Hebraeorum constituerent, *ibid.*

Ad Apostolicam Sedem pertinet dubiorum generalium solutio de

valore promulgationis capitis ***Tametsi,*** aut de abrogatione eiusdem per desuetudinem ; ad Episcopos vero spectat promulgatio eiusdem capitis; et dubia, si adsint, removere pro futuro tempore, per novam promulgationem, minime vero per interpretationem, quae in re generali superat eorumdem auctoritatem, ***ibid.***

Matrimonia invalida ob defectum formae Tridentinae revalidan possunt vel si utraque pars se sistat coram parocho et duobus testibus, et secieto renovet consensum, vel si una pars se sistere recuset, facultas detur Episcopo sanandi matrimonia in radice, ***pag.*** 674.

Missa quoad applicationem.

Ex translatione festi s. Ioannis in diem 25 Iunii per rubricam acta haud sequitur quod fideles teneantur >ad observantiam diei festi et rectores animarum ad applicationem pro populo, ***pag.*** 152.

Rubricae enim de modo missam et officium celebrandi agunt, ast non definiunt quae sint festa de praecepto vel quoties animarum rectores Missam pro populo litare obligentur: quod faciunt ss. Canones aut Constitutiones Romanorum Pontificum, ***pag.*** 153.

Obligatio applicandi Missam die qua transfertur festum s. ioannis, exclusa videtur ex principio morali, quod per unum actum duplici satisfiat praecepto, si in illo actu ponatur quidquid per diversas leges praescribitur, ***ibid.***

Nec absonum est si dicatur, quod quaestio haec analogice definita sit per Constit. Pii IX ***Amantissimi,*** qua decernitur «quando una cum solemnitate divinum officium translatum fuerit in dominicum diem, una tantum Missa pro populo est applicanda. » ***ibid.***

Missa conventualis applicanda est ab omnibus capitularibus, sive canonicis sive mansionariis, mediante eleemosyna, ***pag.*** 735.

Eleemosyna ista pro missa conventuali sumenda est ex distributionum massa si adsit; et quatenus non adsit, ex punctaturis quas absentes solvunt, ***ibid.***

Eiusmodi norma vim habet tum in casu quod canonici absint intra tres legitimos menses, tum si absint ultra tres dictos menses a iure constitutos, ***ibid.***

Missa quoad binationem.

Binandi indultum conceditur parocho, qui aut duas habeat paroecias, aut duos populos ita seiunctos, ut alter ipsorum parocho celebranti diebus festis nullo modo adesse possit, vel quum tantus sit populus, qui in ecclesiam paroecialem, totus confluere nequeat, p. 136.

Oblationes fidelium.

Fidelium oblationes, ***generatim loquendo,*** in eos usus convertendae

Ordo hierosolymitanus quoad exemptionem

debent, ut exemptione fruantur. ***ibid.***

Hinc familiae inservientium praedictae Religionis vel bonorum conductores , et domorum inquilini ad praefatam Religionem pertinentium, hac exemptione haud gaudent, ***ibid.***

Capellanus ecclesiae prioralis approbanda est ab Ordinario pro administratione sacramentorum, ***ib.***

S. Ordinis Hierosolymitani Prior non potest respuere Episcopi dispositiones circa ea latas , in quibus a iure communi, a sacrosancto Concilio Tridentino et Constitutionibus Apostolicis tributa est Episcopo iurisdictio in Regulares, ***ib:***

Parochus.

Obtinens dignitatem in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, cui extra civitatem in dioecesi cura animarum immineat, dum ei in. cumbit , habetur tamquam praesens in ecclesiis cathedralibus et collegialis, pro tempore quo in curata ecclesia resederit ac administraverit. ***pag.*** 24.

Hinc, si tempore quo divina officia celebrantur, audiat confessiones vel alia ad ipsam curam spectantia exerceat, distributiones quotidianas, etiamsi divinis non intersit, lucrari debet. ***ibid.***

Canonicus vel beneficiatus ecclesiae cathedralis vel collegiatae, cui cura habitualis inest, a punctaturis exemptus est pro eo tempore , quo curae animarum oneri satisfacit. Nec aliter sentiendittn est licet curae animarum praepositus ad nutum removeri possit, ***ibid.***

Quin imo praedictus canonicus vel quilibet alius de gremio capituli, dum parochi officio defungitur, censetur praesens in choro, ut fructus et distributiones quotidianas lucrari possit, licet cura habitualis penes capitulum haud resideat: dummodo paroecia in cathedrali vel collegiata erecta sit. ***ib.***

Casus tamen excipiendus est, quo curam penes capitulum residentem, uni ex canonicis, soluto certo salario, gerendam capitulum tradiderit.

Primis Ecclesiae saeculis, in qualibet Dioecesi , una fuit ecclesia seu paroecia , ad quam Christiani omnes non modo urbis, sed etiam vicinorum oppidorum , die dominico confluebant, et praesentibus quidem distribuebatur Eucharistia, ad absentes vero per diaconos mittebatur, ***pag.*** 91.

Hu¡£ ecclesiae, quae Cathedralis erat, ipse Episcopus praeerat, qui suum habebat senatum seu presbyterium, hoc est illi addictos presbyteros, quorum erat Episcopo dare operam in ecclesiae regimine et administratione, ***ibid.***

Aucto fidelium numero, aliae ecclesiae minores conditae fuerunt, quae nulli separatim Presbytero addictae erant, sed ad eas regendas singulis diebus dominicis clerici de ecclesia ab Episcopis mittebantur. ***pag.*** 92.

parochum domicilii dictorum defunctorum, ***pag.*** 209.

Nam qui recipiuntur in hospitali perfunctorie et curandae valetudinis gratia ibi veniunt; neque amittunt proprium parochum in hospitali non exempto, ***ibid.***

Hinc parochus potest cum stola et cruce elevata per alterius paroeciam transire, ut efferat et associet cadavera suorum defunctorum, ***ibid.***

Paroecia.

Iubet. Tridentinum, ut Episcopi pro tutiori animarum eis commissarum salute, distincto populo in certas propriasque paroecias, unicuique suum perpetuum, peculiaremque parochum assignent.... a quo solo licite sacramenta suscipiant. ***pag.-k%l.***

Hinc iure optimo distinguendae sunt paroeciae, et unicuique pastores dandi , praediti omnibus paroecialibus iuribus, qui suarum quisque ovium curam habeant, ii qui subditi sunt sine gravi incommodo sacramenta, aliaque divina obtinere valeant, ***ibid.***

Quum salus animarum suprema lex sit, proinde praesentes et reales populorum necessitates sunt attendendae, et animadvertendum quod spiritualis iurisdictio non est privata possessio , sed concessio superioris potestatis, data in bonum fidelium; quaeque a superiore tolli, non obstantibus sententiis aut conventionibus quibus sancita fuerit, quoties bonum publicum hoc postulet, ***ibid.***

Paroeciarum dismembratio et novarum erectio fieri possunt quoties bonum animarum id exposcat, seu quoties evincatur adesse graves-causas ad eam peragendam, ***ibid.***

Pensiones.

Receptissima est sententia, Episcopum iure suo ordinario posse imponere pensionem ad vitam titularis gravati; dummodo concurrant iusta causa, consensus gravati eiusdem, redditus beneficii, si parochialis sit, superent summam ducatorum centum ***Trid. Sess. 24 cap. 13 p. ad haec.*** et pensio non superet tertiam fructuum partem. ***pag.*** 558.

Licet Episcopis imponere pensiones super beneficiis suae Dioecesis ad tempus beneficiati titularis, quia personae et non beneficio hac ratione imposita est pensio; et beneficia sic non scinduntur dum persona, non beneficium gravatur hoc onere, quod non ligat successorem in beneficio, ***ibid.***

Gravati eiusmodi pensione, dictis fulta requisitis , tenentur omnino ad oneris solutionem quod sponte susceperunt etiam ex iuris principiis — ***quod semel placuit semper placere debet — sic convenisti mecum*** — etc. ***ibid.***

Onera enim et obligationes rite impositae et libenter susceptae, proiici et resolvi nequeunt effu-

giís, quae saepe parat non dubia obligationis notitia, sed immutata obligati oeconomica conditio ex aliorum perversitate vel ex propria in rebus gerendis imperitia, ***p.*** 559.

Processiones.

Cum Episcopo omnium rerum agendarum in Dioecesi praecipua sit auctoritas, ideo nemini, praeter Episcopum, fas erit publicas supplicationes indicere, earumque ordinem, locum et rationem definire. ***pag.*** 124.

in hoc non suffragantur neque contraria consuetudo immemorabilis; quia committi nequit arbitrio cuiusquam privato quod publice interest, ***ibid.***

Neque Ecclesia Cathedralis potest cogere clericos ecclesiarum inferiorum, quae de iure sunt illius subditae, ad processiones aliasque solemnitates; et multo minus id poterit ecclesia matrix vel parochialis, quamvis ratione territorii, aliae ecclesiae dici possint eius subditae, ***ibid.***

Regulares quoad ordinationem.

Regularis, privilegio destitutus, •quo valeat promoveri ad sacros ordines per quemlibet catholicum Episcopum, sed provisus alio privilegio recipiendi sacros ordines extra tempora, communi Ecclesiae lege constituta, potest ordinari ab Episcopo extraneo, ***p.*** 364.

Requiri tamen ad hoc, ut Episcopus proprius, seu Episcopus in cuius Dioecesi reperitur religiósa familia , ad quam pertinet regularis , testetur se proximo legitimo tempore non habiturum ordinationem, ***ibid.***

Qua de re non sufficeret ad id ut Episcopus proprius testaretur generaliter sese non tenere sacram ordinationem extra tempora statuta. ***pag.*** 365.

Contraria consuetudo omnino non admittitur, sed habetur ceu corruptela, quae disciplinae ecclesiasticae nervum disrumperet. ***ib.***

Resiudicata.

Res iudicata pro veritate habetur, ita ut contra eam probatio non admittatur etiam sub praetextu novorum instrumentorum postea repertorum. ***pag.*** 91.

Hinc restitutiones in integrum cautissime concedendae sunt, ne lites in infinitum trahantur et res iudicatae evanescant.

Universitates.

Ad Ordinarios dioecesanos pertinet proprio ac nativo iure cura, visitatio et reformatio universitatum, quae non sunt immediate subiectae protectioni et reformationi Romani Pontificis, ***p.*** 691.

Ad eosdem pariter Episcopos spectat emendatio et constitutio eorum , quae digna fuerint corre-

Utensilia.

Vicarius parochus.

IMPRIMATUR

Fr. Raphael Pierotti Ord. Praed. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Iulius Lenti Patriarcha Constantinop. Vicesgerens.